UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historia De Vita, Moribvs, Rebvs Gestis, Stvdiis Ac Denique morte Praedicantium Lutheranorum, Doct. Martini Lvtheri, Philippi Melanchthonis, Matthiae Flacii Illyrici, Georgii Maioris, et Andreae ...

Complectens ortum, progressum [et] incrementa, tum arcana plurima hactenus non prodita, omnium penè huius temporis haeresum

... Vita ... Philippi Melanchthonis. Matthiae Flacii Illyrici. Georgii Maioris, Et Andreae Osiandri

Ulenberg, Kaspar

Coloniae Agrippinae, 1622

urn:nbn:de:hbz:466:1-65643

Visual Library

Th. 5757.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA DE VITA, MORIBVS, REBVS GESTIS, STVDIIS AC DENIque morte Prædicantium Lutheranorum,

PHILIPPI MELANCHTHONIS.
MATTHIAE FLACII ILLYRICI.
GEORGII MAIORIS, ET
ANDREAE OSIANDRI.

Complectens ortum, progressum & incrementa, tum arcana plurima hactenus non prodita, omnium penè huius temporis hæresum.

Liber Collegij Societatis Jesv Paderbr Aº 1623.

AVTORE

Admodum Reuerendo & doctissimo Viro ac Domino, D. CASPARO VLENBERGIO Lippiensi, SS. Theologiæ Licentiato, D. Columbæ apud Vbios Pastore quondam vigilantissimo.

ANNO 1622.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BERNARDI GVALTERI, Ciuis & Bibliop. Colon.

AD LECTOREM.

MIRABERE fortassis, Lector beneuole, quid causæ sit, quod immutato consilio, Melanchthonem seorsim, & à Luthero seiunctum, nouo in publicum titulo, nunc producamus. Audi, & binas instituti huius nostri causas accipe. Alteram, quod ne si vno volumine complecterentur, crassitiem libri vix vsui fore, adeoq; commoditati tuæ, quẽadmodũ nũc vides, loco & modo, quibus velles, tam aptè non posse subseruire vereremur. Alteram verò eamq; præcipuam, quæ & eò nos maximè impulit, hanc esse nôris, quod inter Lutheranos non infimi subsellij, hoc iam dudum fulmen in Melanchthonem deuibrarint, vt transfugam (à se ad Caluinistas) propalã nuncupent, nec id honoris mereri contendant,

dant, qui Lutheri deinceps lateri adiungatur, à quo & viuo adhuc clanculum, & mortuo publicè, per nefarium schisma desciuerit. Illis ergo (ne istiusmodi sententiæ obluctari videremur) & tibi, hac disiunctione lubentes gratificari voluimus; qui seperatim cognitum, vel Lutheranis, vel Caluinistis, pro iudicio tuo accensere & adnumerare posses. Quod verò reliquorum trium, Osiandri nimirum Maioris & &Flacij res gestas, eius, Melanchthonis inquam, vitæ subiunxerimus, eò factum est, vt & iustum volumen habeas, & quæ inter Prædicantes post obitum Lutheri acta sunt, clarè videre, perfecteque addiscere queas. Ea verò istius generis sunt, vt non hîc inuenias, quod mireris tantùm, & legas, quod nusquam repereris; sed spectes etiã coràm, qui cominus coëant furore & odio calidissimos, eos præsertim, qui in religionis negotio dissidiorum, certaminum ac schismatum omnium penè, quæ hisce temporibus vigent, & Europam miserandum in modum perturbant, architecti Lutheranos inter Prædicantes primi celebrantur. De

quibus

quibus ne quid de noſtro finxiſſe videamur, ad ipſam te illorum hiſtoriam ſedulò ſerioque euoluēdam hoc proloquio noſtro inuitamus; ſi tamen prius eorum autorum, ex quorum libris non horum ſolum, ſed & Lutheri vitæ deſcriptio collecta eſt, & in ordinem redacta (præcipuorum tantum inquam, quibus vſum Vlenbergium arbitramur) nomina percurreris. Hæc ſunt, quibus te breuiuſcule admonitū voluimus. Raptim Anno M.DC.XXII. pridiè S. Mariæ Magdalenæ.

Arnoldus Meshouius Lippienſis
SS. Theologiæ Licentiatus.

INDEX AVTORVM.

ABrahamus Bucholtzerus.
Acta Synodica Lipsiæ & alibi sub Mauritio &c.
Andreas Osiander.
Colloquium Altenburgense.
Colloquium Lipsiense.
Colloquia aliquot publica.
Conradus Schlusselburgius.
Christophorus Pezelius.
Cyriacus Spangenbergh.
Daniel Greserus.
Dauid Chytræus.
Eobanus Hessus.
Erasmus Alberus.
Erardus Cellius.
Fridericus Staphylus.
Fridericus Myconius.
Georgius VVicelius.
Georgius Maior.
Georgius Celestinus.
Georgius Nigrinus.
Henricus Pantaleon.
Iacobus Andreæ.
Ioannes Cochlæus.
Ioannes Eccius.
Ioannes Sleidanus.

Ioan-

Ioannes Mattheſius.
Ioannes Scopperus.
Ioannes VVigandus.
Ioannes Faber.
Ioannes Gropperus.
Ioachimus Camerarius.
Ioachimus VVeſtphalus.
Laingæus.
Laurentius Surius.
Lucas Oſiander.
Ludouicus Lauatherus.
Martinus Lutherus.
Martinus Cruſius.
Martinus Froſcheinerus.
Marbachius.
Matthias Flacius Illyricus.
Nicolaus Selneccerus.
Nicolaus Ambsdorffius.
Paulus Seidelius.
Petrus Gnodalius.
Philippus Melanchthon.
Sebaſtianus Franck.
Tilmannus Bredenbachius.
Tigurini.
Vitus Vinshemius.
VVolffius.
VVittenbergenſes.

Reliquos autores habes in marginibus citatos.

APPRO-

APPROBATIO.

HISTORIA hæc de vita, moribus, rebus gestis, studijs ac morte Melãchthonis, Illyrici, Maioris & Osiandri, ab eximio & admodum Reueren. Domino, D. CASPARO VLENBERGIO Lippiensi S. Theologiæ Licentiato conscripta, cùm nihil quod fidei, veritatique & bonis moribus repugnet; plurima verò ad dignoscendas euitandasque superiorum & præsentium, quibus viuimus temporum, hæreses complectatur, typis exprimi & in lucem exire potest. Scriptum Coloniæ, An. 1622. 13. Iulij.

Henricus Francken Sierstorpffius,
S. Theolog. Doct. Gymn. Laur.
Regens, librorum Censor.

VITA

VITA ET RES GESTAE PHILIPPI MELANCHTHONIS

AB ORTV AD OBITVM vsque

AVTORE CASPARO VLENBERGIO Lippiensi.

CAPVT I.

I. *Natales & ingeniũ Philippi Melanchthonis.*
II. *Studia eius & linguarum cognitio, tum gradus litterarij.*
III. *Ab Elect. Sax. VVittenbergam euocatur ad profess. hum. liter.*
IV. *Lutheri partibus adiunctus Eccium perstringit ob colloqu. Lipsiense.*

HACTENVS Lutheri vitam & res gestas prosecuti sumus; & quidem paulò prolixius; quod is pater fuerit, & antesignanus omniũ eorum, per quos excitatum fuit superiore seculo luctuosum illud religionis incendium, quo iam multis annis Europa miserãdum in mo- ANNO 1497.

ANNO 1497.

dum conflagrauit. Huic nunc adiungemus è discipulis & socijs nonnullos, qui Lutheranæ sectæ populum in multas factiones distraxerunt; quorum actiones & mores breuius deinceps pertexemus. Inter eos verò facilè primus est Philippus Melanchthon, qui licet indole, moribus, ingenio, à Luthero multum dissidebat; erat enim à natura formatus ad humanitatem; in eandem tamen cum eo sententiam de religione coaluit.

Melanchthonis natiuitas & patria.

VVittēberg. in vit. Mel. b.1. Bucholtz. in Chron. ad an. 97. Henr. Pantal. Profes. pag. 3. fol. 191. in Mel.

Hic Brettæ natus est sub Electore Palatino, anno supra millesimum quadringentesimum nonagesimoseptimo, decimosexto Februarij post septimam vespertinam. Patrē habuit Georgium *Schvvarzerd*, qui Philippo Palatino fuit à seruitijs in custodia armamentarij; matrē verò Barbaram, Ioannis Reuteri Brettani prætoris filiam: A quibus litterarum studijs destinatus fuit, cum filiū animaduerterent excellenti præditū ingenio, quod & culturæ capax erat, & ad studia satis propensum. Cùm verò pater ministerio Principis occupatus frequenter abesset, filium, ne prima ætate negligeretur, socero commisit ciuitatis prætori, qui curam illius egit magno affectu. Nec enim in familiam modo recepit Philippum nepotem, fouitque benigne, sed & præceptorem illi adiunxit Ioannem Hungerum, qui puerum hunc in præceptis Grammatices & Musices instituit.

Eius ingeniū docile.

Vitus Vinsheimi⁹ apud Bism. in vit. Mel. q 2. Melch. Adam in Mel. pag. 327. Camerar. in vit. Mel p. 1.

Grāmaticę & Musicæ inuigilat.

Cum

Cum verò pater ipsius & auus nutritius anno 1508. paucorum dierum interuallo decessissent, ne quod in studijs caperet detrimentum, ad cognatam quandam missus fuit, Ioannis Reuchlini, viri illius doctissimi sororem. Ea habitabat Pfortzemij in ditione Marchionum Hochbergensium, vbi tum temporis Georgius Simlerus, VVimpinensis scholam feliciter aperuerat. Agebat, cum Pfortzennium mitteretur Philippus, annum ætatis vndecimum. Accidit verò, vt Ioannes Reuchlinus, quem diximus, sororem suam nonnunquam inuiseret: Cumque videret puerum, &, quas illi natura dederat ingenij dotes animaduerteret, sponte sua currentem admonitionum calcaribus incitauit, vt diligenter pergeret in studijs, quam ad rem quibusdam eum munusculis fecit alacriorem. Inter cætera mytram illi doctoralem puniceam dono dedit, quam in Italia susceperat: tum libellos quosdam; imprimis præcepta Grammaticæ græcæ, quæ id temporis inter paucos erant in vsu. Cœpit tum Melanchthon eodem loco frequenter operam dare cuidam Ioanni Hiltebrando linguæ græcæ perito: Apud quem cum satis feliciter illius linguæ prima fundamenta imbiberet, & magnam adhiberet in eo studij genere diligentiam, Reuchlinus, vt denuo

ANNO 1508. II.

Anno 1508. Pfortzemium mittitur. *Camer. f. 7. Mel. tom. 3. expl. Euang. pag. 803.*

Eius cognatus Ioan. Reuchlinus.

Honoratur munusculis. *Vitus orat. de Mel. q. 3. VVittenb. in vit. Mel. b. 2.*

Græcæ linguæ incumbit.

ANNO 1509. calcar adderet, lexicon illi græcum promisit; eâ conditione tamen, vt vbi Pfortzemium reuerteretur ipse, Philippus versus aliquot offerret à se compositos. Ita factum est, vt in poesi græcisque litteris multum operæ poneret, eosque breui faceret progressus, vt in iuuentute Comœdiam quandam scriberet, quam, assumptis socijs, Reuchlino spectandam exhibuit honoris causa. Atque hic suasor illi fuit, vt patris cognomentum, quod latinè nigram terram sonat, græcè verteret, seque deinceps Melanchthonem appellaret. Cæterùm in hoc studij genere Pfortzemij mansit ad biennium. Tandem profectus fuit Heidelbergam anno Christi millesimo quingentesimonono; cumque in ea Vniuersitate Philosophicis studijs aliquandiu nauasset operam, anno sequente Baccalaureatum suscepit. Adiunxit verò studium poetices & historiarum fabularumque lectionem, quâ magis delectabatur, quam spinosis illis de Philosophia disceptationibus.

Comœdiã exhibet. *Camer p. 9.*

Cognomẽ mutat.

Anno 1509 Heidelbergæ fit Baccalaureus.

Interim Ludouicus Comes Liebenstei-
nius duos illi filios bonis litteris imbuendos commisit: quibus dum præfuit, lectiones audiuit in Philosophia necessarias ijs, qui magisterij lauream petunt. Scribit Melanchthon ipse, se Philosophiam celeriter percepisse vel exhausisse potius; quanquam ipsi præceptores, quæ tradebant in hoc genere, non intelligerent. Absoluto verò curriculo, quod pro more illius vniuersitatis à baccalaurea-

Vitus Vinsh. q. 3 de Mel. Pędagogio præficitur.

In ep. fo. 142

laureatu reliquum erat, magisterij gradum petijt. Tum verò deliberatũ fuit inter Professores, an esset ea ætate adolescens ad magisterij gradum admittendus? Quod cum intelligeret in dubium vocari, offensus Heidelbergâ discessit anno 1511. & ad Tubingensem Academiam profectus publicè disputauit aliquoties in scholis Philosophicis, suique profectus in hoc studiorum genere, atque eruditionis insigne specimen dedit: atque istic anno Christi 1514. 25 Ianuarii ætatis verò decimosexto, magisterii lauream susscepit: quem gradum cum adeptus esset, poetices & historiarum professionem obiuit, vsque ad annum 1518. quo VVittenbergam fuit auocatus vt paulò post dicemus.

ANNO 1511. Magisterij lauream petit. Anno 1511.

Eam Tubingę consequitur. Anno 1514. *Erard. Cellius in orat. de vit Ioan. Brent pag. 4*

Interim verò, Tubingæ & typographo cuidam Thomæ Anselmo locauit operam suã, vt libros typis illius excudendos perlegeret de more, & ad limam reuocaret. Is verò labor vtilissimus fuit Melanchthoni, & iudicium illius in bonis litteris non parum confirmauit. Excudebatur id temporis Ioannis Naucleri Chronicon, quod redigendum illi fuit in ordinem, & cum sacris litteris conferendum. Per hanc occasionem affectum induit in S. Theologiæ studium, & litteras sacras lectitare cœpit. Interim & Hebraicæ linguæ nonnullam dedit operam: Quod vt faceret, Reuchlini cohortatione motus fuit, qui codices illi ad Hebraicæ Græcæque linguæ studium necessarios

Locat operã suam Typographo.

Naucleri Chronicõ examinat. *VVitt b. 3. Mel. Ad. Siles. in vit. Mel. p. 186.*

Theolog. & Hebraicæ linguæ incumbit.

ANNO 1517. III.

suppeditauit, & eidem typographo librum suum de verbo mirifico dedit excudendum.

Sub hoc tempus Fridericus Elector Saxoniæ multum laborabat, vt Vniuersitas, quã, anno 1502. VVittenbergæ primum erexerat, in omni studiorum genere floreret. Desiderabat verò græcæ linguæ professionem: qui politioris litteraturæ studium in Academia noua feliciter excitaret: Qua de re litteras ad Reuchlinum dedit, hominem ob græcæ hebraicæque linguæ cognitionem id temporis apud omnes celebratum. Hic Melanchthoni autor fuit, vt professionem hanc in Academiâ VVittenbergensi susciperet: quod cum non difficulter persuasisset, Electorem Fridericum in eâ de re per litteras certiorem fecit. Id fuit anno Christi 1517. quo Lutherus Indulgentias oppugnare cœpit, & Ecclesiæ turbandæ fecit initium.

Electoris litteræ ad Reuchlinũ *Camer. fol. 24. 25.*

Anno 1517. Wittenbergam inuitatur. *Vitus orat. de Mel q. 4.*

Interim Vlricus VVirtenbergensis Dux, cum Melanchthonem auocandum intelligeret, vt Tubingæ retineret iuuenẽ hunc, Ecclesiasticum illi beneficium obtulit: ad matrem quoque Melanchthonis viduam litteras dedit, monuitque vt filij animum hanc in partem flecteret. Verùm ille, cum alienus esset ab Ecclesiastico vitæ genere, conditionẽ hanc repudiauit, & VVittenbergam, anno sequente 1518. profectus, operam suam locauit Electori, atq; in ea Vniuersitate bonas litteras, græcas imprimis, multorum cum applausu docere cœpit.

Studium Wirtẽbergici in Melanchth. retinendo. *VVittẽberg. in vit. eius f. 4.*

Cùm

Cùm Tubinga VVittenbergam proficiscereturin itinere Norinbergam venit; vbi cum VVilibaldo Pirckheimero viro nobili, atque eruditionis nomine multum celebrato amicitiam iunxit. Venit & Lipsiam, ibique Petrum Mosellanum litteris humanioribus insigniter excultum salutauit. Dum isthic moraretur,honoris causa conuiuio fuit exceptus in Collegio quodam istius Vniuersitatis præcipuo; & magnificè quidem.Quoties enim nouum fuit appositum ferculum, prodijt vnà quispiam, qui Melanchthonem oratiuncula quadam compellauit. Ille semel atque iterum respondit pro re nata. Cùm verò fercula multiplicarẽtur,Melanchthon, Obsecro vos, inquit, viri clarissimi, patiamini me auditis orationibus cunctis ita demum semel respondere. Nam re improuisa non accessi ad toties dicendum necessaria varietate instructus : Hoc sermone factum est, vt illæ tam crebræ compellationes demum omitterentur.

ANNO 1517.&18. Norinbergã venit. Inde Lipsiam.

Ab vniuersitate conuiuio excipitur.

Anno 1518.

IV.

Venit autem VVittenbergam ad vigesimumquintum Augusti, cum annum ætatis vigesimumsecundum ingressus esset;Lutherus,cum excellenti præditum ingenio, & in litteris humanioribus diligenter versatum animaduerteret,magni fecit Melanchthonẽ, eumq; cõtinuò partibus suis adiunxit:Quod non fuit admodum difficile; cum iuuenis esset,& iã ante iuuenili quadã temeritate lectis Lutheri lucubratiunculis satis sua sponte

Wittenbergam venit. A Luthero fascinatur. *Luth.tom. 1. ep. pag. 81 b. ad Spalat. Vitus R. 1.*

ANNO 1519. Fastidit scholasticos Theologos.

istuc propenderet. Igitur professionem suam ad eum modum obiuit, vt cum litteris humanioribus. Theologiæ Lutheranæ studium coniungeret, & studiosos auocaret à lectione scholasticorum Theologorum, quos ipse velut barbaros fastidiebat.

Anno 1519. Ad Lipsicũ certamen abit. *Vide in vit. Luth. Vitus Orat. de Melanch. v.1.*

Anno sequente 1519. cum Lutherus & Carlostadius mense Iulio Lipsiam proficiscerentur, vt de dogmatibus quibusdam controuersis cum Ioanne Eccio in arenam descẽderent, Melanchthonem duxerunt secum: qui cum ex disputationis illius successu VVittenbergensium honori metueret, simulatque concluſa fuit disputatio (quod tandem decimoquinto Iulii die factum est) epistolam scripsit ad quendã Lutheranæ factionis anonymum, quæ statim typis diuulgata fuit. In ea perstringit Eccium paulò liberius, eiusq; in disputando vehementiam, tum dicta quędam parum benignè interpretatur. Effudit Melanchthon epistolium hoc præcipitanter, iuuenili quodam impetu concitatus, scilicet vt consuleret autoritati suorum VVittenbergensium, & famam anteuerteret, quæ constanter Eccio victoriæ palmam tribuebat. Vidit, priusquam Lipsia discesset, Eccius epistolium istud, editoque scripto valdè breui, quod vigesimoquinto Iulii conceptum fuit, ad ea respondit, quæ Melanchthon obiecerat: quẽ ille veluti grammatellũ ad scholasticos pulueres ablegat, parũ afferens idoneum, cum quo Theologus de re Theologica congre-

Perstringit Eccium

Eius victoriã obscurare nititur

Melanchthon grammatello similis.

congrediatur. Expleuerat vigesimum secũdum ætatis annum, cum Eccium sugillaret Melanchthon. Itaque temeritatem imprimis & iuuenilem arrogantiam in eo reprehendit Eccius, quod cum grammaticus esset & iuuenis, nec causa hæc ad ipsum pertineret, iudicis vsurparit officium, & sententiam velut pro tribunali sedens pronunciarit. Parisienses, ait, delectos esse iudices vtriusque partis cõsensu, qui suo tempore rationibus examinatis, quod æquum fuerit in hac causa sint pronunciaturi.

ANNO 1519. *Tom. 1. op. lat. Luth. p. 338. Mel. tom. 5. declamat pag. 278.* Parisienses iudices colloquii Lipsienſis.

Offensus hac increpatione Melanchthon, cõtinuò scriptum apologeticum emisit, quo se factumque suum tuetur, vt potest. Imprimis vero S. Patres in hoc scripto iuuenili temeritate reuocat ad censuram, eosque dum scripturas explicant, variare sententias asserit, & affectu raptos in sensum impertinentem, liberrimè sacris litteris abuti. Quin & frequenter eos errare dicit. Quæso, inquit, “ quoties lapsus est Hieronymus? quoties Au- “ gustinus? quoties Ambrosius? Nec enim tam “ ignoti mihi sunt, vt non hoc liberè ausim di- “ cere: Imò fortasse notiores aliquãto sunt mi- “ hi, quam Eccio suus Aristoteles. Hæc Melanchthon, vt dilueret obiectam rerũ Theologicarum ignorantiam, seque non grammaticum, sed Theologum esse demonstraret, nec adeò crassum, quin cum theologo de rebus Theologicis in congressum venire possit. Cæterùm, vt vindicaret, quam sibi factã

Apologeticº Melach. *Tom. 1. oper. lat. p. 336. extat.* S. Patres censuræ subiicit.

ANNO 1519. Poëtastras in Eccium concitat.

putabat iniuriam, poetastrorum & litteratorum gregem in Eccium concitauit, qui contumelijs, sannis scurrilibus, & rhonchis exceptum insignem Theologum petulanter exagitarunt. Quod deinceps solẽne fuit istius factionis hominibus: Vt nimirũ Theologis eruditione atq; pietate pręstantibus, qui Lutheri machinationibus obsistebant, sese petulanter obijcerent, morionum & scurrarum instar, eosque sparsis pasquillis, famosisque libellis apud omnes in odium & cõtemptum adducerent: Quibus Melanchthon etiam, vt erat litterator & poëta non inelegans, primis annis sese coniunxit.

CAPVT II.

I. *Nuptias celebrat, proq; Luth. in Pariſ. apologiam edit.*

II. *Theologus ex Grammatico factus epistolam D. Pauli ad Rom. priuatim enarrat, illustratq; cõmentario, cum locis communibus.*

III. *Iudicium Lutheri de hoc genere comm.*

IV. *A Luth. in publicum emittitur cum præfat. in SS. Patres iniuriosa.*

I.

Anno 1520. Nuptias celebrat.

CVM autem pro insigni suo in Lutherum affectu VVittenbergę pedem figere decreuisset, de vxore ducenda cogitationẽ suscepit. Itaq; an. 1520. 25. Nou. virginem quãdam Catharinã Crappinam Consulis VVittenbergensis filiam matrimonio sibi iunxit, eaque domum ducta, deinceps familiam alere cœpit. Nondum impleuerat annum ętatis

Camer. de Mel. p. 36.

vige-

vigesimum quartum cum matrimonio sese illigaret. Quod cum factum mater ipsius intelligeret, offensa nonnihil viro se denuò coniunxit, postquam annis duodecim integris ab obitu mariti vidua perdurasset, expectans nimirum, quod vitæ genus filius eligeret. ANNO 1521. *Mel. de mel. pag. 190.*

Anno deinde sequente proximo, qui vigesimus primus fuit supra millesimũ quingentesimum, cum Parisienses Theologi Lutheri doctrinam assertionibus quibusdam cõprehensam more scholastico condemnassent, accensus zelo Melanchthon in arenam prosilijt, & veteranis Theologus nouus maritus iuuenili ardore concitatus petulanter insultauit, edito libello, cui titulum fecit: Aduersus furiosum Parisiensium theologastrorum decretum, Philippi Melanchthonis pro Luthero apologia. Hæc altera fuit in Catholicos ipsius machinatio, quæ magnum illi nomen peperit apud Lutheranos. Vnde deinceps quidem, licet grammaticus esset, & humaniorum litterarum professor, tamen in rebus Theologicis iudicium illius existimatum fuit magni momenti. Ann. 1521. Edit Apologiam pro Luth. in Parisienses. *Luth. tom. 2. lat. V Witt. pag. 202. Mel. tom. 2. p. 82.*

II. Theologiã profitetur.

Cæterùm vt reipsa diluceret, quam Eccius obiecerat rerum Theologicarũ ignorantiã, post disputationem Lipsicã & sacras litteras priuatim docere cœpit collecto discipulorum cœtu; quibus epistolam D. Pauli enarrauit ad Romanos scriptam. Priusquam verò eam odiretur, proœmij loco communissimos rerum *In præf. loc. comm. 1. edit.*

ANNO 1521.

rerum Theologicarum locos dictauit, methodica ratione digestos, quos Theologiæ studiosis ad intelligendã Apostoli mẽtem vsui futuros dicebat. Hãc lucubratiunculam è discipulis quidam autore non consulto typis diuulgarunt; quam anno sequente 1521. reuocauit ad incudem, & additamentis quibusdam auctam denuò publicauit sub hoc titulo: Loci communes rerum theologicarũ, seu, Hypotyposes theologicæ. Vniuersam verò Lutheranæ Theologiæ summam hoc scripto complexus est, quam in eo succinctè, breuiter; & vt politioris litteraturæ studiosos inescaret, stilo ad elegantiam perpolito distinctam in capita tractauit. Mirum verò, quam auidè libellus hic à Lutheranis exceptus fuerit: quem continuò Georgius Spalatinus in germanicam linguam transtulit, scilicet vt omnium etiam vulgi manibus tereretur. Placuit ijs maximè, quibus Lutheri summa intemperies & tumultuosa scribendi ratio displicebat. Licet enim Melanchthon eandẽ prorsus cum Luthero sententiam tuebatur, stilum tamen temperabat nonnihil ad modestiam, nec, vt ille, tanto cum impetu rem gerebat. Quo factum est, vt quos Lutheri inaudita conuitiandi rabies, & canina mordacitas à nouatorum consortio deterrebat, in horum animos Melanchthon, qui mitior videbatur & benignior, elegantioris stili & blandiloquentiæ cuiusdam illecebris captos, suauiter influeret. Nec dubium est, quin hac

Eius Loci communes in sacras litteras.

Stilus elegans.

hac strophâ multos è litteratorum numero huic factioni conciliarit, qui humanitatis atque elegantioris stili lenocinio quodam illecti Lutheranis se partibus adiunxerunt. ANNO 1522.

III. Luth. de eo iudicium.

Quod cum Lutherus ipse non ignoraret, Melanchthonem summis extulit laudibus, velut hominem, cum quo nec D. Thomas Aquinas scholasticorum primus, nec Hieronymus & Origines Patrum doctissimi veniant comparandi. Certè libellum hunc de locis communibus, quem ætatis anno vigesimo tertio Melanchthon cõcepisse videtur, prorsus inuictum censuit Lutherus, tantique fecit, vt non immortalitate modo, sed & Ecclesiastico canone dignum iudicaret; scilicet vt eandem haberet cum propheticis apostolicisque scriptis autoritatem. Totics verò postmodum recoctus fuit & mutatus, tot auctus incrementis, vt cum tenuis esset initio, paulatim in magnum volumen excresceret, in quo Melanchthon de summis quibusdam Christianæ fidei dogmatis, de prædestinatione, de peccato, de libero arbitrio, de sacramentis, ea iuuenis asseruit, quæ maturior & senex velut hæretica damnauit.

Lib. de seruo arbit. contr. Erasmum. Seln. recit. 4. p. 62.

Loci communes augentur indies.

IV. Ann. 1522. Commentarius eius in Epist. ad Rom. à Luth. excuditur.

Cæterùm cum ann. 1520. priuatim scriptam ad Romanos epistolam explicaret, quædam in eam commentatus est, quæ Lutherus, vbi vidit, planè censuit in publicum emittenda. Itaq; cum Melanchthon frequenter interpellatus non ederet hæc commentaria, Lutherus ipse typographis ea dedit excuden-

ANNO 1522. cudenda;atq; hunc fętum addita præfatione Melanchthoni tanquam verò parenti dedicauit. Iraſcere,inquit, & noli peccare,loquere ſuper cubile tuũ,& ſile. Ego ſum,qui has tuas annotationes edo,& teipſum ad te mitto.Si tibi ipſi non places,rectè facis;ſatis eſt, dum nobis places. Ex tua parte peccatũ eſt, ſi quid hic peccatum eſt.Cur non tu ipſe ediſti? Cur toties me fruſtrà rogare, mandare,& vrgere paſſus es,vt ederes? Paulò poſt: Ego quod impij Thomiſtæ ſuo Thomę mẽdaciter arrogant, ſcilicet neminem ſcripſiſſe melius in S.Paulum,tibi verè tribuo. Quin amplius irritare volo naſutos iſtos , & dico Hieronymi & Origenis cõmentaria eſſe meras nugas & inneptias, ſi tuis annotationibus comparentur.Iterum poſt pauca: Sola ſcriptura,inquis, legenda eſt citra commentaria. Rectè de Hieronymo, & Origene, & Thomâ, hisq; ſimilibus dicis. Commẽtaria enim ſcripſerunt,in quibus ſua potius, quam Paulina & Chriſtiana tradiderunt. Tuas annotationes nemo commentaria appellet, ſed indicem duntaxat legendæ ſcripturę & cognoſcendi Chriſti:Id quod nullus hactenus prę-ſtitit commentariorũ,qui ſaltem extet. Nam quod tu cauſaris,nec tibiipſi per omnia ſatisfactũ tuis annotationibus,labor eſt ante me, vt tibi credam.Sed ecce,credo,non ſatisfeceris tibiipſi. Neque hoc quæritur, nec petitur abs te:Quin volumus Paulo ſuam quoq; gloriam ſaluam,ne quãdo iactet aliquis, Philippum

Eius præfatio.

Calumniæ eius in S.Doctores.

pum esse Paulo superiorem, vel æqualem: sufficit te proximum Paulo esse. Hęc Lutherus an. 1522. 29. Iulij, qui in eadem præfatione insinuat, Melãchthonem iam tum in Genesim in Matthæum, in Ioannem quædam commentatum, quæ furto se minatur ablaturum, editurumque, nisi conatum hunc ipse præueniat. Quod autem tam immodicè Melanchthonem extollit, dum patribus eũ præfert in vniuersum omnibus, & post D. Paulũ constituit loco proximo; quin & Canone digna eum scribere definit, id prensandi causa factum est, vt hominem eximeret è cœlestiũ prophetarũ vel Enthusiastarum fraudulẽtis laqueis, quos anno 1521. per Carlostadium, alios q; nonnullos de fanaticorum grege circumuentus induerat. Ea res, quomodo gesta sit, breuiter hoc loco venit inserendum.

ANNO 1522.

Causa laudis tam immodicę.

CAPVT III.

I. *VVittenbergæ noui motus & sectæ inter Luth.*
II. *Missa & reliquus relig. cultus, vnáq; literarum studia abrogata, autore Carlostadio & Melancht.*
III. *Tumultuum autoribus per Luth. repressis, restituta literarum exercitia.*
IV. *Melanchthon in patriam abit. eius Heidelbergæ cum Nausea & inde cum Landgrauio colloqu. cum obseruato in via augurio.*

ANNO 1521. dum Lutherus VVormatiã euocatur per Cęsarem, & postmodũ in Thu-

L

ANNO 1522.

Thuringia latitans abesset, fanatici quidam homines, quorum id temporis ferax erat Lutheranismus, VVittenbergæ nidificarūt.

Fanatici nidificant Wittenbergæ.

Horum primus erat Nicolaus quidam Pelargus, cui Marcus Zvviccauius sese coniunxit tanquam præceptori, quem vti virum Dei & prophetam venerabatur. Et Pelargus quidem passim oberrabat incertis sedibus:

à Zvviccauio demētatur.

Zvviccauius autem, qui VVittenbergæ pridem studijs operam dederat, in Melāchthonis se familiaritatem insinuauit, à quo & hospitio receptus fuit, & humaniter habitus. Erat is homo magni supercilij, callidus interim & vafer, qui de apparitionibus diuinis, deque mysteriorum, quæ dicebat sacris litteris abdita contineri, præcipua quadam intelligentia gloriabatur. Et quia Melanchthoni familiaris erat, factum est, vt VVittenbergæ quosdam è doctioribus, nugis suis dementatos, ad factionem istam adiungeret: Inter quos Martinus Cellarius homo non indoctus, & Andreas Bodenstein, Carlostadius primi nominis fuerunt; cum quibus & Melanchthon cōsusurrauit. Nam & hic, quia curiosus erat, & iuuenis in omnem partem paulò facilior, ex hospitis sui Zvviccauij quotidiano consortio Enthusiasmo nonnihil imbutus, ad nouam hanc factionem propendebat.

Camerar. in Mel. pag. 44. & seq.

II. Missa Wittenbergæ aboletur.

Sub hoc tempus accidit, vt Augustiniani VVittenbergæ Missam abolerent; idq; Luthero quidem absente, sed conscio tamen, &

non

non improbante factum; quod Electori Friderico vehementer displicuit. Quia verò ex hac suorum temeritate Princeps circumspectus maiora metuebat incõmoda, per quosdã ab Vniuersitate delectos factum hoc Augustinẽsium examinari iussit, & quibus motiv rationibus Missam abrogarint, ad se perscribi. Inter hos fuit & Melanchthon, qui vnà cum cæteris Missam iure censuit abolitam; atque Electori autor fuit, vt quod VVittenbergæ cœptum erat, hoc ipsum & alibi per ditiones suas omnes exequeretur. Abrogata Missâ, quidam longius progrediendum rati & alia nonnulla, quæ minimè placebant sub abusuum nomine mutanda censuerunt: Quæ res peracta fuit, auctore atque incentore Sathana; quemadmodum Lutherus ipse postmodum iudicauit. His ducem se præbebat & antesignanum Andreas Carlostadius, ad quem velut Archidiaconum rerum Ecclesiasticarum cura pertinebat; cui Melanchthon alijque nonnulli, cùm in consilium adhibiti essent, non grauatim assenserunt. Eijciebant è templis imagines; Eucharistiam laicis porrigebant manu contrectandam, antequam sumerent; omittebant & confessionem delictorum; suadebant esum carnium diebus ab Ecclesia vetitis; sacerdotibus & apostatis publicè mulieres copulabãt sub matrimonij nomine: causas in foro non ex legibus Romanis dijudicari volebant, sed ex lege Mosis; ideoq; nõ suspendi fures oportere,

ANNÕ 1522.

De facto hoc Melanchth. iudicium. *Mel. consil. Theolog. Ann.* 1522. *Sleid. li.* 3.

Carlostadij vesania.

Chytr. in Sax. f. 280.

Eius conatus & dogmata.

ANNO 1522.

sed dupli quadruplive pœna mulctari dictitabant: Gradus promotionum academicos, philosophiam, humanas disciplinas & studia litterarum aspernabantur; nihil præter sacra Biblia legendum asserebant; nec alio pane vescendum, quam in sudore vultus per manuum laborem acquisito. Hæc Carlostadius absente Luthero multis persuaserat, qui per hominem istum fascinati relictis studijs ad stiuam, ad agriculturam, ad opificia mechanica diuerterunt. Melanchthon etiam à Carlostadio alijsque dementatus tantum imbiberat fanatici spiritus, vt velut ebrius vehementer nutaret. Sunt, qui eò dementiæ progressum scribant, vt abdicata professione, relictoque litterario vitæ genere pisturam meditaretur; ne scilicet aliũ panem comederet, quam manuum labore comparatum.

Disciplorum illius dementia.

Colloq. Altenb. in 4. fol. 404. Cochl. in Act. Surius in comm. in vita Luth. cit.

III. Reprimũtur Enthusiastæ à Luth.

Dum ad hunc modum insaniunt & tumultuantur isti, Lutherus in castro VVartbergensi latitabat: Monitus verò per suos de fanaticorum conatibus, deq; periculo quod imminere videbatur ab ista factione, Principis Electoris iniussu, imò, contra voluntatem ipsius, VVittenbergam reuersus est sub initium quadragesimæ, & habitis ad octiduum quotidianis concionibus Enthusiastarum machinationes, facto in eos impetu repressit; qua de re in vita Lutheri diximus. Et quidem Pelargus, Cellarius, Carlostadius, cũ non discederent ab instituto, sed Luthero se per-

Cedunt Wittenbergâ.

se pertinaciter obijcerent, cedere paulatim sunt coacti. At Melanchthon, alijq; nonnulli per Lutherum ab Enthusiasmo deterriti, quicquid hauserant vertiginosi spiritus, rursus euomuisse dicuntur. ANNO 1522.

Interea verò, quia malum hoc in multorum animis radices egerat, nec studia floruerunt admodum, & à gradibus academico more conferendis aliquamdiu cessatum fuit. Lutherus interim, licet à reditu durius tractabat fanaticos istos, Melanchthonẽ tamen, quem diligebat vnicè, blandimentis quibusdam retinendũ putauit, ne per spiritum vertiginis abreptus Carlostadium sequeretur, seque factioni cœlestium prophetarum adiungeret. Nec infeliciter cessit ista prensatio: Melanchthon enim, posteaquam semel à fanaticorum consortio discessit, id genus homines porrò detestatus est, seq; Luthero velut Achatem in solidum adiunxit: quem admirabundus non vt præceptorem modo, sed etiam vt patrem, vt prophetam & Apostolũ, vt virum Dei coluit, eumque vicissim summis laudibus euexit: vt mutuum scabunt muli: Quanquam hæc coniunctio perpetua non fuit, vt infra suo loco dicemus. Cæterùm turbatis eorum consilijs, qui bonas litteras & philosophiam in cõtemptum adduxerant, Melanchthõ à vesania restitutus, anno 1522. orationem habuit exordij loco, cùm professionem ordiretur, in qua principio monuit studiosos, vt ad studia sese bonarum

Studia Wittenbergæ exulant.

Melanchthon à Luthero reuocatur.

Eius de Luth. iudicium.

Studiosos ad litteras reuocat.

ANNO 1524. artium diligenter adiungerent: deinde viam ostendit & rationem, quam secuti iusta capere possent studiorum incrementa. Illos verò grauiter reprehendit, qui prætextu pietatis omnes bonas litteras, omnem humanitatem contemnunt, quos feritate Vrsos, impietate verò Turcas & Epicureos superare dicit. Quanquam verò Melanchthon à Luthero monitus resipuit; tamen augescente per Germaniam indies Enthusiastarum numero, scholæ paulatim collapsæ sunt, studia viluerunt magis magisque; artes contemptui fuerunt habitæ, & in Vniuersitatibus alijsque gymnasijs magna fuit solitudo. Mouit ea res Lutherum, vt anno 1524. Scriptum ederet ad magistratus ciuitatum in Germania, de scholis constituendis, & instaurandis bonarum artium studijs: scilicet, vt à se suaque doctrina infamiã huius contemptus remoueret. Hunc libellum Melanchthon latinè redditum studiosis addita præfatiuncula dedicauit, quos sollicitè rogat, vt Lutheri iudicium secuti humanitatis & litterarum studia magni faciant, & publicæ necessitatis causa, rem litterariam strenuè tueantur: Execrandos asserens modis omnibus, qui superstitione ducti descisc̃at à litteris, & ignauiæ suę religionem prætexant. Imò vt reipsa demonstraret, se linguarum & bonarum artium studia, quanto posit conatu, deinceps à contemptu vindicaturum, ipse conscripsit artiũ præ-

Ann. 1524.

Solitudo Vniuersitatum.

Luth. scriptũ de scholis restituendis.

In præf. libelli, de scholis Constit.

In illud Melanchth præfatio.

præcepta, grammatices vtriusque latinæ & græcæ, Dialectices & Rhetorices: quo factum est, vt contractam Carlostadianæ deliberationis maculam paulatim elueret. ANNO 1524. Præcepta humaniorum artiũ scribit.

Eodem anno, quo libellus iste prodijt de scholis instaurãdis, cupido Melanchthonem incessit visendi patriam: cui se comites adiunxerũt Gulielmus Nesenus Belga, & Ioachimus Camerarius Bambergensis, quibus arctissimæ familiaritatis vinculo iunctus erat. IV. *Camer. in vit. Mel. fol. 95.* Vbi Lipsiam venit, agonizantem reperit Petrum Mosellanum, quem eodem die, quo ciuitatem ingressus est, & salutauit cum socijs, & rebus humanis exemptum luxit. Patriam suam inuisit. In patria moratus est aliquamdiu; cumque rebus isthic confectis, ad suos esset rediturus, Heidelbergam venit ex itinere, vbi Hermannum Buschium poetam, maturâ iam ætate senem, iuuenis ipse salutauit: à quo perhumaniter exceptus fuit. Quin & professores Heidelbergenses Academiæ nomine honorem exhibuerunt Melanchthoni, eique studium omne suum & officia prolixè detulerunt. Ab Heidelbergensibus excipitur. Offendit istic & Campegium Cardinalem, Legatum Pontificis; qui quendam è suis, Fridericum Nauseam, ad Melanchthonem misit, vt colloquium cum illo de controuersijs ingressus, quænam ipsius esset sententia, certius exploraret, eumque suauiter à Lutheri aliorumque Nouatorum consortio dehortaretur. à Campeg. ad colloquium inuitatur. Fecit hoc Nausea quidem; sed frustrà laborauit; quandoqui-

ANNO 1524.

dem ille iam se totum Lutheri partibus addixerat. Cùm deinde ventum esset Francofurtum, haud procul ab vrbe Melanchthoni occurrit Philippus Hassiæ Landgrauius, acri ac viuido ingenio princeps, qui tum quidem vigesimum ætatis annum nondum compleuerat. Ibat autem Heidelbergam, ad ludicrũ certamen quorundam principum, qui numero tredecim istic Conuĕturi dicebantur. Hic per suos admonitus compellat Melanchthonem, eiq; persuadere conatur, vt itinere conuerso secum illa nocte permaneat; esse quædam, de quibus cum illo venire cupiat in colloquium. Excusat se Melanchthon, & verbis vltro citroque commutatis, eâ conditione dimittitur, vt de quæstionibus, quas obiter mouerat princeps, scripto responderet.

A Landgrauio ad hospitium inuitatur.

Melanchthon se excusat.

Accidit in hoc itinere, cũ ex oppido quodam Hessorum Træsâ mane se daret in viâ, & cum socijs amnem ciuitati vicinum peteret aquationis gratia, vt in colle quodam nõ procul disito tres coruos conspicerent plaudentes alis, Crocitantes atque gestientes instar tripudiantium Quærit Nesenus ex Melanchthone, quid existimet hoc augurio portendi? Ille, quid aliud, inquit, quam vni ex tribus nobis propinquam mortẽ? Erat Melanchthon curiosior in his rebus, & augurijs, somnijs, tum astronomicis obseruationibus plusculum tribuebat. Nesenus verò risit tum quidem Melanchthonis augurium: At paulò post, cùm VVittenbergam reuertissent, in

Prodigiũ, deque eo Melanchthonis opinio.

Camer. pag. 98. 99.

Melanchthõ augurijs deditus.

in Albi submersus perijt. Traiecturus fluuium, animi gratia, trunco latentis arboris Scapham impegit; quæ cum vacillaret in alterum latus impulsa, Nesenum dedit præcipitem. Paulò ante, quam deambulatum exiret, à prandio paululum cõsopitus, Scapham per somnium agitari vidit, seque excussum in flumen mergi. Narrauit hoc Melanchthoni priusquam egrederetur domo, ridens somniorum vanitatem; & non diu post eodem die nauigio excusus perijt, vti diximus.

ANNO 1524.

Nesenus submergitur.

CAPVT IV.

I. *Lutheri nuptiæ, Melanchthone Norinbergam euocato.*

II. *Defectio Landgrauij à fide Catholica; vbi & de origine Mollium Lutheranorum & bello Sacramentar.*

III. *Negotia Melanchthonis cum Visitatione Saxonica.*

IV. *Iudicium & querelæ Lutheranorum & Catholicorum de Visitatione hac.*

I.

ANNO deinde sequẽte 1525. qui Germaniæ luctuosus fuit suprà modum, mense Maio Lutherus & Melanchthon ab Erphordiensi senatu vocati fuerũt per litteras, vt Vniuersitatem iniuria temporũ penè collapsam restituerẽt in statum pristinũ, & studia rursus excitarẽt. Feruebat iam tum motus rusticanus, erantque plena tumultibus omnia:

Ann. 1525. Erphordiã vocatur Melanchthon. *In ep. Eob. Hessi, l. 5. f. 3.*

ANNO 1525. omnia: quo factum est, vt hoc vniuersitatis restaurandæ consilium, tum quidem in aliud tempus suspenderetur.

Cæterùm in medio armorum strepitu, adeoque in publico totius Germaniæ luctu, dum ferro, flammis, cædibus passim omnia vastabantur, Lutherus procum egit, & illicitis amoribus indulsit. Tandem mense Iunio nobilem quandam Catharinam Boræam, quæ ante biennium è monasterio Nimicensi cum alijs quibusdam noctu profugerat, sub matrimonij nomine sibi copulauit. Ea res secretò peracta fuit, paucis præsentibus ad vndecimum Iunij diem. Deinde post concubitum sub finem eiusdem mensis, postliminio nuptiale conuiuium instituit, vt incestas nuptias, & periurij turpitudinem publica solennitate honestoque titulo velaret. Quod ipsius factum Melanchthoni summum attulit dolorem, & reliquis etiam Lutheranis prudentioribus vehementer displicuit.

Luth. incestæ nuptiæ.

Ioan. Faber in Ortod fidei defens. cont. Pacimontan. fol. 61. 62.

Displicent Melanchthoni.

Neque verò Lutheri gaudium tam fœdè lasciuientis diu sine doloris aculeo fuit. Postquam enim peractæ fuerunt nuptiæ, mœror quidam animum illius occupauit ex morsu conscientiæ, quòd cum monachus esset, voto perpetuæ castitatis adstrictus, virginem Deo consecratam cum offensione bonorum omnium incesto concubitu temerasset; atque id eo quidem tempore, cùm publicus rerum status ieiunia, preces, cilicia, saccos

Camer. in vit. Mel. p. 108.

Morsus cõscientiæ Lutheri.

saccos; cineres, & cõiugatorum castimoniam potius, quam incestuosos huiusmodi concubitus, ad placandum diuini numinis furorem, postularet. Hæc itaque cogitatio Lutherum ita turbauit, vt angorem conscientiæ, & cõceptum ex eo mœrorem animi dissimulare non posset. Quod cum Melanchthon animaduerteret; licet & ipse factum improbaret, vti diximus, dissimulato tamen dolore, quem ex eo ceperat, Lutheri tristitiam leuauit hilarioribus colloquijs, vt erat facetus, & conceptum è conscientiæ puncturis mœrorem paulatim diluit. ANNO 1525.

A Melãchthone consolatur. *Cam. in vit. Mel. pag.* 109. & 111.

Eodem anno Norinbergenses Melanchthonem per litteras euocarunt, vt, quia suasu Lazari Spengleri Secretarij Ludum litterarium erigere decreuerant, eâ in re consilio atque operâ Melanchthonis vterentur. Venit ille Norinbergam in autumno permissu Principis Electoris, Camerario suo comitatus; fuitque de scholis aperiendis suscepta deliberatio, quæ hunc exitum habuit, vt, anno sequente 1526. Melanchthon Eobanum Hessum poetam istius ætatis celebrem isthuc adduceret: Huic Camerarius adiunctus fuit, alijque nonnulli, per quos docendi factum est initium.

A Noribergensibus vocatur.

Scholas ibidẽ constituit.

II.

Landgrauius deficit à Catholicis. *Eob. Hess li.* 12. *ep. f.* 293.

Landgrauius Hassiæ Philippus, post bellum rusticanum iuuenili quodam impetu diuortium fecit ab Ecclesiâ Catholicâ, seque Lutheri partibus adiunxit. Antequam verò publicam religionis mutationem induceret,

ANNO 1525. ret, VVittenbergenſes in cõſilium adhibuit; Lutherum & Melanchthonem imprimis: Quos & lubens in Haſsiam pertraxerit Marpurgum, vbi paulò poſt Vniuerſitatem erexit. Melanchthon verò litteras ad Landgrauium dedit de mutanda religione deliberantem, quibus inter cætera Principem cohortatur, vt populum non de dogmatibus tantum, ijſque de rebus, quæ ad fidem pertinent, ſed & de charitatis operibus, de cultu diuino, de ceremonijs informari iubeat; vt doctrinâ conſtitutâ ritus atque ceremonias omnes retineat Eccleſiæ veteris, quotquot ſeruari abſque impietate poſsint. Sibi quidem, ait, non inutiliter modo, ſed & contrà caritatem facere videri, qui publicas ceremonias aboleant, quæ potuerint tolerari. Itaque Latinas cantiones, ſacras veſtes, & hoc genus alia; Miſſam quoque vnicam in ſingulis parochijs, & quæcunque ex veteri ritu citra piaculum tolerari poſsint, retinenda iudicat; nec vllo modo prohibendum aut impediendum, quo minus horæ Canonicæ de Chriſto in monaſterijs, alijſque templis decantentur.

Chytr. in Sax. fol. 338: Ad eũ Melanchthonis litteræ.

Eius de ritibus & ceremonijs iudicium.

Hæc ad Landgrauium Melanchthon: Cuius in hac re conſilium multi per Germaniã, verſus ſeptentrionem imprimis, poſtea ſunt ſecuti, qui magnam in diuino cultu rituum Catholicorum partem retinuerunt. Atque hinc originem habet Melãchthonicorum ſecta, vel molliũ Lutheranorũ, quos poſt bel-

Origo ſectæ Melanchthonicæ.

lum

lum Smalcaldicum Adiaphoristas appellarunt, quod ceremonijs quibusdam & ritibus Catholicis locum dederint; quam ob causam ab alijs rigidioribus & Zelotis, Flacianis maximè, proditæ veritatis accusantur. Hi certè diuinum cultum, sacris vestibus, cereis, latinis cantionibus, alijsque rebus id genus adhibitis, eum in modū peragunt, vt si spectes externa tantum, Catholici prorsus esse videantur. ANNO 1525.

Postquam armis Principum repressa potius, quam oppressa fuit horrenda fanaticorum colluuies, bellum Sacramentarium inter Lutherum & Zvvinglium eorumque socios recruduit: Cuius initium anno 1524. Ienæ factum est; atque id pacto quidem inter Lutherum & Carlostadium inito, quod contestatione publica, iunctis solenniter dextris, haustuque germanico, & arrabone floreni aurei cōfirmatum alibi suo loco diximus. Huic verò certamini Melanchthon ex professo, miscere se nunquam voluit. Adhæsit Luthero quidem, eiusque partes secutus est; Verùm adduci non potuit, vt aduersarios scriptis publicis oppugnaret. Imò familiaritatem & amicitiam cum illis coluit, qualis inter litteratos esse solet; nec odium illud in Sacramentarios, quo Lutherus implacabili prorsus & acerbissimo flagrauit, passus est in pectus suum transfundi. Bellum Sacramentarium reuiuiscit. Pacta inter Luth. & Carlostad. Melanchthon in biuio hæret.

III.

Anno 1526. & 1527. præter publicas occupationes, varijs curis & molestijs distractus fuit

ANNO 1526.&27

fuit Melanchthon, quibus seipsum implicuit ob negotia priuatorum quorundam; maximè verò Ioachimi Camerarij, quem inter omnes familiares vnicè diligebat. In huius gratiam, tametsi affecta erat valetudine, profectionem susceptit ad Comitem Mansfeldensem Albertum, cui nomine Germaniæ Principum in Hispaniam ituro Camerarium adiungere cupiebat; tum ad aulam Saxonicam. Res erant non magni momenti, quibus curandis multum fatigabatur. Accedebat ad publicas atq; priuatas occupationes nouũ onus Visitationis cuiusdã, quæ mandatu Principis anno 1527. per Saxoniam instituta fuit; quam duo nobiles, Iureconsultus vnus, & Melanchthon humaniorum litterarum Professor, peregerunt. Vidit enim Princeps Elector, res ecclesiasticas in ditionibus suis perturbatè curari pro libidine Concionatorum, qui nec idem sentiebant de dogmatibus, nec in Sacramẽtorum administratione diuinoq; cultu ijsdem ceremonijs vtebantur.

Comitatur Camerariũ ad Mansfeld. Comit.

Chytr. in Sax. pag. 338

Ei demandatur Visitatio Saxonica.

Camerar. in vit. Melan. pag. 109.

Libido viuendi apud Luth.

Huic malo vt faceret medicinam, suosque ad eandem doctrinæ diuiniq́ue cultus & rituum Ecclesiasticorum formam ordinatione publica reuocaret, Lutheri suasu visitationem hanc instituit; de qua, cum hoc anno mensibus æstiuis esset peracta, Melanchthon conscripsit librum sub titulo Saxonicæ visitationis: In quo missis ijs, vel potius de industria dissimulatis, de quibus tum variè disputabatur, modum de potioribus fidei capitibus

Saxonica Melanchthonis Visitatio.

tibus

tibus docendi præscripsit. Ordinauit & ce- ANNO
remonias ac ritus, quibus in Sacramentorum 1526. & 27
administratione diuinoque cultu per ditiones Electoris esset vtendum. Quin & de moribus deque disciplina quædam inseruit ad refrenandam eorum libertatem & petulantiam, qui Ecclesias moderantur. Quæ omnia Promulgatur.
Lutheri iudicio & Principis autoritate munita fuerunt & promulgata. Ita factum est, vt, reiectis Ecclesiæ Catholicæ sanctionibus, Lutheranæ Melanchthonicæque in locum substituerentur: Quanquam multa retinuit in hac visitatione Melanchthon ex ritibus Ecclesiæ veteris, quę Lutherus postmodum, Electore rebus humanis exempto, velut Papistica prorsus explosit. Interim Visitatores magnas in hoc negotio molestias experti sunt & difficultates, quæ Melanchthonē im- Difficultates Visitationis.
primis duriter exercuerunt. Inuenti passim, qui pastorum munere fungebantur, homines inepti & improbi ab ingenio, monasteriorum reiectamenta, futiles, inquam, & periurio infames apostatæ; quorum tribunitijs, vociferationibus & dissonis clamoribus perstrepebant cathedræ, nec aliud ferè, quam sannæ, conuitia, tonitrua in Pontificem, in Episcopos, in Papistas audiebantur; vt genuinos Lutheri discipulos agnoscere. Qua de *In epi. Phil. ad Cam. pag. 80.*
re Melanchthon in epistola quadam ad Camerarium queritur; Ego, inquit, in molestis- "
simis negotijs hoc tępore versor; & quidem "
nullo cum fructu, quantum video. Adeò "
sunt

ANNO 1525.

sunt omnia perturbata partim inscitia docẽtium, partim improbitate. Horum igitur intemperiem & ferociam vt cohiberet, ita scripsit Visitationem hanc, vt non solum omitteret ea, de quibus tum maximè disceptabatur, sed & ritus quosdam Catholicos retineret, vti diximus, & disciplinæ frenum inijceret turbatoribus istis, eorumq; licentiam in vita, in moribus cohiberet.

IV. Insania & clamores Lutheranorum super Visitatione Saxonica.

Vnde, postquam typis diuulgata fuit hæc Visitatio, noui clamores in Melanchthonem exorti fuerunt, quasi restitutionem moliretur Pontificiæ tyrannidis, & Euangelij puritatem nouis humanarum constitutionum sordibus inquinaret. Ita nimirum inculcari pœnitentiam, timorem Dei, legis obseruantiam, & studium bonorum operum, vt quæ pridẽ Melanchthon ipsẽ cũ Luthero de iustificatione, de fide, de libero arbitrio, de libertate Christiana docuerat, ea nũc prorsus euertere videatur. Hac ratione ianuã aperiri, per quam Papatus denuò non difficulter irrepat.

Lutheri de eâ sentẽtia. *Tom. 6. Ien. germ f. 409*

Præuidit Lutherus, vt erat ingenio sagaci, oritura hæc obloquia, cum scriptam à Melanchthone Visitationem recenseret. Ideoq; in litteris ad Electorem Principem se cum
" Pomerano dicit legisse Visitationis acta, &
" paucis quibusdam mutatis probare cætera. Quod si forsan, inquit, aduersarij glorientur nos regredi, vel rursus adrepere, id non est magnopere curandum: rumor iste paulatim conticescet. Quanquam non tam facilè conquie-

quieuit rumor iſte, qui ex hac VVittenbergenſium mutabilitate fuit exortus: Imprimis verò in ipſum Melanchthonem, quem libri illius autorem eſſe conſtabat, odium obtrectantium & virulentia deſæuiebat: Hunc bis Papiſtam faciebant Zelotæ quidam; per hunc prodi vociferabantur libertatem euangelicam, & quod Lutherus abſtulerat ſeruitutis iugum, denuò ceruicibus fidelium imponi. Iam & Catholici, cum legerent Viſitationem hanc, Melãchthonem reſipiſcere iudicabant, & palinodiam meditari. Quæ cauſa fuit, vt Ioannes Faber, datis è Bohemiâ litteris, Melanchthonem hortaretur, vt, deſerta factione hac pergeret, quâ via cœpiſſet, ad ſanam mentem, & caput in ſinum Eccleſiæ reclinaret: Quod ſi faceret, honeſtam illi conditionẽ apud Ferdinandũ Regem pollicetur. Verùm ille ſubſtitit, nec ſe paſſus eſt à Luthero diuelli: Vt hoc ſcripto nihil aliud ſpectaſſe videatur, quam vt à Lutheri dogmatibus illam demeret verborũ aſperitatẽ, quâ multos nouerat, ne ſe ad hanc cauſam adiungerent, impediri. Hanc ipſius mentẽ, fuiſſe, teſtãtur litteræ, quas id tẽporis ad Camerariũ ſcripſit; in quibus inter cætera, Faber, inquit, interpretatur me labeſcere, quia in libello inſpectionis Eccleſiarum fuerim ἐντειχίσεως, in quo tu vides nihil aliud me ſcripſiſſe, quam quod paſsim tradidit Lutherus. Et tamẽ, quia ſine aſperitate verborũ ſcripſi, iudicant, iſti, ſcilicet homines acuti, me diſſentire à Luthero.

ANNO 1527.

In epiſt. ad Cam. p. 113.

Melanchthon bis Papiſta.

A Fabro ad ſanã mentẽ reuocatur.

Melanchthon pertinax.

In ep. ad Cam. p. 105

Igitur

ANNO 1527.&28 Igitur sectam mollium Lutheranorum, cuius fundamenta pridem iecerat in litteris ad Landgrauium scriptis, quemadmodum paulò suprà diximus, hoc scripto confirmauit.

Ibid. pag. 81 & 88. Schola Wittenb. Ienã transfertur ob pestem.

Dum in visitatione Melanchthon occupatur, VVittenbergę scintillarę cœpit pestilentię lues: quam ob causam schola VVittenbergensis Ienam translata fuit; quæ Thuringiæ ciuitas est ad Salam fluuium amœnissimo loco sita: In qua postmodum Vniuersitas erecta fuit. Isthic Melanchthon hæsit vnà cum alijs ex Augusto vsque ad Martium anni sequentis 1528. quo tempore, cum sopitum esse malum intelligerent, vnà cum auditoribus in Saxoniam reuerterunt.

Anno 1528

CAPVT V.

I. *Literæ Oecolampadij ad Melanchthonem Spiræ in Comitijs commorantem, cum responso eiusdem.*
II. *Pugna acris inter Lutheran. & Zuinglian.*
III. *Decretum Spirense contra Protestantes fœdus cum Heluetijs inire cogitantes.*
IV. *Colloqu. Marpurgense inter Lutheran. & Zuinglian. sine fructu.*
V. *Melanchthon contra Sacramentarios dicta SS. Patrum publicat.*

I. Melanchthon Luthero-Zvvinglianus.

DE certamine Eucharistico inter Lutherum & Zvvinglium recrudescente diximus supra. Melanchthon autem, quamuis adhærescebat Luthero, tamen noluit illi coniungere se, vel ferre suppetias contra Zvvin-

Zvvinglium in acie dimicant. Imò vehemẽter doluit, quod eo res adducta esset, vt, cum Euangelicos se profiterentur vtrique, mutuo sese scriptis publicis in omnium conspectu tam fœdè lancinarent. Erat autem in agmine Sacramentariorum inter primos Ioannes Oecolampadius, monachus excucullatus de Brigittanorum Ordine; qui cum Melanchthone ab ætate prima cõiunctissimè semper vixerat. Hic frequenter ad eum scripsit, vt veterem amicum vel traheret in sententiam suam, vel concordiæ studium ipsi suaderet.

ANNO 1528. & 29

Eius amicus OEcolampadius.

Agebantur Comitia Spiræ sub initium anni 1529. ad quæ Ioannes Elector Saxoniæ Melanchthonem secum duxit, vt eius consilio in negotio religionis vteretur. Quod cum OEcolampadius intelligeret, litteras ad ipsum dedit Basileæ scriptas pridiè Calend. Aprilis; quibus hactenus, ait, pristinam se necessitudinem conseruare litterarum officijs studuisse: Nunc verò in hac propinquitate, nisi pericula prohiberent, & Ecclesiæ negotia, ipsum fuisse salutaturum. Nec enim in terris quicquam ipsius colloquio sibi gratius optatiusque euenire posse; idque hanc potissimum ob causam, vt de rebus Ecclesiæ cum ipso fideliter ageret, si forsan hoc schisma per quosdam inuectum è medio tolli posit. Interim, quia nihil hactenus ad frequentiores litteras responderit, vereri se, ne paulò post ipsum amicitiæ iam renunciasse intelligat: Quanquam id

Anno 1529 Comitia Spiræ.

Peucerus tract. hist. de Mel. per Reut. pag. 13

OEcolampadij litteræ ad Melanchth.

ANNO 1529.

facere non posit, nisi & Christo valedicat. Rogare se admodum, vt maledicorum effrenem licentiam inter Lutheranos remoretur. Non esse tantam inter vtrosque sententiarum discrepantiam, quin inueniri possit conciliandi ratio, si modo contentiones ponantur. Certè anathematismis, exsibilationibus, ac fulminationibus nihil profici.

Responsio Melanchthonis.

Respondet ad hanc epistolam Melanchthon, Se semper OEcolampadiũ amasse plurimum, & singulari quadam pietate coluisse; neque dum mutasse animum. Interim iniuriam temporum, & dissensionem de Eucharistiâ, veterem officiorum consuetudinẽ impediuisse quidem; at beneuolentiam suã erga ipsum nequaquam labefactasse. Se spectatorem huius fabulæ magis hactenus extitisse, quam actorem: Et causas habuisse graues, cur se non miscuerit tam odioso certamini. Nullam interim vllius rei curam animum suum exercuisse magis, quam huius negotij: neque cogitasse modo, quid in vtramq; partem dici possit, sed & veterum eâ de re sententias inquisiuisse; quandoquidẽ nolit alicuius noui dogmatis in Ecclesia, vel auctor existere, vel defensor. Cæterùm cũ omnia secum expenderit, quæ firmissima videantur in vtraque parte, non se posse, ait, Zvvinglianorum sententiam amplecti; quod ipsius pace dictũ velit. Nullam enim firmam inuenire rationem, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum Christi satisfaciat. Cumque pro-

Certamen Eucharisticum fabulã appellitat.

Zvvinglij sententiam reijcit.

proprietas verborum cum nullo fidei articulo pugnet, nullam satis magnam esse causam, cur ea deseratur. Rogare se, dicit, vt consideret, quãtam rem, quamque periculosam susceperit. Nimirum altercando veritatem amitti; quæ multò magis periclitetur in his tam violentis certaminibus. Satius esse, vt hac de re boni aliquot viri veniant in colloquium. Cogitet OEcolampadius, homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse: Et in negotijs spiritualibus imprimis periculosam esse ingenij fiduciam. Hæc Melanchthon ex Comitijs, quæ Spiræ tum agebãtur, indicta per Cæsarẽ duas potissimum ob causas, scilicet, vt de bello Turcico propulsando deliberaretur, deq; componendo religionis dissidio, quod Lutherus eiusq; discipuli per Germaniam excitarant.

ANNO 1529.

Altercãdo veritas amittitur.

Rationes Comitiorũ indictorũ.

Augebatur malũ istud quotidianis propemodũ incrementis, & populus miserandũ in modum distrahebatur. Auctores verò dissidij, qui, relictâ maiorũ fide, seipsos à sede Romanâ diuulserãt, nõ ab Ecclesiâ modò, sed & inter se mutuo turpiter dissidebãt. Alij enim Lutherũ sequebantur, primũ turbarũ autorẽ; alij Zvvingliũ: Ex quibus vtrisq; tertia quędã nata est fanaticorũ & Anabaptistarũ turbulẽta factio: Vt omnis Nouatorũ exercit⁹ in tres turmas diuisus esset, quæ se mutuo nõ min⁹, quã Ecclesiam odio capitali prosequebãtur.

Cam. fol. 111

Tres Sectariorum turmæ.

Feruebat autem sub hoc tempus cumprimis inter Lutheranos & Zvvinglianos acris

II.

ANNO 1529.

acris pugna, vtriſque rerum ſuarum magno conatu ſatagentibus: quanquam Melanchthon immiſcere ſe noluit in illud certamen, vti diximus. Diſſidebant verò de Euchariſtia, de Baptiſmate, de peccato originis, alijſque de rebus. Et Lutherus quidem in confeſsione magnâ de Sacramento, quam anno ſuperiore proximo diuulgarat, Zvvinglianos, latâ ſententiâ, velut impios, blaſphemos in Deum, fanaticos, hæreticos, freneticos, à dæmonibus exagitatos diris deuouerat & condemnarat. Quod cũ Catholici non ignorarent, hoc imprimis egerunt in Comitijs Spirenſibus, vt Saxo, Landgrauius, cæteriq; Lutherani Principes, Lutheri iudicium ſecuti, ſeſe diſiungerent ab hominibus tam impijs, eoſque velut Eccleſiæ perduelles & hæreticos condemnarent: Quod ab illis impetrari non potuit, metuentibus nimirum, ne ſi publicâ profeſsione Zvvinglianos hoſtiũ loco mouerent, ea res Euangelio nouo, quod vtriq; profitebantur, infamiæ notam aſpergeret; & alij ab aliorum ſocietate diuulſi facilius in ordinem redigerentur.

Pugna acris inter Luth. & Zvvinglianos.

Peucer. p. 12

Capita cõtrouerſa.

Vanus Lutheran. metus.

Obſtabat imprimis magno zelo Landgrauius, qui Zvvinglianis admodum fauebat: Ideoque hoc laborabat totis viribus, vt diſſidium inter vtroſque, vel ſublata, vel ad tempus ſepoſita ſententiarum diſcrepantiâ ſopiretur. Cupiuiſſet & Melanchthon hoc ipſum fieri, verum difficultates videbat in iſto negotio propemodum inſuperabiles.

Landgrauius Zvvinglio addictus.

Nam

Nam vt discederent à sententia Lutherani vel Zvvingliani sperare non poterat: vt autem solida fieret coniunctio, vtrisque mordicus opinionem suam tenentibus, frustrà videbat expectari. Ne tamen damnarentur Zvvingliani, tum quidem à Landgrauio persuasus, impediuit; quod eos nondum auditos esse diceret, nec causam legitimo iudicio discussam. Interim ferre non potuit, vt cũ Lutheranis quodam societatis nexu coniungerentur. Hæsit itaque perplexus admodum & anxius, velut inter saxum & sacrum quod aiunt, eosque nec pro socijs haberi voluit, nec in hostium numero censeri. Langrauius verò, vt erat iuuenis vehementis ingenij, & totus ardebat rapido quodã nouitiæ religionis affectu, tentandũ putauit, an possent vtrique sententijs inter se collatis in eosdẽ cancellos redigi. Itaq; solutis Comitijs, hoc eodem anno, sub Autumnum ductores vtriusq; partis præcipuos Marpurgum euocauit; qua de re paulò infra dicemus.

ANNO 1529.

Landgrauius meditatur cõcordiam inter Luth. & Zvvinglianos.

III. Decretum de mutatione religionis.

Interim decretum fuit in Comitijs, vt qui per Germaniam in religione nihil hactenus mutarint, deinceps quoq; nihil innouent vsque ad Concilii tempus: Qui verò doctrinæ, rituumq; mutationem induxerint, nec restituere possint abrogata sine motu publico, ij nihil mutent in posterum, donec causa hæc in Cõcilio discussa sit atq; definita; vt nec Sacramãtariorum dogma recipiatur à quoquã, nec Missa vspiam abrogetur; vt Anabaptistæ

Sleid. lib. 6.

De dogmatis Sacramentariorum.

ANNO 1529. in erroribus obstinati capite plectantur; vt Euangelium doceant, Ecclesiarum ministri iuxta probatam ab Ecclesiâ interpretationẽ, controuersijs ad synodi cognitionem reiectis; vt pacem inter se colant Ordines, nec quisquam alteri molestiam inferat religionis nomine. Decretum hoc displicuit Principibus Lutheranis; cui se nequaquam assentiri publicè, & solenniter sunt protestati: Vnde Protestantium societas originem habet in Germaniâ: quorum primi nominis erant Ioannes Elector Saxo, & Hassiæ Landgrauius Philippus, vigintiquatuor annorum iuuenis. Hi verò, cum sese factâ protestatione, à communi cæterorum Ordinum corpore præcidissent, nouam hanc societatem quibus possent præsidijs muniendam censuerunt. Itaque per quosdam cogitari cœptum fuit de fœdere cũ Helvetijs Zvvinglianis ineundo, qui coniunctionem huiusmodi cum Lutheranis Principibus cupidè satis ambiebant.

Protestatio Principum contra Decretum.

Cogitant fœdus inire cum Helvetijs.

Hoc verò negotium Landgrauius pro suo in Sacramentarios affectu cumprimis vrgebat: Quod cum Melanchthon intelligeret, vehementer fuit perturbatus, venitque in mentem illi pœnitere, quod in Conuentu, cum de Zvvinglianis ageretur, consilium separationis non suggesserit; Nec grauissimam hanc animi perturbationem dissimulare potuit; quemadmodũ epistola testatur ad Camerariũ scripta, postquã è Comitijs VVittẽbergã reuersus est: Ex qua istius generis quædam

Melanchthonis perturbatio. *In ep. ad Cam p. 124*

dã excerpo: Non dubito, inquit, quin magnoperè admireris, cur nihil scripserim ad te sub exitum Comitiorũ. Ego verò, mi Ioachime, ita fui perturbatus, vt primis diebus penè extinctus sim; omnes dolores inferni oppresserant me. Et infrà: Postea resciui, cupere quosdã cum nostris & vrbe vestrâ (Norinbergam dicit) fœdus facere. Ibi cœpi horribiliter angi: nollẽ enim à nobis defendi aliena. ἄλις γὰρ τῶν οἰκείων φροντίδων. Etsi, an ad huius defensionem fœdus expetatur, nondũ planè scio: sed dũ metuo omnia, mirabiliter animo consternari cœpi. Et in illa ipsâ consternatione sensi, quantum sit vitij in quibusdam. Dolebã item, quod nõ statim autor, vel certè suasor separationis fuissem. Cogitabam occasionem datam esse, per quã latius serpat βασιλότης. Veniebat in mentem, hanc rem Imperij & religionis mutationem afferre posse. Infinita sunt, quæ me adhuc excruciant.

ANNO 1529.

Cæterùm tribus potissimum causis motus fuisse videtur, vt à fœdere cum Zvvinglianis paciscendo tã alienus esset; tum quod ipsorum dogma nouum esse iudicaret, & incognitum Ecclesiæ primitiuæ; tum quod ab eius propagatione magnam Imperio cõcussionem, imò & ruinam imminere persuasum haberet; demum quod ad tuendã religionem ciuilia pangi fœdera, tum quidẽ improbaret.

Causę alienationis à Zvvinglianis.

IV.

Postquã solutꝰ fuit Spirẽsis Cõuẽtus, cęptũ est à quibusdã de cõponẽdo disidio cogitari, quod de Eucharistię mysterio inter Saxones & Hel-

De componendo disidio agitu-

ANNO 1529.

& Heluetios exarserat: Scilicet vt deinceps vtrique Romanam Ecclesiam animis viribusque coniunctis fortiùs oppugnarent. Hoc verò negotium Philippus Hassiæ Landgrauius, per Sacramentarios interpellatus, præ cæteris curæ habuit; qui primi nominis quosdam vtriusque sectæ Doctores Marpurgum euocauit, facturus periculum, an cruentum hoc dissidium componi posset. Venerunt istuc è Lutheranis Lutherus ipse, Melanchthon, Ionas, Osiander, Brentius & Agricola quidam: E Sacramentarijs verò Zvvinglius, OEcolampadius, Hedio, Bucerus. Voluit autē Landgrauius, vt ante congressum publicū, bini & bini vtriusq; partis de summâ rei seperatim colloquerētur, futurū ratus, vt expeditior esset postmodū actio publica, si pri° alij priuatim aliorum animos pertentarent.

Lādgraui° sectarios Marpurgi ad Colloq. euocat.

Cam. in vit. Mel. pa. 120

Aetesignani Lutheranorum & Sacrament.

Peuc. pag. 13.14.15.

Cæterùm quia Lutherum & Zvvinglium feroci atq; impetuoso ingenio esse nouerat, verebatur, si eos coniungeret, ne vel in ipso actionis limine turbarū aliquid aut incommodi nasceretur. Mandauit igitur, vt OEcolampadius cum Luthero, cū Zvvinglio Melāchthon in colloquiū veniret, quorū v terq; māsuetudinis & placidioris ingenij nomine cōmendabatur. Nec male cessit cōsiliū: Siquidē Melanchthon Zvvingliū, Lutherū OEcolampadius temperie quadam & mansuetudine ita cohibuit, vt satis cōmodus esset primus hic cōgressus; in quo bini & bini seperatim, vti diximus, de controuersis dogmatibus cō-

Landgrauij dispositio inter Collocutores.

tulerunt.

tulerũt. Et quidẽ de pleriſq; capitibus vtcũq; conuentum eſt, de peccato originali, de virtute Baptiſmatis, de energiâ miniſterij eccleſiaſtici, de confeſsione priuatâ, alijsque nonnullis. Vnicum remanſit caput de Euchariſtia, quod ad publicam actionem reiectum fuit: In qua poſtquam Lutherus & Zvvinglius in colloquium venerunt, acris exorta fuit contentio. Ea verò cuiuſmodi fuerit, in vita Lutheri diximus.

ANNO 1529. Dogma eucharisticum manet cõtrouerſum.

Sub finem actionis Sacramentarij multas SS. Patrum ſententias de ſcripto recitarunt, excerptas in hunc finem, vt eandem eſſe veterum Patrum, & ſuã de Euchariſtia ſententiam oſtenderent. Obtulerunt & Lutherani dicta Patrum eundem in finem congeſta, nimirum vt ſe prorſus idem ſentire cum Patribus Eccleſiæ veteris in hac controuerſia demonſtrarent. Atque ita Conuentus ille ſolutus fuit, dogmate de Euchariſtia non conciliato; quanquam eius gratia potiſsimum indictus erat. In diſceſſu, cùm ſibi mutuò valedicerent, Lutherani Sacramentarios pro fratribus agnoſcere prorſus recuſarunt; tametſi Zvvinglius hoc ipſum inſtanter, etiam profuſis vbertim lacrymis à Luthero peteret. Melanchthon verò paulò poſt de hoc colloquio litteras dedit ad Electorem Saxonem, eique breuiter totam rei geſtæ ſeriem perſcripſit.

Dicta SS. Patrum in vtramque partem allegantur.

Sacramentariorum votum de agnoſcẽdis fratribus. *Seln. contr. Pezel. f.* 78.

Cæterũm quę Lutherani ſub finem actionis Sanctorum Patrum dicta recitarunt, ea

V.

ANNO 1530. Melanchthon congesit: quæ non diu post, vbi domum redijt, anno sequente 1530. typis diuulgata fuerunt. Præmisit autem epistolam ad Fridericum quendam Miconium, in qua manifestum esse dicit ex his testimonijs, quod Patres Christum in Eucharistia verè præsentem esse crediderint. Ecclesiam verò communiter hoc sensisse, quod Patres litterarum monumentis prodiderunt: Nec tutum esse, à communi sententiâ veteris Ecclesiæ discedere. Ego, inquit, nouum dogma, quod maximam ruinam rerum maximarum secum trahit, sine firmioribus testimonijs non velim profiteri. Graue est enim, sustinere conscientiam tantæ discordiæ. Meo quidem iudicio, magna est temeritas, dogmata serere, non consultâ Ecclesia veteri. Hæc in præfatione: In fine verò, posteaquam ad quendam Augustini locum respondit à Gratiano citatum, qui Sacramentarijs in speciem fauere videbatur, Lectorem admonet, nullam se rationem inuenire satis firmam, cur sit ab hac Patrum sententia discedendum. Fieri potest, inquit, vt alia sententia (Zvvinglianorum) blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio; præsertim sic instructa, & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cùm disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: Hoc est cor-

Ann. 1530. Melanchthon dicta SS. Patrum contra Sacramentarios typis mandat.

Lauat. hist. Sacr. p. 20.

corpus meum; fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus scripturis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit, necessario fuisse hic interpretandam metaphoram? Non satis periti videntur horum certaminum illi, qui tam facilè ferunt noua dogmata; qui sic delectantur ingenio, vt magis admirentur vafrè cogitatas rationes, quam verba scripturæ. Ego scio quam leuiter in tentatione excutiantur nobis è manibus rationes illæ dissentientes à scriptura, quantumuis antea visę plausibiles. Et accidit hoc in ista controuersia magis, quam in alijs; quæ vniuersæ Ecclesiæ, ac toti Imperio minatur horribilem mutationem. Et infrà: Nullus locus scripturæ proferri potest, qui testetur, Christum non esse in cœna, qui cogat interpretari verba Cœnæ allegoricè: Nec vsus Ecclesiæ veteris cogit ea interpretari allegoricè. Tantum repugnat verbis absurditas, quæ impingit in iudicium rationis. Hæc non est satis magna causa, vt à verbis discedamus. Verba sunt Melanchthonis, quæ recensui hactenus: Ex quibus liquidum est, quæ de Eucharistiæ Sacramento sub hoc tempus illius fuerit sententia; quam eodem anno, cùm in Comitijs Augustanis Protestãtium Confessionẽ scriberet, inter eius articulos retulit, ijs verbis explicatã, vt in Eucharistia sub speciebus panis & vini verũ Christi corpus, verumq; sanguinẽ adesse atq; exhiberi dicat, & damnet secus docẽtes, Sacramenta-

ANNO 1530.

Melancht. sentẽtia de Eucharistia.

ANNO 1530.

mentarios scilicet, Svvenckfeldianos & Anabaptistas. Quanquam sequentibus annis, etiam viuente adhuc Luthero, posteaquam cum Caluino cœpit habere cõsortium aliam mentem induit, & in hoc capite Sacramentariorum partibus accessit: qua de re infrà suo loco dicemus.

CAPVT VI.

I. *Confessio Lutherana Augustæ, Cæsari oblata, & per Catholicos confutata.*
II. *Collatio inter Catholicos & Protestantes ibid. sed irrita.*
III. *Melanchthonis maximus mœror & tristitia, eiusque origo.*
IV. *Sententia Melanchthonis de iurisdictione Episcopis restituenda, &c. cùm aliquot ep. ad diuersos.*
V. *Lutheranorum querelæ contra Melanchth. cum literis spurcissimis Lutheri ad Spalatin.*

I. Comitia Augustæ. *Vide auth. cit. ad hunc ann. in vita Luth. locis citat.* Melanchthon Augustam comitatur.

FVIT, hoc anno 1530. Conuentus principum & Ordinum lõgè celeberrimus Augustæ Vindelicorum ad componendum in Germania religionis disidium indictus, ad quẽ Ioannes Elector Saxoniæ Melanchthonem secum adduxit, & præter hunc primi nominis aliquot Lutheranæ sectæ concionatores. Lutherum verò, ne Cæsarem grauius offenderet, in itinere Coburgi manere iussit, qui hæsit isthic in arce principis toto Comitiorum

tiorum tempore. Cæterum in his Comitijs Lutherani principes,& ciuitates quandam Cæsari Confessionem obtulerũt nouitiæ religionis,quam abiecta maiorum fide,Lutheri ductum secuti, non ita pridem susceperũt. Eam confessionem Lutherus Torgæ concepit primum, vel delineauit potius in septendecim articulos distinctam ; Melanchthon verò posteà mutato nonnihil articulorum ordine, quibusdam etiam additis perpoliuit. ANNO 1530.

Confessio Cæsari offertur.

Factum hoc est Augustæ, priusquam Comitiorum fieret initium;Nam Saxo cum suis maturius istuc venit,quam Cæsar, Ferdinãdus,& cæteri principes: Vnde Melanchthon occasionem habuit, vt per otium paulò aliter disponeret Lutheranæ confessionis articulos , eosque fusius & accuratius pertractaret. Quod dum fecit,fastidij nõnihil & molestiæ perferendum fuit, propterea, quod & reliqui Lutherani tam principes quam ciuitatum moderatores suas confessiones in medium proponerẽt, quæ Melanchthoni, dum Confessionem adornaret offerendam Cæsari, magno cum tædio perlegendæ fuerunt omnes,& ad censuram reuocandæ. Cùm enim hæc Comitia per Cæsarem ad componẽdum de religione dissidium indicta non ignorarent, singuli principes , & magistratus vrbiũ concionatoribus suis in mandatis dederant, vt doctrinæ summam per capita digestã scripto complecterentur. Hinc natæ sunt variæ cõfessiones istæ,quas diximus, quæ Melãchthoni

Confessionis compilator Melanchthõ.

ANNO 1530.

thoni non sine fastidio euoluendæ fuerunt mandatu principum, & vna quædam ex omnibus illis conſarcinanda, quam Cæſari Proteſtantes in his Comitijs obtulerunt.

Camer. in vit. Mel. pag. 131.

Fuit autem Melanchthonis consilium, vt hæc Confeſsio non Principum & ciuitatum, ſed concionatorum nomine in publicum referretur: Id magis iudicabat decere; quandoquidem religionis doctrinæque profitendæ curam, & officium ad Eccleſiæ miniſtros potius aut Theologos pertinere, quam ad principes & politicos vrbium magiſtratus arbitrabatur. Verum hoc non potuit obtineri, tum quod futurum exiſtimaretur, vt principum nomen auctoritatem atq; ſplendorem huic actioni conciliaret; tum verò quod principes & magiſtratus ſupremã Eccleſiæ curam, & poteſtatem conſtituendę religionis, per concionatores conceſſam, vſurpatamque hactenus, eripi ſibi nollent.

Cur Principum nomine Confeſſio oblata?

Cæterum vniuerſam huius rei geſtæ ſeriem, tum quid porrò poſt oblatam Confeſſionem inter Catholicos & Lutheranos in his comitijs actum ſit de religione, commemoratũ à nobis eſt prolixius in vita Lutheri, qui cauſam hãc, veluti ſuam vnius in Auguſtano theatro per principes ſibi deuinctos, & concionatores ſuæ factionis tanquam emiſſarios egiſſe videtur. Huic ceu Moſi cuidã Lutherani ſcribunt Melanchthonem velut Aaronem alterum diuinitus adiunctum; qui nõ ſolus quidẽ, ſed inter reliquos præcipuus ex parte

Melanchthõ Aaroni comparatus.

Matthes. in vita Luth.

parte Lutheranorum, absente Luthero, totã actionis molem sustinuit. Habuit verò adiunctos sibi Ioannem Brentium, Iustum Ionã, Georgium Spalatinũ, Erardum Sneppiũ, Ioannem Agricolam Islebium: licet in ijs nõ multum habuit præsidij; quemadmodum ipse queritur in litteris 27. Iul. de communi rerum statu scriptis ad Lutherum, qui solus, vti diximus, actiones omnes ac cõsilia de religione moderabatur. Quod vt faceret, datis ad eum litteris eodem mense petijt, priusquã actionis de conciliandis dogmatibus fieret initium. Nos, inquit, hic soli, ac despecti infinitis conflictamur periculis. Oro igitur te, vt respicias vel nos, qui certè autoritatem tuam in maximis rebus sequimur, vel Rempublicam, & non recuses legere nostras litteras, & respondere; tum vt gubernes nostras actiones, tum vt consoleris nos.

ANNO 1530. Duces Colloquii.

In ep. Mel. f. 14. & 21.

Melancht. moderator actionis.

Scripsit, vti diximus, Melanchthon Confessionem ipsam; quam noluerunt tamen offerre principes, Saxo cumprimis, nisi recensitam à Luthero, & ipsius calculo probatam. Igitur Saxo Coburgum eam misit, adiunxitque litteras ad Lutherum; qui cũ euoluisset Confessionem hanc, nihil in ea mutandum iudicauit; nisi quod in exemplari latino ad decimum articulum Sacramentariorum cõdemnationem adiecit, his verbis conceptam: Et damnamus secus docentes. Alioquin offerendam censuit, vti scripta erat per Melanchthonem, verbo non mutato, testatus se

Confessio Augustana Luth. datur examinanda.

Marbach. in expl. ver. Cœnæ ca. 6. fol. 549.

talem

ANNO 1530.

talem in scribendo lenitatem adhibere non potuisse.

Catholicis Theologis datur discutienda.

Postquam lecta fuit in concessu Principum, ac deinde Cæsari porrecta Confessio, placuit eam Catholicis quibusdam Theologis examinandam dare, & qua pugnaret cum receptis Ecclesiæ dogmatibus confutandam. Hi fuerunt Ioannes Faber Viennensis Episcopus, Ioannes Eccius, Ioannes Cochlæus, alijque nonnulli; qui quosdam illius articulos, velut Catholicæ doctrinæ conformes approbarunt: Inter quos præter primum de mysterio S. Trinitatis, & decimus fuit de Cœna domini: quem ijs verbis conceperat

Dogma Melanchthon. de Eucharistia.

Melanchthon, vt in Eucharistiæ Sacramento non Christum modo verè præsentem esse, sed & substantiam panis ac vini in Christi Corpus & sanguinem conuerti profiteretur. Reliquos verò articulos, in quibus hæc Cõfessio à probatis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus in diuersum abit, breuiter & solidè cõfutarunt, oppositio scripto non admodum prolixo, sed breui neruosoque; quod fundamenta continebat dogmatum Catholicorũ,

Confutatio Catholicorum.

è scripturis sacris, Sanctorumq; Patrum monumentis, decretis Conciliorum, & perpetua nationum atque ætatum omnium consensione desumpta. Atque hoc scriptum Cæsaris & Catholicorum Ordinũ iudicio prius approbatum, eorundem nomine tertio Augusti lectum fuit in consessu publico, vnaq;

Protestantes admonentur de abdicandis erroribus.

moniti Protestantes, vt abdicatis erroribus ad re-

ad reliquos Ordines se rursus adiungerẽt, & ad communionem reuerterentur orbis vniuersi Christiani, à quo secessionem fecerint, ad sanctam maiorum fidem, cuius fundamenta in hac confutatione ex verbo Dei sacrisque litteris solidè sint demonstrata. Lutherani verò confutationis huius exemplum sibi dari postularunt: Quod Cæsar non abnuit quidem; conditionem tamen adiecit per Palatinum, vt Protestantes ipsi scriptum hoc legerent, nec typis illud diuulgari paterentur, nec describi per alios, sine Cæsaris ipsius permissu.

ANNO 1530.

Petunt sibi dari Confutationẽ.

Cum has conditiones illi recusarent, & pertinaciter quidem, interceſſerunt tandem è principibus nonnulli, rogaruntque Cæsarem, vt ipsius voluntate periculum sibi facere liceret, num quæ posset inueniri ratio cõponendi dissidij, quod Protestantes à reliquis Ordinibus diuulserat. Assensit, vt rem tentarent, Cæsar, qui desiderio sopiendi huius incendij totus ardebat. Igitur delecti fuerunt ex Ordinum senatu septendecim, qui cum Protestantibus agerent, ijsque persuaderent quibus possent argumentis, vt, positis opinionibus, quibus erant imbuti, sese denuò cum reliquis Ordinibus coniungerent, & sponte sua redirent ad communionem illius fidei, quam à maioribus vtrique velut per manus traditam acceperant. Hac de re suauiter & benignè cum Protestantibus actum fuit à sexto Augusti vsque ad vn-

II.

Intercedi-tur ab Ordinibus.

Delecti Ordinum.

d deci-

ANNO 1530.

decimum eiusdem mensis diem. Verba fecit delectorum nomine Ioachimus Elector Brandeburgicus, princeps, si facundiam spectes, cùm summis oratoribus comparandus, cui Melanchthon ipse Pericleam eloquentiam tribuit. Quanquam verò delecti multum laborabant, vt qui secessérant protestantes, ad reliquos se rursus adiungerent; fecit tamen pertinacia istorum, quos Lutherus totos fascinarat, vt irritus esset hic conatus.

Ioach. Brandeb. facundia.

Frustra agunt.

Quando igitur hoc non successit, alia viâ tentandum hoc negotium nonnulli censuerunt. Delecti ex vtraque parte septem; duo nimirum principes cum totidem Iurecõsultis, & tres Theologi, qui placidè conferrent de dogmatibus, & articulos, de quibus alia Catholicorum erat, quam Lutheranorũ sententia, dexteritate quadam inter se conciliarent. In hoc congressu, qui verba faceret, à Catholicis Eccius designatus fuit, à Lutheranis Melanchthon. Deinde cœptum est agi decimosexto Augusti: Et initia quidem satis auspicata videbantur; quanquam exitus actionis asperior fuit & durior, quam ex ingressu futurum æstimâris. Principio, dum alij aliorum verba benignè interpretantur, ita successit conciliandi studium, vt ex articulis Augustanæ Confessionis vno & viginti, qui ad fidem pertinent, quindecim vtriusque partis assensu conciliati viderentur. Nec vnquam Lutherani post hanc

Collocutorum ordo minuitur.

Quindecim articuli conciliati.

hanc actionem tam propè ad sententiam Catholicorum in dogmatibus accesserunt, quam in hoc septenorum Colloquio factum accepimus. Quanquam sub finem, vbi ventum est ad vltimam Confessionis partem de abusibus, actio nonnihil incruduit, animis vtrinque zelo quodam feruescentibus. ANNO 1530.

Cæterùm vt de reliquis etiam articulis expeditior esset agendi ratio, visum fuit è re futurum, si collocutorum numerus in arctum denuò contraheretur. Itaque duo principes & totidem Theologi vtriusque partis ab actione fuerunt submoti, vt è septenis collocutoribus terni modo remanerent. E Catholicis Eccius, & duo Iureconsulti, è Lutheranis Melanchthon cum duobus itidem Iureconsultis. Hi vigesimosecundo Augusti nouæ actionis fecerunt initium; in qua nihil amplius alij ab alijs impetrarunt, quam vtrique concesserant pridem, cùm septeni colloquerentur. Atque hæc postrema fuit actio, quæ tandem post multam altercationem exeunte Augusto finem habuit. Collocutorum numerus iterum contrahitur. *Chytr. in hist. Aug. Conf. f. 282.* In vanum laborant.

Cæterùm Melanchthon, cuius vitam scribimus, ab initio Comitiorum, imprimis verò sub illud tempus, quo Cæsari Confessio Protestantium oblata est, tristis admodum fuit, adeoque consternatus, vt ingentem animi merorem assiduis penè lacrymis, & mœstis sermonibus inter suos testa- Melanchtmœror. *Chytr. in hist. Aug. Conf. f. 72. 75. 133.*

ANNO 1530.

Luth. monetur de consolãdo Melancht.

tum faceret. Quâ de re Ionas Lutherum non semel per litteras admonuit, rogans admodum, vt Melanchthonem animo deiectum, datis frequenter litteris erigat, cuius maiorem esse tristitiam scribit, quam vt sociorum consolationibus sustentari possit. Nec ipse Melanchthon hanc animi perturbationem ad Lutherum dissimulauit, vt litteræ quædam testantur, quas id temporis

Chytr. in hist Aug. Conf. f. 138.

„ scripsit. Ad huc, inquit, is status fuit no-
„ strarum rerum, vt magnam partem tem-
„ poris in lacrymis hic consumpserimus.

Hæc Melanchthon vigesimo sexto Iunij, cùm pridie oblata esset Protestantium Confessio. Paulò post mense Iulio ad Lutherum scribens, epistolam his verbis ordi-

In ep. Mel. fol. 21.

tur: Versamur hic in miserrimis curis, & planè perpetuis lacrymis. Quin & exemplo suo deiecit aliorum animos, Brentij cumprimis, quem plorando & ipsum plorantem fecit, vt epistola testatur, quam 25. Iunij scriptam in hunc modum concludit:

Brentius itidē lacrymatur.

„ Brentius assidebat hæc scribenti, & quidem lacrymans. Is iubet tibi ascribi salutem.

Chytr. in hist. Aug. Confess. f. 73

Fecit autem Lutherus, quod à Iona monitus fuit, & Melanchthonem frequentioribus litteris erigere conatus est; sed surdo narrauit fabulam; quemadmodum in epistola quadam 30. Iunij scripta, velut expostulabundus eidem obijcit. Hunc verò summum animi mœrorem & admirabilem tri-

Luth. iolatur Melanchth.

Chytr. in hist. f. 136.

stitiam

ANNO 1530.

stitiam verisimile est non aliundè, quam ex difficili conscientiæ lucta prouenisse. Videbat, quo zelo ferueret Catholicæ religionis Cæsar pijssimus, & quanto sopiendi huius incendij desiderio accensus esset. Nouerat contrà summam Lutheri pertinaciam & obstinationem, quem sciebat eo ingenio esse, vt Catholicis nihil prorsus concedendum existimaret. Iam verò si fœdum hoc religionis dissidium in his Comitijs non componeretur, tristes videbat procellas, & ingentem rerum omnium perturbationem imminere. Hinc ille tantus angor, & insignis perplexitas Melanchthonis animum occupauit; quam procul dubio non parum auxit cogitatio de medijs componendi dissidij, cùm ipse testimonio conscientiæ victus, priusquam ventum est ad actionem de conciliandis dogmatibus, pacis studio Catholicis aliquanto plus concedendum iudicaret, quàm socios & Lutherum velle nouerat: quod inter collegas minimè dissimulauit. Vnde in Collegio vel synedrio Lutheranorum exorta fuit contentio, reliquis facilitatem eius & mollitiem improbantibus: Qua de re Ionas Lutherum secretò velut in aurem admonuit, cum historiam oblatæ Confessionis perscriberet. D. Philippus, inquit, optimo animo in hac causa cautè & pedetentim ambulat, & quamplurima cupit posthabere publicæ paci. Et proximè de

Causæ tristitiæ & perplexitatis Melanchthonis.

Querelæ Lutheranorum super mollitie Melancht.

Chytr. in hist. Conf. fol. 74.

ANNO 1530. Imperio & iurisdictione episcoporum rixati sumus : quod apud te sic susurro.

" Hæc Ionas ad Lutherum sub finem Iunij Confessione iam oblata , cùm in Consistorio Lutheranorum deliberaretur , quibus in rebus cedendum esset Catholicis, quibus non esset cedendum. Ibi Melanchthon episcopis iurisdictionem censuit restituendam , & alia quædam concedenda pacis studio : quod cum cæteris vehementer displiceret , orta est , quam diximus , inter Lutheranos contentio. Neque verò cessit Melanchthon , sed in sententia perstitit immotus, quod quidem ad iurisdictionem attinet; vti paulò post dicemus. Atque ea res, mense Iulio, frequentioribus in consultatione rixis occasionem dedisse videtur. Quod cum Luthero innotuisset , litteras ad Melanchthonem exaratas tertio Augusti , quibus ad quæstionem quandam respondet de traditionibus, hoc sarcasmo claudit : Noua hic nulla ; nisi quod Augustæ Cæsari noua domus ædificatur , vt multis annis in Germaniâ commoretur : Deinde, quod sint inter nostros Augustæ, Philippum, Ionam, & totum Collegium magnæ turbæ. Vale , ex eremo.

Melancht. de iurisdictione restituendâ opinio.

Chytr. in hist. Confess. fol. 170. Luth. ridiculus.

IV. Post, vbi ventum ad colloquium , in quo de conciliandis dogmatibus inter delectos vtriusque partis actum fuit , Melanchthon conscientiæ genijque sui ductum secutus, autoritatem in Sacerdotes & Ecclesiæ ministros,

Melancht. firmus in opinione

ANNO 1530.

stros, adeoque iurisdictionem ecclesiasticam episcopis omnino restituendam iudicauit. Qua de re in scripto quodam à delectis Lutheranorum, ad vigesimum Augusti Catholicis oblato, hæc verba leguntur: Sem per iurisdictionem & potestatem episcopalem pro nostra parte conseruare studemus, manifestis tamen abusibus non probatis. Curabitur autem vt debita obedientia episcopis exhibeatur & conseruetur, nempè, vt parochi & prædicatores nostri Ordinarijs locorum præsententur: Item si presbyter excessum reprehensione dignum admiserit, eum Ordinario vi episcopalis potestatis, sine vllo impedimento corrigere licebit: Item ecclesiastica iurisdictio Episcoporum in causis, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, non impedietur: Item Episcopalis excommunicatio in causis ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus non impedietur, si iuxta sacram scripturam exerceatur. Hæc Melanchthon in responsione ad media concordiæ per Catholicos proposita. Fluctuabat & in alijs quibusdam capitibus, veluti Catholicis assensurus; præsertim cum de Missa priuata, de Canone, de communione alterius speciei, de confessione delictorum, de cœlibatu, de votis, de ceremonijs ecclesiasticis disceptaretur; Quanquam Lutherum nouerat ijs de rebus nihil concessurum. Consenserat ille quidem in hanc ecclesiastici iuris restitutionem:

de iurisdictione restituendâ. *Chyt. in hist. Confes. fol. 264.*

Dogmata in quibus Melancht. dubius.

ANNO 1530. Luth. incostantia.

quemadmodum Melanchthon in litteris ad Camerarium scribit, & ad Hieronymum Ebnerum, Reipubl. Norinbergensis Consulem: At postea, cùm omnes in ipsum concionatores insurgerent, resilijt ab instituto, atque omnia pacis consilia turbauit. Melanchthon verò, quod in hoc genere semel largitus erat, non reuocauit; tametsi quo minus succederet ipsius consilium, importunis Lutheranorum clamoribus impeditum fuit. Alioquin si reddita fuisset Episcopis insolidum iurisdictio, Lutherani quodam Ecclesiasticæ hierarchiæ nexu certis conditionibus adhæsissent Ecclesiæ Romanæ, forsan ad Bohemorum instar, qui sacerdotes habent à Catholicis Episcopis ordinatos. Huc sanè spectasse Melanchthonis consilium, nec ipsi Lutherani diffitentur. Cùm enim hac de re fama spargeretur, mirum quanta continuò fuerit inter eos exorta trepidatio, quantus metus. Nec aliter hoc factum acceperunt zelotæ quidam, quam si defeciisset ad Catholicos Melanchthon, vel hostibus arcem euangelij, Romanoque Pontifici prodidisset. Testantur hoc epistolæ quædam ab ijs scriptæ de hoc negotio, quos Melanchthon habuit inter coniunctissimos. Hi summum præ se dolorem ferebant, quod eò prolapsus esset nimio pacis studio, vt abiectum pridem Pontificiæ dominationis iugum (sic loquebantur isti) euangelicorum ceruicibus imponere denuò conaretur:

Consilium Melancht. in restitutionem iurisdictionis.

Luth. metus & trepidatio.

Quæ

Quæ res si succederet, actũ esse de Euangelio clamitabant.

ANNO 1530.

Inter eos verò, quibus Melanchthon arctissimæ necessitudinis vinculo iunctus erat, Ioachimus Camerarius, vel ex primis habebatur; quem Vincentius quidam Obsopæus datis litteris rogauit enixè, vt quę multorum sermonibus ferebantur de Melanchthonis & cæterorum mollitie in concedendis ijs, quæ minimè oportuerit, certius exploraret. Aiũt omninò, inquit, Obsopæus iste, si conductus quantâ ipse voluisset pecuniâ à Papa esset, nunquam illius dominationem melius potuisset asserere. Vocant quidam Achitophelica consilia: alij, qui modestiores sunt, Erasmica: vt ego puto, propria illius. Nemo enim aliter sentit, quam illum contrà omnium voluntatem, reclamantibus etiam apertè quibusdam fortioribus, tamen obtinere, quod voluerit, & conditiones proferre.

Camerarius Melanchthoni coniunctissimus. *Chyt. in hist. Confes. fol.* 308. *Cam. in vit. Lut. pag.* 135 Obsopęi de Melanch. litteræ.

Hæc ille Camerarius, perlectis litteris, Ioannem Agricolam Islebium interpellandum censuit, qui Melanchthoni in Augustanis deliberationibus inter cæteros adiunctus erat. Hunc igitur summoperè rogat, adeoque obtestatur transmissis Obsopæi litteris, quas epistolæ suæ inclusit, vt se de toto hoc negotio faciat certiorem, & quid huius actum sit, vel concessum aduersarijs in Augustano congressu, verè sine fuco perscribat. Scripserat eadem de re iam antè Sacranus quidam ad Melanchthonem, & durius cum

Fol. 307. Camerarij ad Agricol. de hoc scripsit.

Fol. 304. Itẽ Sacrani ad Mel.

ANNO 1530.

eo expostulauerat, nouâ quadam vsus & inusitata verborum asperitate. Cum itaque referret Illebius, quid à Camerario rogatus esset, vnaque litteras ipsius ostenderet, & Obsopæanas inuolutas, respondendum putauit homini sui amantissimo, & quid rei esset, liberiore calamo perscribendum.

Fol. 305.

Melancht. Camerario acta Colloquij perscribit.

Dedit igitur ad Camerarium litteras Melanchthon ipse pridiè Calend. Septemb. cum postrema collocutorum actio iam esset absoluta, quibus omnia quæ acta fuerant in Comitijs, communicato cum ijs cõsilio, peracta scribit, qui simul adhibiti fuerint ad hæc negotia: Nec vllos tum quidem hac de re fuisse sermones; quos primum natos ait, postquam patefactum sit, quid Episcopis concedatur. Hoc, inquit, malè habet scilicet quosdam immoderatiores, restitui πολιτείαν Ecclesiasticam: hoc interpretantur restitutionem dominationis Pontificiæ. Non ignoro, cur tantũ abhorreant ab hoc consilio. Aegrè patiuntur ciuitates reduci in vrbes, illã Episcoporum dominationẽ. Et sapiunt: sed quo ore eripiemus eis, si nobis permiserint doctrinam? Quid? quod omnia, quæ largiti sumus, habent huiusmodi exceptiones, vt hoc metuam, ne Episcopi existiment, offerri ῥήματα ἄνευ ἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quanquam vt ego, quod sentio dicam: Vtinam, vtinam possim non quidem dominationem confirmare, sed administrationem restituere Episcoporum? Video enim, qualem

lem simus habituri Ecclesiam, dissolutâ politiâ Ecclesiasticâ. Video posteà multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea vnquam fuit. Adhæc nihil adhuc concessimus aduersarijs, præter ea, quæ Lutherus censuit reddenda, re bene & diligenter deliberata ante conuentum. Neque ego non additurus eram aliquid, quasi auctarium publicæ pacis causâ. Hæc Melanchthon ad Camerarium vltimo Augusti. ANNO 1530. Melancht. ad Luth. epistola.

Postridie verò, Calend. Septemb. inquam, epistolium scripsit ad Lutherum, quo finem postremo colloquio tandem impositum significat. Inter cætera, Non credis, inquit, quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus alijs, propter restitutam Episcopis iurisdictionem: Ita de suo regno, non de Euangelio dimicant socij nostri. Et quidem ad Noricos quod attinet (sic vocat Norinbergenses) ij dolenter admodum tulerunt & indignè, quod eò prouectus esset Melanchthon, vt ministerium Lutheranum, & pastores, quos vocant euangelicos, Episcoporum iurisdictioni rursus subijceret. Itaque cum scriptum illud perlegissent, quod 20. August. Lutheranorum nomine Catholicis oblatum diximus, re cum concionatoribus deliberatâ censuram scripserunt, quæ confestim Augustam missa fuit ad Protestantes. In eâ verò punctim respondent ad omnia, quæ Melanchthon, contra quam ipsi faciendum iudicabant, studio concordiæ largitus erat. *Chyt. in hist. Conf. f. 306.* Noribergensiũ indignatio ob Melancht. mollitiem. *Ibid. fo. 297* Eorum censura adiuncta Confessioni.

Ea

ANNO 1530. Summa censuræ.

Ea ferè sunt : De religiosis vtriusque sexus in diuino cultu, & Catholicæ religionis exercitio, non turbandis : De tribus pœnitentiæ partibus agnoscendis : De Eucharistia non exhibendâ, nisi ijs, qui contriti sint, & delicta per confessionem prius expiarint: de ieiunijs, quadragesimâ, alijsque ceremonijs in cultu diuino restituendis : De festis Sanctorum, & Litanijs Catholicis in diebus rogationum instaurandis : tum illud, quod postremo loco ponunt, de iurisdictione Catholicis Episcopis in Ecclesiæ Lutheranæ ministros restituenda : Quæ omnia velut Euangelio repugnantia simul, & semel improbant; Imprimis de iurisdictione grauiter quiritantur, quam Episcopis hoc scripto multo ampliorem permissam esse dicunt, quam vnquam ausi fuerint hactenus optare; imò ampliorem, quam habuerint vnquam. Ac si vnicus hic articulus valere debeat & subsistere, nullam aiunt excogitari potuisse subtiliorem & compendiosiorem viam, breui temporis spatio, Euangelium penitus delendi.

De iurisdictione grauis quiritatio.

Melanchthon conatur placare Noribergenses. *Chyt. in hist. Confess. fol.* 309. 310.

Melanchthon vbi Norinbergenses moderatione suâ, quam ἐπιείκειαν appellare consueuit, grauiter offensos intelligeret, vt eos sibi redderet placatiores, suggessit Erasmo cuidam Ebnero, Hieronymi Ebneri, Consulis Norinbergensis filio, qui per id tempus Augustæ morabatur, vt de negotio hoc scriberet ad parentem, & causam explicaret plenius,

nius, quibus ipse permotus hanc concordiæ viam ingressus esset. Ne verò aberraret Ebnerus iunior, ipse Melanchthon epistolam compositit, quam alter descriptam misit ad parentem consulem. Scis, inquit, institutum esse colloquium de dirimendis controuersijs religionis. Mitto igitur tibi vtriusque partis scripta, ex quibus historiam eius colloquij magnâ ex parte cognosces: Videbis etiam, quantum aduersarij nostri putauerint concedendum esse. Et his consilijs scio Philippum vsum esse, non tam metu periculi ac publici motus, quam quod perpetuò ita sentit, prodesse ad posteritatem, ne dissoluatur prorsus Ecclesiastica politia. Et habet huius opinionis suæ non solum rationes magnas, sed & grauissimos autores. Paulò post: Quare miror, tam iniquos de eo sermones spargi apud vos, quod parùm constanter defenderit has partes, & quod gratiam apud aduersarios inire cupiat. Iterum: Ignosci debet his, qui videntur esse cupidiores pacis: Et tamen Philippus etiam alijs rationibus mouetur, quare restitutam Episcoporum autoritatem velit. Etiamsi omnia tranquilla erunt, tamen mira dissipatio erit Ecclesiarum ad posteritatem, nisi iterum iam coniungantur, & habeant certos Episcopos, qui cogantur diligentius curare Ecclesias, quã olim curauerunt. Hæc Ebnerus iunior, vel Melanchthon verius sub Ebneri laruâ ad Consulem Norinbergẽsem. Fuit hoc sub initium

ANNO 1530.

Scribit ad eosdem.

Causæ inuehendæ iurisdictionis.

Septem-

ANNO 1530.

Septembris, cum soluto iam colloquio de pace politicâ inter Catholicos & Protestantes vsq; ad tẽpus Cõcilij variè, disceptaretur.

Scribit ad Camerariũ de iurisdictione. *Ibid. fo.* 309

Melanchthon interim denuò litteras dedit ad Camerarium suum quinto Septembris, in quibus, Ego, inquit, optimo animo semper putaui ista concedenda esse Quo iure enim licebit nobis dissoluere πολιτείαν ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, quæ æquum est eos concedere? Et vt liceat, certè non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus, quem nulla de causâ quidam, vt video, amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minimè vtilem ad posteritatem. Qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesiâ, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certè sint præsides? Hactenus Melanchthon.

V. Lutheranorũ querelæ apud Lutherum. *Chyt. in hist. Confes. fol.* 311.

Cũ igitur Lutherani passim intelligerent, prorsus ita se habere, quæ de iurisdictione Catholicis Episcopis restitutâ spargebantur, Septembri mẽse Lutherũ, velut vnicũ libertatis Euangelicæ vindicem, in hoc cõmuni periculo tragicis clamoribus interpellarunt, quiritãtes rem esse desperatam; Melanchthonẽ & cæteros omnia prodidisse publicæ tranquillitatis gratiâ; iamq; ab illis plus periculi, quã ab aduersarijs impendere; & maius fore negotiũ in his cõpescendis, quã in repellẽdis hostibus. Hęc & id genus alia, cũ Luthero per quosdam magni nominis importunè satis &

Lutheri responsio.

per-

pertinaciter obijcerentur, in hæc verba tandem ille prorupit: Si res ad eum modũ ſe habet, certè diabolus inſignem diſsipationẽ inter nos ipſos fecit. Igitur importunitate ſuorũ & violentiâ ſuperatus, litteras dedit tandẽ, non ad Melanchthonem, cuius vnius culpâ proditam Euangelij cauſam omnes vociferabantur, ſed ad Ionam, 20. Sept. ſcriptas; in quibus tonitrua, fulgura, tragicoſq; clamores multorum ad ſe deferri ſcribit de rebus cõmunibus, quaſi aduerſarijs omnia concedantur, & res Euangelica in magnum ſit diſcrimen adducta. Itaq; quid acciderit in hoc genere, num quid amplius ſit conceſſum, quam poſtremis litteris perſcripſerant, poſtulat edoceri. Quia verò frequentiores rixas inter Melanchthonem, cæteroſque fuiſſe nouerat, ad concordiam eos cohortatur. Videte, inquit, ne id cõmittatis, vt inter nos ipſos ſchiſma oriatur. Et paulò poſt: Non ſcribo hæc, quod opiner vos quicquam cõmiſſuros eſſe: Sed violentia penè plus quã tragica litterarũ, quibus me noſtri flagellant, cogit etiã tutiſsima timere. Deinceps & ego aduerſarijs ne pilo quidẽ cedam. Demum, Sed ſatis eſt, inquit. Ego penè rũpor irâ & indignatione. Oro autem, vt abruptâ actione, deſinatis cũ illis agere, vt cedatis. Hactenus Lutherus.

ANNO 1530.

Eius ad Ionã litteræ.

Documentum actionis poſtulat.

Ibid. fol. 311.

" Luth. nemini cedit.

Cæterũ truſtrà fuit panicus ille terror Lutheranorũ, & ſumma cõſternatio, quã metus incuſsit Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Ea enim verbo quidẽ, & voto Melãchthonis Epiſcopis reſtitu-

Iuriſdictio verbis non re reſtituta.

ANNO 1530. restituta fuit; reipsâ nunquam fuit restituta: cum integra fieri non posset omnium dogmatum conciliatio, & Protestantes à quibusdam etiam per Melanchthonem concessis capitibus resilirent; idque ad arbitrium Lutheri, à quo rerum omnium momenta pendebant. Interim, quia scriptum illud erat in manibus Catholicorum, in quo Melanchthon de sociorum, imo & Letheri consensu iurisdictionem restituit Episcopis, vti suprà diximus; difficultas enata fuit, quomodo ab eo, quod deliberatò concesserant Lutherani, saluo honore, vel sine leuitatis notâ referrent pedem. Quâ de re cum valde solliciti essent Ionas, Spalatinus, alijque qui Melanchthonem contrà genium erant secuti, quod is Luthero non conscio tantum, sed & iubente iurisdictionem Episcopis concedi diceret; Lutherus datis ad Spalatinum litteris hortatur, vt sint animo præsente; inuenturum se rationem, vt ex ijs difficultatibus eos expediat. Esto, inquit, aliquid manifestè (quod non facietis Christo fauente) contra Euangelium concesseritis, & ità in sacum aliquem, aquilam istam (Melanchthonem) concluserint: Veniet, ne dubita, veniet Lutherus, hanc aquilam liberaturus magnificè: Ita viuit Christus, hoc verum est. Quare nolite timere, victores iam violentiæ, ab istis bullis insidiarum: Vtut res ceciderit, fortes estote, & viriliter agite.

Lutheranorum angustiæ.

Chyt. in hist. Conf. f. 296

Lut. litteræ ad Spalatinum.

Ibid. f. 287. Iam & Catholici vicissim Lutheranis com-

communionem vtriuſq; ſpeciei certis conditionibus indulgendam cenſuerant; idque per Pontificem; quá de re Legatum Apoſtolicæ Sedis dixerant interpellandũ. De quo capite Lutherus Spalatino reſpondet in hunc modũ: Porrò, inquit, in iſto articulo, in quo petitur, vt à Legato & Papâ poſtulemus nobis concedi, quæ nobis permittere velint, obſecro te, vt Ambſdorfficè reſpondeas in aliquẽ angulum: Vt Pontifex & Legatus ipſius lingua ſetan nobis detergant. Germanicè nates dixit, inuerſis litteris; de qua ſcurruli ac turpiſsimâ phraſi veniam peto: Non mea hæc eſt, ſed Lutheri ſpurcities: cui hoc genus ſermo familiaris admodum fuit. Quod verò ſe ſcribit aquilam rupto ſacco liberaturum, id fecit Lutherus, dum iracundiâ præceps actionem abrumpi iuſsit: qua in re mãdato ipſius paruerunt. Ita factum eſt, vt Saxo, re infectâ tandem ad vigeſimum tertium Septemb. cum omni comitatu diſcederet.

ANNO 1530.

Catholicorũ intentio de communione vtriuſque ſpeciei.

Ibid. f. 296.

" Spurcities Lutheri.

Proteſtantes re infectâ diſcedunt.

Atq; hæc quidem breuiter commemorare placuit, de Melãchthonis actionibus, pro ſectâ Lutheranâ ſuſceptis, in Auguſtano Conuentu: In quo tametſi multum laborauit, vt Lutheri cauſam tueretur, & per integram æſtatem ex Maio ad Septembrem vſque magnas moleſtias, ſollicitudines, curas, imò & ſummos angores ſuſtinuit, nihil aliud tamen ab ijs, pro quibus velut in acie ſudabat, quam obloquia, calumnias, detractionem, odium, inuidiamque reportauit.

ANNO 1530.

CAPVT VII.

I. *Landgrauius Lutheranos cum Zuinglianis coniungere studet.*

II. *Actio in scripto inter Lutheran. & Zuinglian. Augustæ instituta.*

III. *Bucerus Pontano Electoris Sax. Cancellario fraudulenter se insinuat, scripto sententiam suam offerens.*

IV. *Noua actio inter Sacramentar. & Brentium deputatum à Lutheranis, cum scripto Melanchthonis Buceri tradito.*

V. *Sacramentarij seorsim, & suâ Augustæ Confessionem Cæsari offerunt.*

I. Landgrauius patronus Sacramentariorum. *Selnec. recit. 12. pag. 236.*

ANTEQVAM verò digrediamur ab his comitijs, quędam hoc loco subiungenda veniunt, quæ Lutherani Melanchthonem Augustæ cum Sacramẽtarijs egisse memorant; à quibus id temporis totus erat alienus. Nam & huius factionis quidam istuc à ciuitatibus Zvvinglianis missi fuerunt, qui non parum præsidij, tum quidem in Philippo Hassiæ Landgrauio habere videbantur; quanquam Saxo, cæteriqúe Protestantes ab eorum societate prorsus abhorrebant. Hi verò ante Cæsaris aduentum non minùs liberè quam Lutherani, publicas ad populum conciones habuerunt; & magno quidem cum multorum applausu. Inter hos primi nominis erant Martinus Bucerus, VVolffgangus Capito, Caspar Hedio, Ambro-

Interpellatur de Concordia cum Lutheranis

sius

sius Blaurerus, qui Landgrauium frequenter interpellarunt, vt perficeret nunc, quod anno superiore Marpurgi cœperat opus, & Lutheranos cum Zvvinglianis conciliaret. Erat Princeps ille perspicaci & ardente ingenio, videbatque si Sacramentarij cum Lutheranis in eadem castra coniungerentur, id magno futurum cum Ecclesiæ Romanæ detrimento, cui quanto studio poterat, exitium machinabatur. Ad Zvvinglianos satis propendebat à Colloquio Murpurgensi: quod cum Heluetij non ignorarent, hoc egerunt sollicitè, datis ad eum frequentibus litteris, vt Principem hunc, antequam Augustam iret ad Comitia, quoquo pacto ad se traducerent. Quanquam verò non succesisit ista machinatio; metuendum tamen videbatur, ne continuis Buceri & Capitonis interpellationibus, aliorumque litteris expugnatus, deficeret tandem, & in partes aduersariorum transiret.

ANNO 1530.

Hostis Romanæ Ecclesiæ infensissimus

Ab Heluetijs prensatur.

Erat ipsi à concionibus in aulâ Erardus Sneppius, homo rigidè Lutheranus; qui post Marpurgense colloquium, perpetuam ferè cum illo luctam habuit de Eucharistico negotio, multumque laborauit, vt Principem ab Heluetiorum societate distineret. Hic vbi cum Landgrauio venit Augustam, quod 12. Maij factum est, synedrio Lutheranorum adiunctus fuit: Quam nactus occasionem de Sacramentariorum

Eius aulicus concionator Sneppius.

ANNO 1530.

astutis machinationibus, deque periculo, in quo Principem suum versari nouerat, Melanchthonẽ admonuit; Qui rogatus à Sneppio, Lutherum eâ de re fecit certiorem, rogauitq; vt vacillantem datis litteris contra Sacramentariorũ insidias confirmaret. Ille scribit ad Landgrauium, eumque magno affectu conquisitis rationibus, à Zvvinglianorũ consortio dehortatur. Epistola hæc Coburgi scripta fuit 22. Maij, tribus ferè septimanis antè, quam Cæsar Augustam venit.

Selnec. in Recit. f. 237 238.

Luth. ad Lãdgr. litteræ de fugiendo Zvvingl. consortio.

Landgrauius sub id tempus vehementer laborabat, vt si controuersia dirimi planè non posset, quæ inter Lutheranos & Sacramentarios gliscebat, dissidium tamen aliquo pacto tegeretur, & vtrique in fraternam coniunctionem ad tempus coalescerent: Quemadmodum dessidentes ad depellendum commune periculum, necessitatis causâ facto syncretismo nonnunquam in societatem coire solent. Nec effecerunt Lutheri litteræ, vt ab hoc conciliandi studio Landgrauius conquiesceret. Gerebat verò se veluti medium inter vtrosque, qui suspenso iudicio de reipsâ neutris insolidum esset addictus; nimirum, vt hoc facilius dissidentes syncretismi glutine coniungeret. Cæterùm displicebat illi multum Lutheri duricies, qui Marpurgi Zvvinglium anno superiore proximo, verbis asperioribus à fraternitate reiecerat. De Melanchthone verò meliora sibi pollicebatur; quem paullo mo-

Lãdgrauij studium in concordia Zvvinglio Lutherana.

Lutheri duritiem detestatur.

men-

mento sperabat istuc impelli posse, vt in hac causâ se pro mansuetudine sua, & insigni comitate benigniorem exhiberet Zvvinglianis, nec eos tam duriter à societate repelleret; præsertim cum nuncà Luthero disiunctus esset. Et Sacramentarij quidem, Capito cumprimis & Bucerus, hac de re cum ipso Melãchthone colloquium ambiebant; quod ille perpetuo defugit; siue per Saxonem prohibitus ne congrederetur, siue per Lutherum ipsum, siue quod suo quodam ductu, ab insigni Buceri fraudulentia sibi metueret.

ANNO 1530. Melancht. mollitiem amat.

Sacramentariorum votum cõgrediendi cum Melãchthone.

II.

Landgrauius igitur ea, de quibus colloquendum erat, per Zvvinglianos iussit in breue scriptum redigi, quod Melanchthoni & Brentio fuit oblatum, vt expenderet negotium, ac deinde respõderent. Auctor scripti, quisquis fuit, siue Bucerus, siue Capito, rationibus quibusdam persuadere nitebatur, Zvvinglianos à Lutheranis recipiendos in fraternitatem, & ad subscribendam Confessionem, quã Melanchthon id temporis meditabatur, vnà cum Protestantibus admittendos: controuersiam verò de Eucharistia reijciendam ad Concilium, vrgendumque Cæsarem, vt id tandem indicetur.

Eorum libellus oblatus Lutheranis eiusq; summa. *Chytr. in hist. Confes. fol. 648. Selnec. in recit. f. 242.*

Melanchthon & Brentius, vbi scriptum hoc perlegissent, datis ad Landgrauium literis 9. Iunij respondent: Non ignorare se infirmos errore per imprudentiam implicitos tolerari forsan ad tempus posse. Verum,

Lutheranorum replica.

ANNO 1530.

vt prauorum dogmatum autores pro fratribus agnoſcantur, id nullo pacto committendum; præſertim cum aduerſarij conceptum errorem, magnâ animorum contentione defendant. Paulum ſuſcepiſſe Galatas quidem in errorem abductos; At de peruerſi dogmatis magiſtris, in hæc verba prorupiſſe: Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. Se quidem, illæsâ conſcientiâ, cum ijs in fraternam ſocietatem coire non poſſe, quorum dogmata non probent, cum idem Paulus peccatum eſſe iudicet, quicquid non procedat ex fide. Nouam hanc eſſe Theologiam in Eccleſiâ, quæ, non habitâ ratione dogmatum, ſatis ad ſalutem eſſe iudicet, ſi primum ocio, pacique ſtudeamus, deinde vitam virtutibus politicis vtcunque ornemus: Quę ſi perfecta ſit, & ad benè beateque viuendum abſoluta ratio, multos è gentilium philoſophis in Chriſtianorum album referri oportere. Quod auctor ſcripti Concilium vrgendum cenſeat, id ſuo modo non abs re videri poſſe. At ſiue in Concilio, ſiue extrà Concilium verſemur, fidem ingenuè profitendam, nec prohibendum, quo minus prauorum dogmatum curſus impediatur. Zvvinglianos ipſos non expectato Concilij decreto, Papiſtas & Anabaptiſtas perſequi: Cur igitur iniuſtè facere cenſendi ſint, qui falſam ipſorum doctrinam extrà Concilium prohibere inſtituant? Multum eos Auguſtæ gloriari de pecunijs, de paratâ manu hominum, de gentiũ exte-

Reſpuunt fraternitatem.

Apoſtoli verba de hæreſiarchis.

Abſurditas nouę Theologiæ.

Fides ingenue profitenda.

exterarum auxilijs. Mirum sibi videri, cum alioquin perpetuò in ore habeant charitatem, quod ad huiusmodi strophas & consilia se vertant, in quibus Christianæ charitatis, obedientiæ, & patientiæ ratio non habeatur. Quod si verum esset ipsorum dogma, non decere tamen Christianos homines ea consilia, ex quibus horrenda sit Ecclesiæ & politiæ confusio oritura. Videre se, quam tragœdiam machinetur Sathan: Itaque cauendum, ne quid in hac causâ temerè vel imprudenter egisse videantur.

ANNO 1530.

Charitas Sacramentariorum dolosa.

Landgrauius, perlectis his litteris, respondet prolixè satis, & Melanchthonis ac Brentij rationes diluit, quibus freti Zvvinglianos à fraternitate repellebant. Durum sibi videri, ait, quod cum in reliquis fidei capitibus idem cũ ipsis sentiant, ob vnius dogmatis discrepantiam reijciantur. Sperare se, futurum vt hanc rem expendant maturius, & aliam mentem induant: Quod vt faciant, varijs rationibus persuadere conatur. Certè si dogma Zvvinglianorum vi prohibeatur, armataque manu, existimare se dicit, id iniustũ fore: Tum quod Christus doceat, permittendũ, vt zizania crescant cum tritico, & Paulus Christum moneat quoquo pacto prędicandum, siue per occasionem, siue per veritatem, tum etiã quod Lutherus initio scripserit, prohibere libros & conciones nõ esse politici magistrat°, cui corpora fortunęq;, nõ conscientiæ, vel animarũ gubernatio cõmissa sit;

Landgrauij responsio. *Selnec. recit. 12: pag. 246.*

Zizania cũ tritico crescere debere.

Lut. sententia de hæreticis libris &c.

ANNO 1530.

sit; tum verò maximè, quod Zvvinglianos, ait, nondum erroris esse convictos: Neque verò quenquam citrà causæ cognitionem damnandum asserit. Se quidem, quod vera sit in hoc certamine Lutheranorum sententia, per expressum textum sine glossa certiorem reddi non posse: Auditurum tamen vtrosque, & rationis suæ iudicium veræ sententiæ, Deique verbo submissurum. Rogare interim atque obtestari, vt si fieri possit vlla ratione, fraternam societatem cum Zvvinglianis ineant.

De veritate Lutheranismi dubitat.

Lutheranorũ replica.

Respondent illi denuò per litteras: Non dubitare se, quin Princeps affectu planè sincero hanc causam agat, & salutem publicam spectet multarum gentium. Petere igitur denuò, quã possint humiliter, vt rationes prudenter expendat, quibus nuper se scripserint in hac causa moueri. Ijs se dicunt etiamnum inhærere, nec posse cũ Zvvinglianis in hanc venire fraternã coniunctionem, quæ magno foret cum scandalo coniuncta: quandoquidem probare viderentur, & confirmare doctrinam eorum assensu suo, quam tamen coram Deo defendere vel tueri nequeant. Neque verò valdè gratum id futurum Deo, si dogma Zvvinglianum repugnante conscientia defendendum susciperent. Quod in suspicionem adducti sint apud Principem, quasi Zvvinglianorũ oppressione delectentur, eam esse calumniam. Pacis enim se cupidissimos esse, & ab inquietis consilijs alienos.

Cõiunctio cum Sacramentarijs qualis.

De

ANNO 1530.

De Zvvinglianis verò gloriari quosdam, quod ad bellum instructi sint rebus necessarijs, & parati. Rogare se principem, ne nimium festinet quærendis humanis auxilijs, quæ frequenter etiã in bonis causis frustrentur; & vt hanc responsionem clementer accipiat.

III. Bucerimachinæ Sinonianæ.

Hæc acta sunt Augustæ, priusquam oblata Cæsari fuit Lutheranorum confessio; nec aliud spectauit in hac actione Landgrauius, quam vt ad eã vnà cum Lutheranis subscribendam Zvvingliani admitterentur. Quod cum frustrà machinatus esset, Bucerus, qui primarius erat huius fabulę choragus, negotium hoc alia sibi via rursus tentandum iudicauit. Igitur mense Iulio, cum Protestantium confessio iam esset in confessu principum recitata, insinuauit se in colloquium cũ Gregorio Pontano, Saxonis Electoris Cancellario, eique persuadere conatus est, Heluetios in cõtrouersia de Cœna Domini, verbis à Luthero dissidere tantum; re ipsa non dissentire. Itaque si vtrique veniant in colloquium, facilè futurum dicebat, vt sublata verborum discrepantia, in eandem sentẽtiam conuenirent: Erat Bucerus insigniter versipellis, atque huc ibat, vt Luthero absente Melanchthonem, Brentium, & reliquos Lutheranos circumuentos, instituto syncretismo, fraudulenter in societatem Zvvinglianorum inuolueret. Pontanus verò monuit Bucerum, vt quæ priuatim huius generis

Selnec. vbi supr. Chytr. hist. Aug.

Insinuat se apud Pontanum.

Eius intentio.

Scripto comprehendit suã sententiã.

ANNO 1530.

dixerat, ea scripto complecteretur : Quod ille fecit, datis ad Pontanum 22. Iulij litteris, in quibus hoc vnum agit longo verborum circuitu, vt Lutherum & Zvvinglium reipsa conuenire, diuersis tantum vti verborũ formulis persuadeat. In fine prouocat ad Christi iudicium, seque nihil dissimulare asserit, sed arcanum mentis sensum fateri; nec vnquam ab exordio huius certaminis aliter sensisse. Semper optasse, vt cum Melanchthone, alijsque viris doctis in vera simplicitate (sic loquitur) vt æquum sit in rebus diuinis fieri, de causa hac conferre liceret: Quanquam id hactenus non potuerit impetrare. Rogat Pontanum, vt ipsius interuentu cum Melanchthone in colloquium venire concedatur.

Ad Christi tribunal prouocat.

Colloquiũ Melanchr. petit.

IV.

Hoc Buceri scriptum Pontanus Melanchthoni, Brentio, cæterisque legendum dedit & examinandum. Hi verò ne concordiæ minus auidi viderentur, quam Zvvingliani, re deliberata Brentio mandarunt, vt solus cum Sacramentarijs colloqueretur, idque sine causæ præiudicio, non alium in finem, quam vt ad socios omnia referret, quæ proponerentur. Venit ille, & varios cum Capitone atque Bucero sermones habuit: verum sine fructu; quod Brentius Vbiquitatis dogma è Lutheri scriptis polemicis haustum, Eucharistico negotio permisceret. Zvvingliani verò Melanchthonem imprimis ad colloquium inuitabant, futurum

Brentius cum Sacramentariis agit.

Brentius Vbiquitarius.

rum rati, vt ipso præsente, facilius collatis sententijs negotium transigeretur. Ille verò, cùm perspectam haberet Buceri vafritiem, colloquium recusabat: Ne tamen auersari concordiam videretur, mentem suam de hoc negocio, 25. Iulij, paucis declarauit, epistolio scripto, cuius hæc erat sententia: Non recusare se colloquium, si per occupationes liceret. Sicubi dissentiat ab ipsorum dogmatibus, id sine vlla animi acerbitate fieri, & sine odio. Non videri Reipublicæ consultum, aut tutum conscientiæ suæ, si Protestantes onerentur inuidia Sacramentarij dogmatis, cui ipse contra veteris Ecclesiæ autoritatem assentiri nequeat.

ANNO 1530. Melancht. renuit cũ Sacramentar. agere.

Sententiã suam scripto explicat.

Si tamen per litteras secum velint colloqui, pollicetur id fore secretum, ne quod ex eo periculum possit oriri. Zvvinglium Augustam misisse confessionem suam, in quâ videri velit, ne verbis quidem à Lutheri sententia discrepare. Interim in alijs quibusdam articulis eum tumultuari præter rem. Videri hominem Heluetico quodam potius, quam Christiano spiritu præditum, cuius impulsu tam ferocem Confessionem scripserit. Velle se magnoperè sedatam esse controuersiam hanc, de Cœnâ Domini; de qua si quid illi scripserint, se quidem non grauatè responsurum. Hæc Melanchthon.

Quale colloquium petat.

Zvvinglii spiritus Heluetic⁹.

Ad

ANNO 1530. Sacramentariorum responsio.

Ad quæ paulò prolixius respondent Bucerus & Capito, datis 28. Iulij litteris. Se quidem, aiunt, inter Christi præsentiam in Cœna, quam Zvvinglius ad fidei contemplationem reuocet; Lutherus verò realem quidem statuat, non tamen localem, aut nullum videre discrimen, aut ita tenue, vt dum quæritur, euanescat. De veritate humanitatis Christi, longius alios ab alijs disidere; quemadmodum ex Brentij colloquio, tum è quibusdam illius, aliorumque scriptis colligant; Quanquam si remotis affectibus, vtrorumq; sententia discutiatur, & hac in re de verbis potius controuersia sit, quibus hoc mysteriũ proponi debeat, quam de re ipsa. Rogant denuò quam possunt enixè, vt sui copiam Melanchthon faciat ad colloquium: Venturos se dicunt, quocunque ille voluerit, & quandocunque; nec quenquam prꝫter Sturmium; imò si ita velint, ne ipsum quidem adducturos. Has litteras cum Melanchthon ad collegas retulisset, decretum est re multum deliberata, non viua voce, sed scriptis cum aduersarijs agendum. Itaque Melanchthon conscripsit articulos quosdam, quibus breuiter vtriusque partis sententiam est complexus, nimirum vt ostenderet, Lutheranos & Sacramentarios non verbis modo, sed & sententijs plurimum disidere. Insimulat autem Bucerum fraudulentiæ, quasi nebulas offundat causæ huic, & quę sit Lutheranorum sententia volens dissimulet; adeoque insidias

Discrimen vtriusque dogmatis de Eucharistia.

Colloquiũ cum Melancht. petunt.

Articuli cõtrouersi à Melãcht. conscribuntur.

Bucerus fraudulentię insimulatur.

struat

ANNO 1530.

ſtruat Lutheranis, & ſuis interim imaginationibus decipiatur. Hos articulos breuiter & concisè ſcriptos more Scholaſtico Pontano dedit, offerendos Bucero : Qui datis ad Pontanum litteris, quarto Auguſti gratias agit imprimis, quod à Melanchthone reſpõſum impętrarit. Quanquam verò ſatis intellexit ex articulis iſtis, deprehendi ſtrophas ſuas, & concordiam omninò deſperatam eſſe; perſtitit tamen in ſententia, non de re, ſed de phraſi tantum, deq; modo loquendi, Lutherum & Zvvinglium inter ſe diſſidere. Quod cum Melanchthoni, Brentio, cæteriſque, qui Auguſtę erant, fruſtrà occineret, demum ſub finem Auguſti menſis, Lutherum ipſum pertentandum cenſuit: idque per litteras primum; deinde & coram viua voce; quæ res quomodo cellerit, in vita Lutheri diximus.

Eius reſponſio.

Pertinacia in dogmate.

In vit. Luth. cap. 23. p. 416.

V.

Atque hæc quidẽ Auguſtæ, per Melanchthonem & Brentium tempore Comitiorum acta ſunt cum Sacramentarijs, qui cum ſe viderent à ſocietate proteſtantium excluſos, ſuam deinde Cæſari Confeſsionem ſeparatim obtulerunt. Id factum eſt per Legatos quatuor ciuitatum Imperialium, Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ, Lindauij, quæ Zvvinglij dogmatibus adhærebant. Atque hæc Confeſsio, quemadmodum & prior illa Lutheranorum, mandatu Cæſaris per Catholicos Theologos oppoſito ſcripto confutata fuit, & in ſenatu principum reiecta.

Zvvinglianorũ Confeſſio ſeparatim oblata Cæſari.

Sleid. Laua. & alij Oſiand. lib. 2. cap. 14.

A Catholicis refutatur.

CAPVT

ANNO 1530.

CAPVT VIII.

I. *Apologia Proteſtantium à Cæſare reiecta, cum Confeſſione Auguſtana VVittenbergæ per Melanchthonem, plurimis fraudulenter vel demptis, vel additis, publicatur:*

II. *Fraus Melanchthonis detegitur cum origine Philippiſtarum & Melanchthonicorum.*

III. *Melanchthon ob mutationem in Confeſſione factam, grauiter reprehenſus.*

IV. *Melanchthon hypocrita, Caluino familiariſſimus.*

I. Apologia Proteſtantium.

MELANCTHON verò, priuſquam Auguſtâ cum Saxone diſceſſit, Apologiam ſcripſit Proteſtantium nomine, vt Cõfeſſionem à ſe compoſitam aduerſus Catholicos tueretur; quam cum Cæſar in conſeſſu principum oblatam repudiaret, VVittenbergam ſecum autor aſportauit: Vbi poſtmodum recenſuit Apologiam hanc, & magnis incrementis auctam in publicum emiſit; quæ non amarulentia tantum, & petulanti dicacitate reſperſa eſt, verum & mendacijs in Catholicos, fœdisq; calumnijs, velut emblematis quibuſdam interſtincta. Adiunxit verò & Confeſsionem ipſam, non vt Cæſari fuit oblata, ſed additiunculis & mutationibus paſsim interpolatam, quibus iam tum ad futuras in ea mutationes ſecretò diſpoſita fuit. Nec vnquam hæc Confeſsio lucem aſpexit, verbis & ſenſu prorſus intemera-

Vnà cum Confeſſione excuditur.

merata, quemadmodum per Melanchthonem Augustæ scripta primum, deinde per Pontanum nomine Protestantium in consessu recitata fuit, & Cæsari demum porrecta. Hanc, inquam, verbis & sensu penitus eandem Melanchthon nunquam, ne prima quidem editione in lucem retulit. Imò cum sequentibus annis recudenda frequenter esset, quod auidè passim inter Lutheranos distraheretur, nunquam ferè prodijt è calcographorum officinis, nisi quibusdã aucta nouis assumentis, & mutationibus variata; quemadmodum demonstratũ est à viris doctis, & ipsa exemplarium discrepantia testatur. Qua in re leuitas non vulgaris, & inconstantia Melanchthonis apparuit, quam rigidiores Lutherani, qui se genuinos Lutheri discipulos haberi postulant, Melanchthonicis probri loco, postmodum nõ semel obiecerunt; vt ex Altenburgensi Colloquio, alijsque Flacianorum non minus, quam Maioristarum scriptis polemicis manifestũ est. Neq; verò Melanchthon verbis tantum lusit, aut phrasibus permutandis, sed & rerum atque dogmatum cardines loco mouit, & sententiam ipsius Confessionis immutauit: Quin & ijs hominibus aditum patefecit ad confessionem hanc, quos pridem Augustæ cum eam scriberet, velut impios, & indignos, consortio Protestantium abominabatur; Sacramentarijs inquam, & Zvvinglianis; ad quos deinde sub ann. 1541. vel potius, vt

ANNO 1530. Confessio Augustana perpetuò mutata.

And. Fab. in har. Cõf.

Melanchthonicorũ inconstantia.

Colloq. Altenb. in 4. fol. 403.

Confessio à Melãchr. Zvvinglianismo inficitur.

ANNO 1530. vt Caluiniſtæ volunt, ab an. 1536. non apertè quidem profeſsione publica, ſed ſecreta magis inclinatione, cautim & paulatim deflexit. Itaque ſicut ipſe ſententiam mutauit de Euchariſtia, ſeq; diſsimulanter ad Sacramentarios adiunxit; ita & calamum moderatus eſt in Confeſsione mutanda; ſcilicet vt ſecretò feneſtram aperiret, per quam vel Sacramentarios introduceret, vel ipſe ſe foras ad eos proriperet. Quod ne fortè cuiquam ſine cauſa dictum videatur, clarius rem ob oculos defigemus.

II. ARTIC. X. Auguſt. Confeſſ. Articulus Auguſtanæ Confeſsionis decimus, vt is germanicè lectus eſt in ſenatu principum, & Cæſari in archetypo porrectus, in hunc modum habet: De Cœna Domini ſic docetur, quod verum corpus & ſanguis veraciter ſub ſpecie panis & vini in cœna præſens ſit, & ibi diſtribuatur ac ſumatur: Ideircò & reijcitur doctrina contraria. His verbis tria quædam aſſeruntur de auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, quæ cauſam præbuerunt Catholicis Theologis, Confeſsionem examinantibus, vt articulum hunc paucis quibuſdam additis explicandi gratia, velut Catholicum probarent. Primum eſt, quod Chriſti Corpus & ſanguis in Euchariſtia, verè præſens ſit & diſtribuatur: Alterũ, quod id fiat ſub ſpecie panis & vini, quæ loquendi ratio panis & vini conuerſionem includit, quam Tranſubſtantiationem appellamus: Tertiũ, quod qui ſecus de Euchariſtia ſen-

Tria articuli membra.

1.

2.

3.

sentiunt, quales sunt Zvvingliani, Svvenckfeldiani, Anabaptistæ, velut impiè docentes condemnantur. Ex his tribus velut membris quibusdam constat articulus ipse; nimirum quod in Eucharistiâ, verè sit præsens Christus; quod panis & vini substantia in Christi corpus & sanguinem conuertatur; quod qui secus sentiunt, docentque tanquam aberrantes, à veritate reijciendi sint & improbandi; quemadmodum Zvvingliani hanc ob causam in Comitijs à Protestantium consortio reiecti fuerunt. ANNO 1530.

Iam verò Melanchthon eundem hunc articulum in posterioribus editionibus ita recoxit, mutatis quibusdam verbis, quibusdam etiam resectis, vt ambiguum fecerit, quod in primo membro protestantes velut certum asseruisse diximus: Secundum verò & tertiũ membrum, semel & simul è confessione sustulit. Ad primum certè quod attinet, ex eo verbum; adesse, vel præsentem esse, remouit; atque ita formauit articulum, vt cothurnum quendam ex eo fecerit, non Lutheranis modo quadrantem, qui Christum cum pane & vino verè præsentem esse dicunt, sed & Sacramentarijs ipsis, qui CHRISTI Corpus & sanguinem ab Eucharistiâ tam longè remotum asserunt, quam distat cœlum à terrâ. Secundum verò membrum, de panis & vini conuersione, velut papisticum prorsus eliminauit, dum pro vocibus; sub specie panis & vini, quæ transsubstantiatio-

A Melãchthone deturpatur.

Primi mẽbri fœda mutilatio.

Iacob. And. in con. 1. de Concord. D. 4. b.

Secundi membri eliminatio.

ANNO 1530. Item tertij membri.

nem innuunt, aliam loquendi formã substituit, Christi Corpus & sanguinem asserẽs cũ pane & vino sumentibus exhiberi. Ad tertiũ illud, quo secus docentes condemnantur, totum expũxit: Quod vt faceret, necessitas ipsa, meo quidẽ iudicio postulauit. Cùm enim ita transformaret articulum hũc, vt pallio verborum & Sacramentarios simul obuolueret, certè nisi sevellet in contradictionẽ implicare, condẽnatio prorsus abolenda fuit atq; expungenda: Et quidem hoc ipso, quod eã aboleuit, tacens velut intẽto digito causam designauit, qua permotus hoc mutandi consilium susceperit; scil. vt quos Augustæ durius à societate repulerat, eos nũc nutu nictuque, cùm palam non auderet, verbis ad ambiguitatem cõpositis, ad Confessionis consortium inuitaret; occultè quidem illud, & velut per nebulam propter Lutheri tyrannidem, suauiter tamen & benignè, vt temporum cõditio ferebat. Neq; verò Sacramentarij pernitiosum hoc Melanchthonis consilium nõ intellexerunt; quemadmodum historia sequẽtium temporum apertè testatur. Itaque decimum Augustanæ Confessionis articulum, illius Confessionis, inquam, quæ Cæsari fuit in concessu principum oblata, quod ad substantiã pertinet, Melanchthon sub emendationis vmbrâ totum sustulit, & quẽ diximus cothurnum (voce Lutheranorum vtor, hãc Melanchthonis fraudem detestãtium) in locum eius substituit; quem Caluinistæ ex ipsius

Artic. 10. quoad substãtiam totus sublatus.

sius autoris sententia, sibi potius, quã Lutheranis conuenire plenis faucibus gloriantur. ANNO 1530.

Philippistarum & Melanchthonicorũ factiones.

Atq; hinc originẽ habet in Germaniâ Philippistarum Caluinizantium factio: quæ tamẽ à Melanchthonicis, de quibus suprà diximus, toto cœlo disidet. Nã Philippistæ reuerà Sacramẽtarij sunt; tametsi sub Augustanæ Confessionis vmbraculo delitescant: At Melãchthonici vergunt in alterã partẽ, & ad Catholicos inclinant satis, quorum ceremonias in diuino cultu magnã partem retinuerunt: Imò, & in quibusdã doctrinæ capitibus non adeò longè disiti videntur: In quorum gratiã & articulũ de libero arbitrio per Melanchthonem in Apologiâ mutatum esse, Lutherani rigidiores quiritantur. Cæterũ vterque hic fœtus Melanchthonẽ parentẽ agnoscit; quorũ posterior ex illius nomine, prior autẽ ex cognomine nomẽ accepit, ab ipsis inditum Lutheranis, qui Philippistas vt Sacramẽtarios laruatos, Melãchthonicos vt semipapistas, vtrosque velut hostes euangelij deterrimos abominãtur. Interim vtrique prouocãt ad Confessionẽ Augustanã? quod confidẽter imprimis faciunt Philippistæ; cautione tamẽ addita, quod eã profiteantur in sensu Melanchthonis, quem posterioribus annis ad castra Sacramẽtariorum à Lutheranis profugisse non dubitanter asserũt. Huius factionis procul dubio fuerunt, Caspar Peucerus gener Melanchthonis, Christophorus Petzelius, Vrbanus Pierius, alijque nonnulli

Iacob. And. in 1. conc. de Concord. D. & b.

Earum auctor Melanchthõ.

Duces Philippist.

ANNO 1530. VVittenbergẽsis Academiæ professores, qui per Melanchthonẽ educati, VVittenbergam ipsius Lutheranismi sedem clandestinis machinationibus, velut per cuniculos occuparunt : Quanquam Augustus Elector Saxoniæ, cùm fraudem deprehenderet, hanc Philippistarum laruatam colluuiem, summa cũ ignominia è ditionibus suis exturbauit.

III. Rumor de mutationibus August. Confess.

Cæterum cùm viuente adhuc Luthero de crebris illis Augustanæ Confessionis mutationibus parum benignus rumor spargeretur, & Lutherani propter hanc VVittenbergensium inconstantiã malè passim audirent, Ioannes Fridericus Elector hac de causa Legatum VVittenbergam misit Georgiũ Pontanum: Qui, assumpto Luthero Melãchthonem super hoc negotio compellauit: Et quidem, vti mandatum erat, quæsiuit initio Pontanus Electoris nomine; Cur autoritatem illam vsurparit, vt confessionem Augustanam, quæ non ipsius sit confessio, sed Ordinum Protestantium, qui Cæsari eam obtulerint, in quibusdam capitibus mutaret, eique adderet quædam, detraheretque pro arbitratu: atque id sine scitu consensuq; principis Electoris, & cæterorum protestantium? Qui publicè hanc ob causam malè audiant, quasi doctrinam profiteantur incertam & ambiguam, nec cõstantes sint in dogmatibus, quorum professionem in Comitijs Augustanis ediderint: Vnde promiscua multitudo grauiter offendatur. Addit Lutherus:

Selnec. in præf. vlt. Cõf. de Cœna ad Sen. Aug. A. 2. b

Pontanus ad Melãchth. ablegatus, eiusq; postulata.

Seln. recit. 4. fol. 71.

Melancht. à Luth. reprehensus.

Quis

Quis tibi potestatem dedit mutandi confessionem publicam? Augustana Confessio non mea iam, vel tua solius est, sed protestantium; à qua mutanda vide vt cohibeas manum. Si quid in ea sit, quod vberiorem declarationem postulet, id in alijs scriptis euoluere potes atq; explicare. Melanchthon ad hunc modum exceptus, vix habuit, quod responderet; nisi posteriores editiones perpetuò reuocandas ad primam, quæ cum archetypo conueniret; nec intelligendas aliter, quam archetypi sensus pateretur. Interim se deinceps nihil mutaturum promisit. Hæc ille. Verum res iã non erat integra: Passim enim per Germaniam exemplaria volitabant, nec è manibus hominum eximi potuerunt.

ANNO 1530. Melancht. responsio. *Seln. in hist. Conf. p. 69.*

Itaq; res dissimulata fuit, donec an. 1541. Ratisbonę de conciliandis dogmatibus inter Catholicos & Lutheranos, instituta denuò fuit collatio. Ibi Melanchthoni eadem hæc inconstantia per Eccium obiecta fuit, & in mutanda confessione temeritas: quam cum purgare non posset, à collocutoribus vtriusque partis coactus restituere, promisit, quæ sustulerit; quod reuera nunquam præstitit.

IV. Caluinus Melancht. familiarissimus.

In ijs verò Comitijs Caluinus, quem Bucerus Argentorato secum adduxerat, cũ Melanchthone atq; Crucigero suauiter cõsusurrauit, eorũq; animos, vt erat insigniter versipellis, firmo glutine sibi deuinxit, vt eos perpetuò deinceps addictos haberet. Et Melãch-

ANNO 1530.

thon quidem ab hoc colloquio benigniorem in Sacramẽtarios affectum habuiſſe videtur; quem imprimis eo tempore prodidit, cùm Lutherus vltimam de CœnaDomini Cõfeſſionem emiſit, vt ſuo loco dicemus. Nec dubitant Sacramentarij, quin Melanchthon, cũ prius ab an. 1536. ad Sacramentarios inclinaret, ſub id tempus Caluino ſe totum adiunxerit; tametſi mentis ſecretum propter Lutheri tyrannidem, de qua poſteà conqueſtum aiunt, non fuerit auſus publicè profiteri. Itaque hypocritam faciunt Melanchthonem, qui contra genium, imò reluctante conſcientia vixerit quidem inter Lutheranos, ſed animo totus adhæſerit Sacramentarijs, eamque rem perpetuò diſſimularit.

Melancht. hypocrita.

CAPVT IX.

I. *Examen ſuper Melanchthone, Lutheranuſne an Caluinianus in extremis fuerit.*

II. *Lutheranorum Melanchthonem ſibi vendicantium rationes numero nouem.*

III. *Caluiniſtarum eundem ſuis partibus adiungentium rationes totidem.*

IV. *Melanchthonis inexcuſabilis fraus, inconſtantia, & perpetua inter Lutheranos miſeria.*

I. *Quæſt. I.* An Melanchthon in extremis fuerit Cal-

CAETERVM, quia in hunc ſermonem incidimus, breuiter hoc loco diſcutiamus quæſtionem illã, quæ de Melanchthone inter Lutheranos & Caluiniſtas hoc tempore multũ agitatur, ſcilicet, An Lutheranus fuerit

fuerit extremis annis, an verò Caluinianus? Nostra sanè parum interest, cuius factionis ille fuerit, quem Catholicum non fuisse scimus: Verùm, quia res hęc ad vitam & mores ipsius cumprimis pertinet, prætereunda non erat hæc controuersia: de qua statuet quod visum fuerit Lector. Et Lutherani quidem molliores Melanchthonem sibi totum vindicant, eumque contendunt ad mortem vsq; Lutheranum fuisse; licet animo nonnũquam fortè vacillarit. Id verò his rationibus suadere conantur; Principio, Quod Bucerus & Oecolampadius ab initio certaminis Eucharistici, ad annum vsque 1529. frequenter pertentarint Melanchthonis animum, eumque ad Sacramẽtariam factionem magno studio conati sint pertrahere; verùm id aiũt frustrà semper fuisse; cùm ille fraudes Sacramentariorum, & insidiosas machinationes prudenter eluserit. Secundò, Quod in Colloquio Marpurgensi an. 1529. primum, deinde anno 1530. sequente in Comitijs Augustanis Luthero contra Zvvingliũ, Oecolampadiũ, Bucerum, Capitonẽ constãter adhæserit, nec se passus fuerit vllis rationib. induci, vt Zvvinglianos vel haberet pro fratribus, vel ad subscribendam Protestantium Confessionẽ admitteret: Imò quod sub idẽ tẽpus durantibus adhuc Comitijs, ad detegendã Buceri fraudulẽtiã articulos de Eucharistia scripserit, in quibus lõgè aliam esse suã & Lutheri, quam Buceri cæterorumq; sententiã demonstrauit.

ANNO 1530. uinianus, an verò Lutheranus?

II. Lutheranorum pro eo sententia, & rationes.

I. *Marb. in expl. verb. Can. c. 1. fol. 24. 25. 26. Seln. in vlt. Conf. de Can. H. 1. a. b. & c.*

2.

ANNO 1530.

Tertiò, Quod eodem anno sentẽtias de Eucharistia, è scriptis veterum Patrũ selectas in
3. lucẽ emiserit, atq; in istius libelli præfatione animum à Zvvinglianis alienum declararit: tũ quod paulò post litteras scripserit ad quẽdam Martinum Gorlitium, apud Brunsvvicenses euangelij Lutherani ministrũ, in quibus prouocarit ad libellum hunc ex Patribus collectum, seq; asseruerit mortẽ subiturum potius, quam vt Christi Corpus cum Zvvinglianis vni tantum loco sentiat alligandum.

4. Quartò, Quod postmodũ an. 1536. cũ VVittenbergæ de concordia inter Lutheranos & Sacramentarios ageretur, & Bucerus cũ socijs abdicato errore in Lutheri sententiam concederent, quemadmodũ Luterani constanter asserunt, Melanchthon actionis illius capita punctim ad eum modum conceperit, vt scriptum illud non aliam quã Lutheri doctrinã de Eucharistia complecteretur. Quodque in eadem sentẽtia permanserit, & anno sequẽte 1537. ad Electorẽ scripserit, se quoad viueret, Zvvinglianorum sententiam nõ probaturũ, cùm eos falsa docere ac scribere compertum

5. habeat. Quintò, quod cum an. 1540 in itinere VVormatiã versus, graui morbo oppressus Vinariæ decũberet, iamq; velut in extremis constitutus cõderet testamẽtum, ad formulã concordiæ VVittenbergensis à se cõtextam prouocarit; quã ex Lutheri sententia scriptã, vel ipsi Zvvingliani nõ diffitentur: quodq; biẽnio post, an. 1542. scilicet, ad cõcionatores

quos-

quosdam, Vlmenses præsertim, inter reliqua scripserit, hominem tentationibus exercitum, qui pietatis affectũ habeat, Zvvinglianorum doctrinam probare non posse; se verò metuere, ne Sacramentarij magnam adhuc securitatem, imò & paganismum ipsum in Ecclesiam inducant, nisi suos confirmet Deus. Sextò, quod Melanchthon in omnibus colloquijs, quæ cum Catholicis ad dirimendas religionis cõtrouersias instituta fuerunt, nomine Protestantium delectus sit ad causam Lutheranorum agendam: Neque verò Catholicos, si Zvvinglianus fuerit, cum eo congressuros fuisse, vel quod talis esset dissimulaturos. Septimò, Quod Lutherus magni semper fecerit Melanchthonem, & cõiunctissimè cum eo vixerit ad mortem vsque; quodque vicissim ipse coluerit Lutherum, & defunctum oratione funebri sit prosecutus, in qua patrem eum appellarit, currum Israelis & aurigam eius; quod in lucem quoque emiserit scripta Lutheri, eaque præfationibus additis, insigniter commendarit. Octauò, Quod semper publicè protestatus sit, eam se religionem profiteri, quæ tradita per Lutherum in Ecclesijs Saxonicis vigeat; quibus adhærere se, nec vnquã ab eo doctrinæ genere discessurũ, expressis verbis asseruerit: Quodque ex ipsius libris, si modo non contra mentem autoris torqueantur, nihil præsidij habeant Sacramentariæ factionis ministri; cũ perpetũò Lectorem ad eius do-

ANNO 1530.

6.

7.

8.

ANNO 1530. 9. ctrinę fundamẽta manu ducant, quæ Lutheri ſcriptis contineantur. Nonò, quod extremis annis, non longè antè, quam è vitâ diſceſsit, de Caluino queſtus ſit inter ſuos, viris fide dignis præſentibus, eumque dixerit multa ſcribere, nec ipſum intelligere, quid velit: quod aliquando, cum Norinbergæ eſſet, ad quendam Michaelem Rotingium, in
„ hæc verba proruperit: Caluinus tantum de
„ CœnaDomini nouit, quantum armilla mea:
„ Coget me tandem neceſsitas, vt edito ſcri-
„ pto eum oppugnem.

III. Caluiniſtarum ſententia & rationes. *Iacob. Andr. in Colloq. 4. de Concord. lib. 3. &c.*

Habes, lector, pleraſque Lutheranorum rationes, quibus Melanchthonem ſuæ ſectæ vindicant: Audi nunc, quibus argumentis eum Caluiniſtæ Sacramẽtarijs addictum fuiſſe ſuadeant. Quanquam non Caluiniſtæ modò, ſed & Lutherani rigidiores, Flaciani ſcilicet, & Pantachaſiaſtæ, vel Vbiquitarij Melanchthonem è ciuitate Lutheranâ proſcriptum ad Sacramentarios ablegent; quod vt faciant, his ſe dicunt rationibus permoueri. 1. Primò, quod cum viuente Luthero SS. Patrum dicta diuulgarit, vt cõtrà Zvvinglianos veram Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ veteris Eccleſiæ teſtimonio confirmaret, poſt obitum eiuſdem Lutheri retractarit libellum iſtum; quaſi teſtimonia, quæ collegerit, maximam partem adulterina ſint, nec eorum autorum, quorum nomine citata fuerint. Secundò, Quod cum opera Lutheri VVittenbergæ procuderentur, in ſecun-

VVigãdus apud Schluſſelburg. Caluin. fol. 286. 287.

2. *Idẽ VVigãd. in Confeſſ.*

ANNO 1530.

secundo Tomo librum contra Zvvinglianos scriptum, cuius titulus est; Quod Christi verba, Hoc est corpus meum; adhuc firmiter consistant; integro folio mutilarit, eamque partem exemerit in qua Lutherus Melanchthonem defendit contra Buceri versutas calumnias, qui Zvvinglianis eum addictum aliquando fuisse scripserat: Quanquam postea locum istum redintegrare coactus fuerit, & restituere, quæ sustulerat: Ea verò nequaquam inducturum fuisse Melanchthonem, nisi se criminis obiecti reum agnouisset. Tertiò, Quod in Commentarijs, 3. in Caput vndecimum Epistolæ prioris ad Corinthios apertè satis eam Christi verborum expositionẽ probet, quæ metonymiam admittit, quasi vinum significet Christi sanguinem, vt fasces, Imperium Romanum; eodem modo innuens intelligi oportere Christi verba: Hoc est corpus meum; quasi significent hoc, quod esse dicunt. Quartò, quod 4. scriptis ad magnates litteris testatum fecerit, se non Lutheri de Eucharistiâ, sed Zvvinglij potius sententiam amplecti: Id comprimis manifestum esse dicunt ex epistola quadã ad Fridericũ Palatinum Electorẽ, paucis mensibus ante obitũ, scriptâ; in qua nõ modo Lutheri sentẽtiã de Eucharistiâ dãnarit, verbis expresis, sed & causam dederit Electori, adeoq; consiliũ suggesserit, vt pulsis Heidelbergâ cõcionatoribus, qui Lutherũ sequebãtur, Sacramẽtarios surrogarit, p quos Caluinismum

Theolog. Misnens. de Cœna Dom. 13. argumentis probat Melancht. fuisse Sacramentarium.

ANNO 1530. nisſmum in academiam Heidelbergenſem & Palatinatum introductum fuiſſe conſtat.

5. Quintò, quod plures id genus epiſtolæ verſentur in manibus hominum, in quibus Lutheri ſentẽtiam de Euchariſtiâ ſugillarit, reieceritq; velut Papiſticam, per quam Sacramenti veneratio ſtabiliatur; confirmet verò Sacramentariorum dogma, illiſque præbeat occaſionem, vt in erroribus obdureſcant.

6. Sextò, quod anno 1544. cùm poſtrema Lutheri confeſsio de Euchariſtiâ ſub prælo eſſet, datis ad Heluetios litteris ea ſcripſerit Melanchthon, quæ Zvvinglianis eum potius in hac causâ, quam Lutheranis addictum fuiſſe teſtentur; quemadmodũ ex litteris ipſius manifeſtum ſit, quas Bullingerus Tigurinus

7. poſtmodum diuulgarit. Septimò, Quod Caluinus contrà VVeſtphalum ſatis apertè ſcripſerit, Melanchthonẽ in hac causâ ſibi prorſus aſſentiri, nec à ſe minus, quam à ſuis ipſius viſceribus auelli poſſe: quodque Melanchthon, cum Caluini liber hic in hominum manibus verſaretur, per Georgium Anhaltinum monitus rogatuſque, vt inuſtam à Caluino maculam edito ſcripto quodam elueret, pertinaciter recuſarit, imò ſe minatus ſit ex iſtis regionibus aliò migraturum; quanquam illi facillimum fuerit, vno atque altero verbo aſperſam Caluiniſmi maculam de-

8. tergere. Octauò, quod Ioannes Sturmius Argentinenſis multas Philippi litteras ad Sacramentarios Caluinum, Bullingerum, Harden-

denbergium, alioſque retulerit in lucem,& plures etiam id genus alias apud ſe repoſitas aſſeruari teſtetur,edendas ſuo tempore,ſi res ita ferat, quibus liquidò demonſtrari poſsit, eandē prorſus Melanchthonis,quam Zvvinglij &Caluini ſententiam fuiſſe. Nonò,quod Profeſſores Academiæ VVittenbergenſis, Peucerus,Petzelius,Pierius,alijque nonnulli Sacramentariæ factionis homines, quos VVittenberga velut ſerpentes in ſinu ſouerit,à Melanchthone magnam partem fuerint educati; vt ex ipſius pectore ſcriptiſque publicis venenum illud hauſiſſe videantur: quemadmodum & obiecto Melanchthonis nomine,velut glaucomâ quadam ad tempus ſub Auguſtanæ Confeſsionis vmbraculo latitarint: licet tandem fraude detectâ, carceribus & exilio multati iuſtas perfidiæ pœnas dederint. His rationibus permoueri ſe dicunt illi,Flaciani inquam,&Pantachuſiaſtæ, vt Melanchthonem non Lutheranis ſed Sacramentarijs annumerandum cenſeant; quibus hac quidem in re Caluiniſtæ lubentes aſſenſum præbent,quāquam eos alioquin, velut Eccleſiæ peſtes deterrimas odio pluſquā vatiniano proſequuntur. ANNO 1530. 9.

IV. Melanchthon incōſtantię atq; fraudis reus.

Ferat nunc ſententiam in hac controuerſiâ,qui volet:Certè ſiue Lutheranis Melāchthonem adiungendum iudices, ſiue Sacramentarijs,hoc aut illud pronunciari nequit, quin turpiſsimam ei non leuitatis tantum,& inconſtantiæ,ſed & hypocriſis ac fraudulentiæ

ANNO 1530.

tiæ maculam inuras. Nam si Sacramentariorum causam probat, cur id publicè dissimulauit? Si loco veritatis habuit istorum dogma, cur id apertè nō est professus? Cur contra dictamen conscientiæ, contra genium inter eos mansit, quos errore fascinatos esse credebat? Si verò Lutheranus erat ex animo, cur clam prensauit Sacramentarios? cur receptaculum illis præbuit in Augustanâ Confessione, quos in Comitijs ab ea secluserat? cur secreta cum ijs habuit consilia, quos acerrimos Lutheranorum hostes esse non ignorabat? Quicquid dicas, leuitatis & hypocrisis infamiam à Melanchthonis nomine nunquam remouebis. Excusant illum Sacramentarij per Lutheri tyrannidem, quâ deterritum aiunt, ne quod animo gerebat agnitæ veritatis secretum, vt loquuntur isti, in apertum proferret. At tyrannis ista, si quæ fuit, Luthero sublato finem habuit: Cur igitur posteà, quam ab hac seruitute liberatus fuit, ad castra Sacramentariorum non transijt? Imprimis cum post bellum germanicum à domesticis ad inconstantiam & mutabilitatem multum exagitaretur. Verùm ille perpetuò restitauit, eodemque se modo habuit, post obitum Lutheri, quantum ad professionem publicam attinet, vt pridem. Vnde sunt, qui neutris eum in solidum adhæsisse putent, sed velut nutabundum inter vtrosque fluctuasse; quorum ego sententiam facilè probarim. Licet enim

Ratio, quâ Sacramentarij Melancht. excusant.

Refutatur.

Melanchthon inter vtrosque fluctuat.

Melanch-

Melanchthon Sacramentariorum doctrinam de Cœna Domini fuit amplexus; quod ipsius ad Fridericum Palatinum litteræ, tum silentium ad Caluini prouocationem certum faciunt, & indubitatum; alia tamen quædam ipsorum dogmata, puta de libero arbitrio, de prædestinatione, de causâ vel autore peccati, de fatali necessitate, quæ Sacramentarij ex primis illius scriptis hauserant, penitus improbauit: Quæ causa fuisse dicitur, ne se totum Sacramentarijs manciparet. Vicissim oderat infestè Lutheranos illos, qui se solos verum habere Lutheranismi nucleum, & germanum Lutheri spiritum, plenis faucibus hausisse gloriabantur, Flacianos dico, quos non destitit, quamdiu vixit, acerbè scriptis publicis insectari. Reliquis verò Synergistis, Adiaphoristis, Maioristis, adiunxit se quidem professione publicâ, cum inter eos viueret; At quia Lutheri dogma retinebant de Eucharistia, nec illis animo potuit in solidum adhærere. Ita factum est, vt miseram omninò vitam viueret, quam in luctâ conscientiæ traduxit, mœrore animi & perpetuâ sollicitudine propemodum contabescens. Vnde post obitum ipsius nata fuit hæc controuersia, de quâ Lutheranus quidã Melanchthonis, vti præceptoris, amantissimus, cum eum velut Ecclesiæ Lutheranæ ciuem vindicari posse desperaret, hanc sententiam pronunciauit: Aut habemus, inquit, Philippum Lutho-

ANNO 1530.

Melanchthon perpetuo in vita misera *Seln. in rep. conf. de Cœnâ contra Petzelium, C. 3. b.*

ANNO 1530.

Lutheranorum de Melanchthonis fide anceps opinio. *VVolff. in hist. Confess. fol. 125.*

Lutheranum, aut prorsus non habemus: Quę sicut ipse Melanchthon ceu dubius inter vtrosque palpitauit; ita & vtrorum verè fuerit, in dubio relinquit: Nisi quod eum, si Lutheri doctrinam abiecerit de Eucharistiâ, dignum iudicet, qui prorsus à Lutheranis explodatur. Neque verò Lutherani Melanchthonem Zvvinglianizantem è Synagogâ suâ modo, verumetiam è cœlo, quantum in ipsis quidem fuit, excluserunt, dum causas esse scribunt, vt non minus, imò magis etiam de Melanchthonis, quam de Salomonis salute dubitetur. Quâ in re proculdubio Lutheri iudicium secuti sunt, qui Zvvinglianos velut hostes Christi, & infidelibus nequiores diabolo tradendos censuit, & in terrorem aliorum æternis cruciatibus adiudicandos. Verùm hæc hactenus, & prolixius quidem, quâ initiò propositum habuimus: Nunc missis ijs ad historiam Melanchthonis iuxtà seriem annorum breuiter pertexendam, vti nobis ab initio constitutum fuit, reuertamur.

CAPVT X.

I. *Landgrauius Lutheranos cum Sacramentarijs rursum coniungere studet. Monasterij Sacramentarij & Anabapt. nidificant. cum obitu Electoris Sax. & aduentu Legati Pontificij in Germ.*

II. *Conuentus Smalcaldiæ. confessio Melanchth. de iurisdict. Episc. restitutio Vlrici VVirtenbergici Melāchthonē Tubingā euocātis.*

III. *Regis*

III. *Regis Angl. illicitæ nuptiæ & Pontificatus. literis à Melancht. salutati.*

IV. *Melanchthon vocatur à Rege Galliæ.*

V. *Prohibetur à Saxone, idq; ex causis, vbi vide œconomiam & literas Mel. ad Regem.*

ANNO 1531. & 32.

SOLVTO conuentu Augustano Landgrauius denuò Lutheranos de cõcordiâ cum Sacramẽtarijs ineundâ per litteras interpellauit: Factum hoc est anno 1531. cum paulò antè ciuitates aliquot Zvvinglianas icto cum illis fœdere sibi deuinxisset. Dedit vero litteras ad Theologos VVittenbergenses, Lutherum, Melanchthonem, & cæteros, eosque monuit, vt vel nunc tandem propter cõmune periculum, quod à Cæsare videatur imminere, cum Heluetijs Zvvinglianis fraterno se vinculo coniungerent. Responsum fuit nomine facultatis Theologicæ, causas esse grauissimas, cur id fieri nullâ ratione possit, quas Melanchthon & Brentius in Comitijs Augustanis pridem commemorarint. Scriptum hoc Melanchthon confecit: Adiunxit & suas ad Landgrauium litteras, in quibus repetit ea breuiter, quæ anno superiore de hoc negotio scripserat Augustæ, & Sacramentarios à fraternitate penitus arcendos esse demonstrat.

I. *Selnec. in rep. Conf. I. 1. a.*

Anno 1531. Lutherani à Landgrauio de ineundâ concordia sollicitantur.

Eorum responsio.

Sub hoc tempus, cùm Lutheranismi contagio passim se per Germaniam diffunderet, Monasterium quoque infecit, quæ VVestphaliæ præcipua ciuitas est, Episcopali sede insignis. Erant in eâ ciuitate quidam

Anno 1532. Monasterium Westph. Lutheranismo inficitur.

ANNO 1532.

per Lutherum & Melanchthonem fascinati, Bernardus Rotmannus, Brictius Nordanus, Ioannes Glandorpius, alijque, qui res nouas moliebantur, & quanto studio poterant, à Catholicâ religione hominum animos auertebant. Vt verò publicæ mutationis fieret initium, anno 1532. 26. Iulij de quibusdam, vt ipsi loquebantur, abusibus tollendis magistratum admonuerunt. Interim Rotmannus, qui sub initium defectionis Lutheranus erat, à quibusdam persuasus, Sacramentarijs sese coniunxerat: Cuius factionis quidam id temporis per VVestphaliam discurrebant. Quod cum Melanchthon intelligeret, Rotmannum pro insigni suo in eum affectu monendum putauit, vt à Sacramentariorum consortio sibi caueret. Igitur, pridie Natalis Dominici, anno 1532. litteras ad eum dedit, in quibus rumorem, ait, VVittebergam delatum, incerto tamen autore, Monasterij Zvvinglianum dogma de Eucharistiâ palam probari. Se quidem nec planè fidem habere rumoribus istis, nec existimare, quod Zvvinglizantes Rotmannus ipse probet. Quanquam verò sibi nequaquam hoc sumat, vt ipsi aliquid præcipiat, tamen pro amicitia, quæ sibi cum illo intercedat, monendum putasse per litteras, vt alia potius doceat salubriora, quam illas Zvvinglij disputationes. Facilè conscientias hominum in dubitationem conijci, ex qua difficillimè liberentur. Ideoque cer-

Meshou. lib. 6. & 7. hist. Anabapt.

Magistratus interpellatur de tollendis abusibus.

Rotmannus fit Sacramentarius.

Keisenbr. li. de Anabapt. Monast.

A Melãchthone ad Lutheranismum reuocatur.

Conscietiæ hominum dubitationibus obnoxiæ.

certa potius eligenda inter docendum, quæ fiduciam in mentibus confirment, non quæ gignant dubitationem. Quorsum opus sit prophanas illas spargere disputationes, quod nusquam nisi in cœlo sit Christus, & quod vni sedeat affixus loco? Non probare quidem VVittenbergenses, quam Papistæ doceant panis conuersionem in Christi corpus; sed profiteri tamen, quod verè Christus adsit in Cœnâ: quæ res nihil habeat incommodi. Scire se, multa hic quæri posse ab hominibus ingeniosis: Nec dubitare, quin Rotmannus ipse, cum acri præditus sit ingenio, his disputationibus exerceatur. Rogare verò etiam atque etiam, ne iudicium præcipitet. Non ignorare se, viros doctos alicubi applaudere dogmati Zvvingliano; & habere concinnas rationes: Sed in hoc negotio ad analogiam fidei respiciendum. Scribere hæc animo simplici, amore ipsius adductum: Nec Episcopum sese ipsi, nec pædagogum constituere; sed cum amet ipsius ingenium probetque, malle id in rebus bonis occupari, & in locis Christianæ doctrinæ necessarijs illustrandis, quam in disputationibus prophanis. Hæc Melanchthon ad Rotmannum; quem & Lutherus, datis eodem tempore litteris, à consortio Zvvinglianorum deterrere conatus fuit, verbis paulò rigidioribus, dum Zvvinglium ipsum anno superiore trucida-

ANNO 1532.

Dogma Wittēberg. de Eucharistia.

Rotmannus à Luthero deterretur amplecti Zvvinglianismum.

ANNO 1532.

tum in prælio, cum symmistis pœnas impij dogmatis dedisse scribit, horribili sanè exemplo, si discipuli possint commoueri; quos, ait, instar Iudæorum & Philistinorum obduratos talia contemnere, & nescio, quos martyres celebrare. Verùm frustrà fuerunt istæ Melanchthonis & Lutheri commonitiones. Rotmannus enim à Lutheranis iam deflexerat ad Sacramentarios: A quibus postmodum ad Anabaptistas transitum fecit, & tandem anno 1535. occupatâ ciuitate miserandum in modum perijt.

Sur. in com. pag. 236. Cochl. in Act. pa. 289 Sleid. lib. 10

Pertinax miserabiliter perit.

Eodem anno 1532. Ioannes Elector Saxoniæ, cum Svveinitium excurrisset, venandi gratiâ, in grauissimum incidit paroxismum, oppressis repentè sensibus: Apoplexiam fuisse putant. Vocati continuò fuerunt Lutherus & Melanchthon, vt Principi luctanti cum summis angoribus assisterent; qui Svveinitium 15. Augusti sub noctem venerunt. Princeps verò iam agonizabat, sensibus, vt diximus, oppressis, & postridiè post durum agonem ipsis præsentibus spiritum exhalauit. In funere Lutherus duas conciones habuit ad populum; Melanchthon verò latinè perorauit: Atque hæc oratio, vti & Lutheri conciones, statim typis expressa fuit & diuulgata. Successorem habuit Ioannem Fridericum filium, qui parentis vestigijs insistens, Lutheranæ causæ patrocinium magno affectu suscepit.

Saxonis ex apoplexia obitus.

Pro eo cõciones funebres.

Cæsar

Cæsar hoc eodem anno ex Austriâ profectus in Italiam, Bononiæ cum Clemente Septimo Pont. in colloquium venit; Vbi de statu religionis per Germaniam, deq; concilio varij fuerunt inter eos habiti sermones. Placuit autem, vt ad componendum religionis dissidium, Pontifex Oecumenicam Synodum indiceret, eaq; de re Reges & Principes Christiani nominis faceret certiores. Igitur anno sequente proximo, qui fuit à nato Christo 1533. Legatum in Germaniam misit Episcopum Reginenensem Hugonem Rangonum, maturâ ætate & insigni prudentia virum, qui de Pontificis & Cæsaris instituto Principes edoceret. Is inter cæteros ad Saxonem quoque venit Electorem nouum, in Thuringiâ tum commorantem, eique Vinariæ legationis suæ summam exposuit: Pontificem scilicet, ad dirimendas religionis controuersias, re cum Cæsare deliberatâ, generale Concilium indicere decreuisse; quâ de re Principes maturè putauerit admonendos: Hortari verò Saxonem, vt & ipse cum socijs faueant huic instituto, seque lubentes ad Pontificis & Cæsaris voluntatem adiungant. Respondit Saxo, negotium hoc arduum esse, magnique momenti: Itaque cum socijs super eo deliberandum, antequam mentem suam declarare possit.

ANNO 1533. *Sleid. lib. 8. pag. 193. Cochl. in Act. pa 258.* Cæsar Bononiæ cum Pontifice agit de Cõcilio. *Sur. in com. pag. 227.* Anno 1533. *Sleid. lib. 8. pag. 194.* Legati Pontificij in Germaniã aduentus. Summa legationis. Saxonis responsio.

II. Cõuentus Smalcaldiã indicitur.

Deinde Protestantes ad 24. Iunij Smalcaldiæ conuentum habuerunt, vbi, consilijs inter se communicatis, huiusmodi respõsum dede-

ANNO 1532.

dederunt, vt Cõcilij generalis cognitionem, ad quam in omnibus penè comitijs prouocare consueuerant, nunc defugere viderentur. Quia verò negotium hoc ad religionem imprimis pertinebat, concionatores etiam in consilium adhibere placuit: Qui propemodum omnes nec indicendi Concilij ius Pontifici concedendum censuerunt, nec autoritatem, vt in eo præsideret: Quod vtrunq; tamen Melanchthon eidem Pontifici liberali manu tribuebat, nimirum vt synodum conuocaret non modo, sed in eâ quoq; præsidis munere fungeretur. Hoc vnũ illi displicuit, quod postulabatur, vt omnes sese decretis futuræ synodi submitterent. Id enim nimis seruile videbatur & intempestiuũ; nec quenquam in principio volebat ad hanc promissionem adstringi; quod in Synodo liberas esse sententias oportere diceret.

Protestantium de Concilio sententia. *Cam in vita Mel. pag.* 147.

Melancht. renuit sese submittere decretis Concilij.

Igitur in hac deliberatione dissidebat à cæteris, eamq; potestatem dabat Pontifici Romano, quam, nisi pro capite agnoscatur Ecclesiæ militantis in terris, habere non potest: Quæ res magnã apud suos inuidiam illi conciliauit. Nec deerant, qui Melanchthonẽ non modò Papismũ in corde fouere dicerent, sed & hoc agere, vt abolitam Pontificis dominaturam in solidum restitueret. Nouerat istos de se spargi rumores, quos contempsit fortiter, nec à sententiâ tamen se passus est dimoueri, licet omnium in se, & magnorum quoque Principum animos cõcitaret. Auxerunt

Sustinet inuidiam ob restitutam iurisdictionem.

hanc

hanc indignationem litteræ quædam ipsius, sub hoc tempus per quosdam diuulgatæ, qui hanc eius moderationem, & hierarchiæ conseruãdæ studium vehementer improbabant. Eas Augustani conuentus tempore scripserat anno 1530. ad Campegium Cardinalem, ad Legatum Venetum, Nicolaum Teupulũ, aliosque de pacis inter Catholicos & Lutheranos instaurandæ conditionibus; In quibus secretum mẽtis hac de re paulò liberius aperuerat, nũquam futurum ratus, vt hæ litteræ venirent in aliorum manus, & publicè per æmulos in inuidiã sui nominis circumferrentur. Maluisset eas supprimi quidem propter Lutheranorum quorundam intemperiem; & indignè tulit, quod ea passim audiret in luce hominum narrari, quæ pro conditione temporum, pacis studio, viris concordiæ amantibus, velut in aurem musitarat. Sed quia litteræ iam in manibus hominum versabãtur, & res non erat integra, dissimulauit contractum animi dolorem, nec à sententia tamen discessit; quemadmodum quadriennio post manifestum euasit in synodo Smalcaldensi, vt infra suo loco dicemus.

ANNO 1532.

Ibid. p. 149. Chy. in hist. Conf. p. 297

Litteræ animi eius indices in publicũ prodeunt.

Dissimulat animi sui dolorem.

Anno sequente proximò, Philippus Hassiæ Landgrauius Vlricum VVirtenbergensem ducem, quem fœdus Svveuicum ante annos quindecim plus minus è ditione suâ per vim exturbarat, armatâ manu reduxit, eiectis ijs, per quos Ferdinandus Bohemiæ Rex Ducatum istum moderabatur.

Cam. in vita Mel. p. 151

ANNO 1533.&34 Vlricus Wirtemb. per Landg. restituitur. *Bucholtz in Chro. p.542 Sleid. lib.9. fol.205.*

Vlricus igitur, cum restitutus esset, Melãchthonem, datis litteris, ad Academiam Tubingensem inuitauit, in quâ magisterij lauream aliquando susceperat. Ille tametsi satis istuc propendebat, quod à Lutheri aliorumque quorundam crudis & immoderatis actionibus totus esset alienus; quia tamen obstrictus erat Principi, negotium hoc ad illius arbitrium reiecit, à quo missionem impetrare tum quidem non potuit Postmodum tamen Tubingam excurrit, permissu Principis ibiq; ad vnum propè mensem hæsit, studijs, quæ turbata nonnihil erant, instaurandis occupatus.

Melanchthonem Tubingam inuitat.

III. Rex Anglię adulterinas cum Bolema nuptias celebrat. *Sur. in com. pag.227.*

Non multò ante, quam VVirtenbergicus restitutus fuit, anno scilicet 1533. Henricus Octauus Angliæ Rex, vxore Catharinâ repudiatâ, quandam ex gynæceo Annam Boleniam in eius locum sibi copulauit: Quæ res Catholicis omnibus vehementer displicuit, causamque præbuit annis sequentibus, vt regnum Anglicanum ab orbe Catholico diuulsum, in partem secederet. Pontifex verò Clemens Septimus Regem aliquoties monuit, vt desisteret ab instituto, &, pellice dimissa, Catharinam sine causa repudiatam ad thori consortium reuocaret: Cumque nihil obtineret, tandem anno 1534. 23. Martij, latâ sententiâ matrimonium prius legitimum, posterius verò cum Bolemiâ contractum, irritum pronunciauit. Rex per hoc decretum vehementer exaspe-

Sandez. lib. 1. de schis. Angl.

Anno 1534 A Pontifice monetur, eiusq; nuptiæ cassantur.

exasperatus omnem Pontifici autoritatem & iurisdictionẽ abrogauit in episcopos Anglicanos, seque per Angliam loco Pontificis ecclesiæ caput, à Christo proximum constituit. Quod cum Lutheranis innotuisset laborandum putarunt, vt regnum illud ad se quoquo pacto pertraherent. ANNO 1534. Rex vsurpat Pontificatum in Anglia.

Hærebat id temporis Anglus quidã VVittenbergæ Antonius Barnus, qui Lutheri cõuictu vtebatur. Hic auctor Melanchthoni fuit, vt regem adiret per litteras, seque stilo ad modestiam tẽperato, suauiter in animum ipsius insinuaret, futurum ratus, vt, quia diuortium fecerat ab Ecclesia Romana, & grauissimo flagrabat in Pontificem odio, non difficulter ad Lutheranorum castra traduceretur. Melancht. Regem Anglię litteris prensat.

In ep. sel. fol. 69.

Scripsit igitur Melanchthon epistolam ad Regem, in qua principio vehemẽter eum commendat, quod in ornandis excitandisq; per Angliam honestis disciplinis, aliorum istius ætatis regum ac principum industriam longè superet. Hãc ob causam aureum in Britannia nunc esse seculum, quale fuerit olim in AEgypto, cum Ptolomæus Philadelphus rerum istic potiretur; qui vt fouendis prouehendisque litterarum studijs omnium gentium & posteritatis etiam amorem meruerit; ita & Angliæ Regi eandem ob causam vniuersum genus humanũ debere plurimum. Et se quidem, ait, in votis habere, vt tanto Regi, præcipuo, adeoque vnico penè litterarum patrono sit commẽdatus: cui stu- Laudat à disciplinis.

ANNO 1534. Operam ei suã offert.

dium omne suum atque operam offert, quãtum quidem pro ingenij mediocritate præstare possit. Rogat, vt in quo periculo nunc versentur bonæ litteræ, consideret, quæ per germaniam, alijsque in regnis ferè contemptui habeantur, & in odio sint propter excitatas de religione controuersias. Olim, cùm per Europam propter arma Catholica extinctæ propemodũ essent bonæ litteræ, ex Angliâ rursus instauratas fuisse, & in totum orbem propagatas : Qua in re nunc quoque Regem de posteritate & vniuersa Ecclesia benè mereri posse asserit. Quod si autoritatem interponat ipse, cæterisque regibus moderationem suadeat in religionis negotio, & deliberationem instituat cum viris doctis, de genere doctrinæ, non dubitare se, quin controuersiæ de dogmatibus mitigentur. Futurum omninò inter disidentes, si Rex curam hanc suscipiat, quod à Virgilio scriptum sit de sedandis populi motibus, loquente:

Insinuat sese de religionis cõtrouersiis.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Virg. 1. Aeneid.

Atque hanc curam regibus diuinitus impositam esse, quã vt lubens suscipiat, enixè Regem cohortatur : Id fore beneficium asserẽs, quòd æternam illi veramque gloriam apud omnes gentes sit pariturum.

Anno 1535. Hæc Melanchthon ad Regem Angliæ 13. Martij ann. 1535. Cumque iam animum illius hoc

hoc pacto delinitum putaret, progrediendum ratus, dedicauit illi libellum quendam: Quem Rex non modo lubens accepit, sed & datis ad Melanchthonem litteris, placere sibi testatus est hoc officij genus: Quin & labores illius & affectum in dedicando opusculo declaratum, amplissimo donario remunerauit.

ANNO 1535. Libellū ei quendam dedicat. Honoratur ab eo munere.

Hanc nactus occasionem Melanchthon eodem anno Calend. Decembris denuò scribit ad Regem, eique gratias agit imprimis pro munere, seque gaudere dicit, quod à scriptis suis non abhorreat: Sperare verò, vbi intellexerit, cuiusmodi sit doctrinæ genus, quod ipsi profiteantur, futurum, vt ea res magnum momentum adferat ad ornandam CHRISTI gloriam, & allectandos ad moderationem cæteros Reges, quorum iracundia præter modum exarserit in nouatores Lutheranos, quos doctrinæ purioris studiosos nominat. Intelligere Regem pro excellenti sua sapientia, quam glorioſum sit, & dignum summis heroibus, veram religionem propagare, & publicis mederi vitijs: Idéoque cohortatione sua hac in re opus non esse. Tantum agere se regi gratias, quod officium suum probet; omnia vicissim illi debere se studia sua, & ingenij vires omnes. Interim optare, sibi tantum ingenij esse, atque doctrinæ, vt officio aliquo possit amorem erga Regem ipsum, & gratitudinem

In ep. sel. fol. 73. Alio scripto quodā Regem delinit. Commendat Lutheranismum. Obsequia sua Regi præsentat.

ANNO 1535.

dinem ipso facto testificari. Facturum certè, vt declarandæ gratitudinis, voluntatem atq; studium sibi non defuisse intelligatur. Scripsit ista Melanchthon, vt Regem à Sede Romana penitus auersum, ad Lutheri partes suauiter & dissimulanter inuitaret. Quanquam conatus hic pro voto non successit; cũ Rex Angliæ, tametsi discessit ab obedientia Pontificis, dogmata tamen Ecclesiæ veteris, quę Lutherus abiecerat, magnam partem retinuit: Qua de re paulò post forsan erit dicendi occasio.

Occasio scripti Melanchthonici ad Regem.

IV.

A Rege Galliæ ad Colloquiũ inuitatur. *In ep. sel. p. 94. 95.*

Hoc eodem anno & Galliæ Rex Franciscus, Melanchthonem per litteras vocauit, vt cum Theologis quibusdam istius nationis de religione conferret: Quod per huiusmodi occasionem accidit. Pullulabat iam tum in Gallia Lutheranismus vel Zvvinglianismus potius, eoque malum illud excreuerat, vt insolentia quorundam & seditiosæ machinationes acerbiorem vindictam flagitarẽt. Rex igitur in nonnullos seuerius animaduerti iussit, ne si principijs non obsisteretur, scintilla hæc in publicum incendium erumperet, & Galliæ populus, qui paulò concitatior est, factiosis opinionibus imbutus eadem machinaretur, quæ rusticanam plebem ante decẽnium in Germania patrasse meminerat. Volitabant autem id temporis inter scripta sectariorum, quibus legendis populus in factiones dissilijt, & libri Melanchthonis; in quibus religionis negotium paulò moderatius

Pullulat hæresis in Galliis.

Libri Melancht. teruntur à quibusuis.

tius agi videbatur,& ciuilius, quam in Lutheri, Zvvinglij, aliorumque nonnullorum scriptis, qui capita censebantur & duces factionum. Accedebat fama de Melanchthone, quæ spargebatur passim, quod nimirum valdè benignus esset & placidus, nec integrã suaderet ab Ecclesia veteri diuulsionem, sed Pontificis autoritatem, iurisdictionem Episcoporum, & politiam ecclesiasticam prorsus conseruatam vellet. Ea moderatio gallos quosdã nouis opinionib. fascinatos in spem adduxerat, futurum, vt si Melanchthon cum Rege veniret in colloquium, ipsius animum nonnihil mitigaret, eumque ad clementiam inflecteret. Igitur studio quorundam effectum fuit, vt Rex, quamuis oderat sectarios omnes, à Melanchthone tamen minus esset, quam à cæteris istarum factionum alienus. Qua de re per litteras illum monuerũt, hortatique sunt, vt in Galliam excurreret, Regem ipsum salutaturus; cui gratum ipsius aduentum fore pollicebantur.

ANNO 1535.

Ob humilitatem cõmendatur.

Cam. in vit. Mel. p. 153.

Sub hoc tempus in Germaniam à Rege missus fuit, alias ob causas Barnabas Voræus Fossa, qui litteras Gallorum quorundam detulit ad Melanchthonem, eique persuadere conatus est, ne detrectaret hoc iter: effecturum se pollicitus, vt non accerseretur modo litteris regijs, sed & obsides darentur, dum in Gallijs esset, non reuocandi, priusquam Melanchthon incolumis ad suos reuertisset. Ille cum expenderet negotium hoc, & varias animo

Legatus Regis Galliæ ad Melanchthonem.

Cõsil. Theolog. p. 238.

Melancht. dubius.

ANNO 1535.

animo difficultates voluntaret, hæsit aliquandiu, dubitans in quam se partem verteret. Erant ex amicis, qui deliberantem per litteras instigabant, ne tam insignem, quæ sese nunc offerret, euangelicæ rei iuuandæ occasionem, è manibus elabi pateretur. Melanchthon verò amicis in Gallia ad eum modum respondit, vt se venturum, nec se certo polliceretur, nec abnueret prorsus; hortatus interim, vt Regis animum atque fauorem, quanto possent studio retinerent, ipsique statuerent hac de re, quod iudicarent expedire: Non tergiuersari se, quin lubens molestiam subeat & laborem istius itineris; si quidem ipsis ita videatur ex Galliæ Ecclesiæque bono futurum. Interim Electori Principi se deuinctum esse; sine cuius assensu nihil possit in hac causa polliceri. Hæc Melanchthon ad notos quosdam in Gallia; quorum facilè primus erat Gulielmus Bellajus Langius, Consiliarius Regis & Cubiculi præfectus, cuius in Melanchthonem, & eos, qui studiorum gratiâ in regno Gallicano versabantur, germanicæ nationis adolescentes benignus erat affectus. Voræus autem è Germania reuersus domum, magnificè loquebatur ad regem de Melanchthone, eumque multis ornabat encomijs, non recusaturum asserens, quin aduolaret continuò, si litteris regijs euocaretur. Quod ipsum & Bellajus confirmabat, ad quem scripserat è Saxonia Melanchthon.

ɛius respõsio anceps.

Bellaius propensus in Germanos.

Melancht. encomiis euehitur apud Gallos.

thon. Horum igitur instinctu, litteræ scriptæ fuerunt Regis nomine: missus verò denuò Voræus in Germaniam, qui eas offerret Melanchthoni, eumq; secum in Galliam adduceret. Litterarum hæc erat sententia: Intellexisse iam ante Regem ex Gulielmo Bellaio Cubiculario singulare studium Melanchthonis ad sedandas eas, quæ in doctrinam Christianam inuectæ sint altercationes. Nunc autem ex litteris ipsius ad eundem Bellaium partim, partim ex Barnabæ Voræi sermonibus certiorem factum, quod & paratus sit hoc laboris suscipere, vt primo quoque tempore in Galliam se conferat, deq; vnione doctrinarum cum selectis aliquot istius nationis doctoribus in præsentia sua differat, atque rationem cum ijs ineat, qua sarciri possit pulcherrima illa ecclesiasticæ politiæ harmonia: qua vna re, cùm nihil vnquam maiore cura, studio & solicitudine animi complectẽdum duxerit, committere se noluisse, quin hunc Voræum statim dimitteret, cum his velut publicæ fidei obsidibus litteris. Obtestari, ne se patiatur vllius persuasionibus ab hoc pio sanctoque instituto abduci. Venturum eum Regi omninò gratissimum, siue priuato suo, siue publico suorum nomine venerit: Quin & futurum, vt experiatur reipsa, se priuatim ipsius Germaniæ dignitatis, & publicæ quietis ante omnia in hunc vsq; diem studiosissimum semper fuisse.

ANNO 1535. Rursus à Rege euocatur. Litterarũ copia. Regis desiderium in restaurãda politia Ecclesiastica.

Scriptæ

ANNO 1535.

V.

Melancht. à Saxone prohibetur in Gallias ire.

Scriptæ fuerunt hæ litteræ Gulſi, 28. Iunij anno Chriſti 1535. Quas cum Melanchthoni Voręus obtuliſſet, accenſum in eo fuit itineris illius adeundi deſiderium. Verum iniecit illi manum princeps Elector, qui, vt hanc profectionem ſuſciperet, planè noluit aſſentiri. Cauſas habuit eius rei varias; quarum non poſtrema fuiſſe videtur, quod ſiniſtram de Melanchthone ſuſpicionem conceperat, vt illi ſoli cauſam hanc, & actionem tanti momenti non committendam iudicaret. Nouerat eum in Auguſtanis Comitijs, & poſtmodum in conſultatione de Concilio generali hoc egiſſe magno ſtudio, ne diſſolueretur eccleſiaſtica politia, quæ primatũ in Eccleſia Pontifici Romano tribuit, & epiſcopis iuriſdictionem. Igitur ſi nũc ſolus iret in Galliam, cum Pariſienſibus Theologis in colloquium venturus, eaq; concederet, quæ Catholicis largiri non ſemel voluit, futurum exiſtimauit princeps, vt eccleſiam Lutheranam, ſatis alioquin ob inteſtina diſſidia laborantem, in maius diſcrimen adduceret. Nam vt Romano Pontifici iuriſdictio vel poteſtas in epiſcopos concedatur, & his viciſsim in ſacerdotes, in reliquos Eccleſiæ miniſtros, id Lutherani zelotæ (qualis erat Elector Saxo) perſuaſum habent fieri non poſſe, quin iacturam faciant euangelij, & libertatem penitus amittant, in quam ſe gloriantur fractis per Lutherum eccleſiaſticæ diſciplinæ repagulis, & ſacris canonibus exuſtis vindicatos.

Cam. in vit. Mel. p. 163. Eius ſiniſtra de Melanchth. opinio.

Iuriſdictio Saxoni inuiſa.

At Me-

ANNO 1535.

At Melanchthoni longè alia mens fuit; vti iam antè non semel diximus: Is enim hierarchiam ecclesiasticam, quam Lutherus cęteriq; pessum dederant, & furiosè conculcarant, restitutã volebat in integrũ, & deinceps conseruatam. Si quidem ad gubernandã Ecclesiam necessarium esse iudicabat hierarchicum ordinem: Nec erat ipsi dubium, quin in hoc genere retinenda potiùs esset hierarchia veteris Ecclesiæ, quam vt noui quidã homines non consecrati per episcopos, sed seipsos ingerentes, vel aliundè nouo more constituti, potestatem ecclesiasticã vsurpatione quadam in se transmouerent; quorum maiorem fore, quam vnquam fuerit episcoporum, vt loquuntur, in papatu tyrannidem ominabatur. Hanc Melanchthonis esse sententiam, princeps Elector non ignorabat: Itaq; cùm intelligeret eum in Galliã euocatum, ad tractandum religionis negotium, vt isthuc iret, prorsus noluit concedere; quemadmodum paulo suprà diximus. Imò litteras ad eũ dedit prolixas admodum, & scriptas seueriore stilo; quas cùm Melanchthõ legisset, territus nonnihil mutauit sententiã, omnẽq; de Gallicano itinere cogitationem abiecit. Id verò dolenter tulit, & indignè Legatus Gallicus, qui Regi certam ferè spem fecerat de Melanchthone secum adducendo, si per litteras vocaretur. Sed quia princeps permoueri non potuit, vt eum dimitteret; nec ille proficisci voluit inuito principe, Voræus, postquam

Causa iurisdictionis Ecclesiasticæ à Melanchthone approbatæ.

Melancht. spem eũdi in Gallias abiicit.

Gallorum vota eludit.

ANNO 1534. varios cum Melanchthone sermones habuit, solus in Galliam reuersus est.

Panthal. Tom. 3. vir. ill. ger. p. 204. in vit. Mel.

Atque hic Gallus ille fuit, nisi me fallit coniectura, de quo litteris produnt Lutherani, quod cum aliquando Melanchthonem inopinatè salutaturus accederet, inuenerit alterâ manu cunas motantem, alterâ verò tenentem librum: vt vtrumque simul agere videretur, scilicet infanti conciliaret somnum, atque interim iucundo lectionis pastu frueretur. Quod cùm alteri mirum accideret, Melanchthonem, aiunt, sermonem ingressum de officio patrisfamilias, eaque de re tam luculèter & ornatè disseruisse, vt Gallum istum in stuporem verteret. In quo sermone nec illud prętерijt procul dubio, quod à Luthero didicerat; maritum scil. patremfamilias, si moueat cunas, & fasces à sordibus expurget, risum conciliare, vel gaudium angelis in cœlo.

Melancht. officium patrisfamilias agit.

Secundum Luth. doctrinam.

Cæterùm quia Melanchthon Voræum comitari non potuit, ne contemnere videretur tantum Regem, litteras ad eum dedit VVittenbergæ scriptas ad quintum Calend. Septemb. an. 1535. in hanc fere sententiam: Pulcherrimum Franciæ regnum, ait, cum alijs multis ornamentis longè antecellat omnibus regnis totius orbis terrarum, tum imprimis hanc mereri laudem, quod doctrinæ studijs cæteras nationes semper vicerit, & pro religionis Christianæ defensione præcipuè velut in statione perpetuò fuerit: Quas ob cau-

Scribit ad Regem Galliæ.

Commendatà doctrinâ & religione.

causas iure merito auspicatissimũ Christianissimi titulum habeat, quo nullum in terris preconiũ maius & augustius dici possit. Igitur gratulari se Regi plurimũ, quod hoc tẽpore curã Ecclesiæ seruandę suscipiat, nec tamen violẽtis vtatur remedijs, sed vera ratione, optimo & Christianissimo Rege digna. Eo nimirũ studio regẽ in his dissensionibus impetum vtriusq; partis moderari, vt explicata doctrina Christiana, & repurgata simul gloria Christi, dignitati ordinis ecclesiastici, & tranquillitati Reipublicæ consulatur. Hac profectò voluntate, & his consilijs nihil glorioſius, nihil Rege dignius excogitari posse. Itaq; rogare se, vt in hanc curã cogitationẽq; incumbere non desinat. In hac publica dissensione quosdam forsan immoderatos, vel malos etiam doctores alicubi locum inuenire, quorũ licet coẽrcenda sit petulãtia, rogare se tamen, ne Rex asperioribus iudicijs & scriptis quorundam eò se sinat abduci, vt res bonas etiam atque vtiles Ecclesiæ deleri patiatur. Sibi nunquam placuisse, ait, immoderatas opiniones, aut quę labefactarint pulcherrimum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem; quo quidem nihil in terris carius, nihil antiquius omnibus esse debeat. Et se quidem acceptis ipsius litteris in eo laborasse multum, vt continuò ad Regem accurreret; cùm nihil magis in votis habeat, quam vt pro tenuitate sua opis aliquid Ecclesię adferre possit: Verum magnas esse difficultates, quæ

ANNO 1534.

Laudat Regis curã in Ecclesia conseruãda.

Iram eius mitigare conatur in hæreticos.

Excusat aduentum suum.

ANNO 1535.

nunc quidem iter hoc pauliſper remorẽtur; quas Voræus Legatus Regi probè ſit expoſiturus. Poſtremò ſeipſum Regi commendat, & iudicium ſuum perpetuò ad doctorum bonorumque virorum in Eccleſia ſententiam aggregaturum pollicetur.

Hæc Melanchthon ad Regẽ Gallię Franciſcum : Litteras autem perferendas Voræo dedit; qui cum in Galliam reuerteretur, Regem offendit alijs negotijs occupatum. Decreuerat in Italia bellum inferre Cæſari: Itaque totus erat in cogitatione de rebus ad expeditionem illã neceſſarijs. Interim amicitiã captabat & ſocietatem Proteſtantium, quos nouerat à Cæſare diſſidere : Quæ cauſa fuit, vt hanc de ſopiendis fidei cõtrouerſijs cogitationem ſuſciperet; cùm principum animos perſuaſum haberet nulla re commodius deliniri poſſe, quam ſi Theologos ipſorum ad tractandum religionis negotium adhiberet.

Rex Gallię cogitat Cæſari bellum inferre.

Cum verò Melanchthonem fruſtrà euocaſſet, exeunte hoc anno, ad principes ipſos, qui Smalcaldiæ conuẽtus agebant, Legatum miſit Gulielmum Bellaium Langeum, de quo ſuprà diximus; qui 19. Decemb. in conſeſſum admiſſus, orationem habuit ad Proteſtantes: In qua ſub finem, cùm de conciliandis dogmatibus & ſarcienda concordia ſermonem intuliſſet, Regem, ſi de ſopiendis cõtrouerſijs actio ſit inſtituenda, quod in votis habeat, vel è ſuis miſſurum quoſdam in Germaniam rerum ſacrarum peritos; vel ſi quos

Scribit ad Conuentũ Smalcaldicum.

Sleid. li. 9.

Eius Legatus Bellaius.

Cam p. 146

Summa legationis.

ipſi

ANNO 1535.

ipsi huius rei gratia è numero suorũ in Galliam ablegare velint, communi causæ non defuturum. Erat in hoc conuentu inter alios & Melanchthon, cùm quo Legatus Gallicus varios de religione sermones habuit, Regem testatus in eo totum esse, vt Ecclesiæ pristina tranquillitas atque cõcordia postliminio restituatur. Itaq; pergratum illi futurum, si nonnulli mittantur in Galliam è præcipuis Protestantium Theologis, qui cum Parisiensibus de controuersijs cõferant, & communi opera rationes exquirant, quibus eæ tandem publico Ecclesiæ bono sopiantur. Verùm id cõsilij displicuit Protestãtibus, vt quibus facilè subolebat, Regẽ hãc de conciliãdis dogmatibus actionẽ compendij sui gratia potius vrgere, quam Ecclesiæ iuuandæ studio; atq; hoc agere solum, vt seipsum, inito cum Protestantibus fœdere, muniret contra Cæsaris potentiam, cui bellum inferre decreuerat.

Regis desiderium in Concordia fidei.

A Protestantibus reiicitur.

CAPVT XI.

I. *Conuentus Lutheran. & Zvvingl. in Hassia & VVittenbergæ inuito Melanchthone.*
II. *Actio Legati Regis Angl. cum Protest. Melanchthonem in Angliam mitti petentis.*
III. *Profectio Melan. in patriam & inde Tubingam, cum varijs suspicionibus Lutheran. eius reditus & infortunium.*
IV. *Controuersia inter Theolog. Tubing. & Cancellarium, cum scripto resolut. Melanchth.*

SVB hoc tempus de concordia denuò co- I.

ANNO 1535.

gitatum fuit inter Lutheranos & Zvvinglianos instauranda: Nec Lutherus ab hac actione multum abhorrebat. Fecit eum paulò mitiorem Philippus Hassiæ Landgrauius, qui negotium hoc ardenter egit, magnoque cum affectu; vt princeps erat acri ac vehementi ingenio præditus. Et Melanchthon quidem, anno 1534. exeunte, huius rei gratia missus fuit in Hassiam, vt præsente Landgrauio de rationibus ineundæ concordiæ cum Bucero conferret: Quo eodem tempore, mense Decembri scilicet, eandem ob causam Constantiæ de Buceri consilio Zvvinglianorum synodus habita fuit; ad quam vocati sunt & Tigurini concionatores: quanquam propter aëris intemperiem non venerunt. Deliberatum fuit in hac synodo de medijs, quibus inter vtrosq; sopiri posset diuturnum illud de Eucharistia dissidium.

Conuẽtus Luther. & Zvvinglianorum in Hassia. *Lauat. in hist. Sacr. fol. 23. 24.*

Deliberatio Conuentus.

Dum in hac consultatione versantur isti, Conuentu nondum soluto, litteræ superueniunt à Landgrauio & Melanchthone, quibus Bucerus in Hassiam euocabatur. Nec detrectat ille, vt qui iam ab annis aliquot magno flagrabat huius dissidij componendi desiderio. Venit igitur in Hassiam sub initium anni sequentis 1535. Idque hanc ob causam libentius, quod sibi conferendum intelligeret cum Melanchthone, per quem ante, præsertim in Comitijs Augustanis, an. 1530. semper à Colloquio reiectus fuerat. Lutherus autem in mandatis dederat Melãchthoni, vt Buceri men-

Bucerus in Hassiam euocatur.

Seln. in rep. Conf. I. 1. b.

mentem; &, num ab opinione sua discessuri sint Zvvingliani, certius exploraret. Fecit hoc Melanchthon, vt ipsius litteræ testantur ad Vrbanum Regium, quibus Bucerum cum socijs paratum insinuat ad Augustanæ Cõfessionis normã de Eucharistia docere,& profiteri publicè, quod Christi corpus substantialiter vereq; sit præsens, ac porrigatur sumentibus, cum in Cœna Domini panis ac vinum accipiuntur. Hac de re cum admonitus esset Lutherus, ann. sequente 1536. ad 14. Maij, Synodũ indixit Isennacum, quæ postmodum propter ipsius inualetudinẽ VVittenbergam trãslata fuit. Missi sunt, qui cum Lutheranis agerent, Capito, Bucerus, alijque nonnulli; qui VVittenbergæ cũ Luthero cęteriśque, quos ille putauit assumẽdos, negotium hoc ad eum modũ transegerunt, vt sub vmbra verborum ambiguorum, sub quibus Zvvingliani non minus, quã Lutherani sententiam suã tueri possent, inducię factæ potius ad tempus, quã pax sancita videatur. Sacramentarij certè, quibus ardens inerat concordię desiderium, perpetuò cesserunt, & ad Lutheri præscriptum probarunt omnia, seq; professi sunt sententiam illius amplecti sine fuco; atq; id non priuatim modo, sed & publicè, habitis ad populum cõcionibus, sumptaque Lutherano ritu Eucharistia; vt causa non esset, quin eos deserto Zvvinglio, ad Lutheri castra transijsse diceres. Interim hæc actio Melãchthoni quidẽ displicuit: Incertũ,

ANNO 1535. Melancht. ad Regium litteræ.

Ann. 1536.

Conuẽtus Wittenbergæ. *Rabus Tom. 2. de Mart. in vita Luth. fol.* 184.

Zvvingliani ad Luth. deficiunt.

Myconius in ep. ad Vit. Theod.

ANNO 1536.

Actio Wittenbergica inuisa Melanchth.

quã ob cauſam, niſi quod naturæ ductu, alienus erat ab aſperis & crudis actionibus, cuiuſmodi futurã hãc ex moribus & genio Lutheri facilè cõiectabat; vel quod ex mollitie Zvvinglianorũ, & Lutheri rigore perpetuò iam tum ominaretur, ſi quæ cõciliatio fieret, eã ſyncretiſmum fore potius, vnionis titulo laruatum, quam veram ſolidamque concordiam; vel demum, quod forſan ex colloquio ſuperioris anni cũ Bucero primitias hauſerat Zvvingliani ſpiritus, eãq; ob cauſam Lutherum, quem nouerat à ſententia non diſceſſurum, Buceri reliquorũq; fucatis ceſsionibus confirmari nollet. Erat certè Bucerus colubrino ingenio, & ad illectandos hominum animos ſuprà modum vafer. Vnde non eſt alienum à veri ſimilitudine, quod Melanchthonem nouos fortè flatus ex illius ſermonibus hauſiſſe diximus; præſertim cum Sacramentarij poſteriores eum ab ann. 1536. ſuarum partium fuiſſe glorientur. Verum vtut ſe habeant iſta, certè Melanchthoni non admodum gratus fuit Zvvinglianorum aduentus; quod ad Fridericum Myconium & Iuſtum Menium, qui Bucerum, Capitonẽ, & cæteros ex Thuringia VVittenbergã deduxerunt, nequaquam diſsimulauit. Interim, quia deſignatus erat, vt actioni cum reliquis intereſſet, adiunxit ſeſe: quanquam à primò congreſſu, in quo Lutherus Sacramentarios paulò durius excepit, conſultò abſtinuiſſe videtur. Poſtea tamen acceſsit, & cum

Buceri colubrinum ingenium.

Mycon. in epiſt.

reli-

reliquis interfuit actioni; donec res pro Lutheri voto confecta fuit, & laruata fraterni tas inter præsentes constituta. Melanchthoni verò mandatum, vt huius vnionis capita breui scripto complecteretur: quod deinde collocutores vtriusque partis, subscriptis nominibus approbarunt. Antequam verò Bucerus, & Capito cum socijs VVittenbergâ discederent, placuit, vt hanc vnionis formulam vtrique cæteris quoque concionatoribus & magistratibus suæ partis proponerent, assensu ac subscriptione confirmandam. Et Lutherus quidem assensum hunc à suis non difficulter obtinuit; cum scriptum hoc licet in cothurni modum verbis obscuris & ambiguis conceptum esset, nihil aliud tamen, quã ipsius Lutheri de Eucharistiâ sentẽtiam continere videretur.

ANNO 1536.

Melanchthon Vnionis Luthero Zvvinglianæ capita cõsarcinat.

Apud Heluetios autem, vbi propositum fuit hoc negotium, nouas turbas peperit. Habiti fuerunt huius rei gratiâ magistratuum conuentus, indicta Bernæ primum, post & Tiguri generalis synodus, scriptæ vltro citroque litteræ, laboratum vehementer à Bucero cumprimis, vt Heluetij ratam haberent actionem VVittenbergicam, & conceptam à Melanchthone formam subscriberent. Verum id frustrà fuit. Licet enim Bucero quidam accederent, subscriptionem vrgenti; maxima pars tamen, & præcipuè magistratus vrbium restiterunt; quod fucatam hanc & ambiguam, adeoque insidiosam esse con-

Ab Heluetijs vnio repudiatur *Lauat. in hist. Sacr. p. 29. & seq.*

Cõuentus Bernæ & Tiguri.

ANNO 1535. Heluetij renuunt subscribere Vnioni.

cordiam dicerent. Horum verò sententia vicit, quod Bucerianam factionem suffragijs & numero superarent. Tandem Heluetij post multam deliberationem, amicitiam Luthero quidem detulerunt & officia mutua; sed ratam habere concordiæ formulam, atque subscribere constanter recusarunt.

II. *Sleid. lib. 9. & 10. Cam. in vita Mel. fol. 168.* Regis Angliæ Legatus cum Protestantibus de diuortio eius agit.

Eodem tempore, cum de tollendo, quod inter Lutheranos & Zvvinglianos erat, dissidio consultaretur, Henricus Angliæ Rex Legatos misit in Germaniam, qui cum Protestantibus de fœdere contra Pontificem ineundo, deque conciliandis inter Anglos Saxonesque dogmatibus, tum de Regis ipsius matrimonio cum Protestantium ministris agerent. Et Principes quidem eos audiuerunt in conuentu, quem anno 1535. mense Decembri Smalcaldiæ celebrarunt: Inde verò profecti sunt VVittenbergam, vbi transegerunt, quod reliquum erat hyemis, atq; interea cum Melanchthone cæterisq; Lutheranis de dogmatum conciliatione, deq; Regis diuortio varias actiones habuerunt; vt quoniam vtrique defecerant ab Ecclesiâ Romanâ, in eandem quoque doctrinæ rituumque formam conspirarent. Diuturna verò fuit, & acris illa de religione disceptatio: quanquam Anglicani tandem post multam altercationem in plerisque capitibus cesserunt, vt hac ratione Lutherum, Melanchthonem, cæterosque ad probandum Regis diuortium inducerent. Quâ in re vehementer quidem, magnoque

Acris eorũ de religione disceptatio.

cum

cum affectu laboratum fuit; verùm irrito conatu; quod negotium ijs esset difficultatibus impeditum, quas expedire Melanchthon & cæteri non potuerunt. Iam verò & in Augustanâ Cõfessione, quam Cæsari Protestantes obtulerant, eiusdemque Apologia quædã continebantur dogmata, quæ Rex Angliæ recipi non posse iudicabat, nisi priuatis Doctorum virorum colloquijs temperata prius & emollita. Itaque Legati postularunt à Protestantibus Regis nomine, vt quosdam è suis rerum diuinarum peritos, imprimis Melanchthonem, in Angliam ablegarent, qui cum Theologis istius Regni de religione conferrent.

ANNO 1535. *Cam. p. 158.*

Petit Melanchthonem in Angliam ablegari. *Sleid. lib. 10*

Agebant Protestantes id temporis, Aprili mense scilicet anno 1536. conuentus Francofurti ad Mœnum, vbi designati sunt, qui proficiscerentur in Angliam, & desiderio Regis satisfacerent, Iacobus Sturmius, Melanchthon, Bucerus, & Ioannes quidam Draconites. Erat iam notus Regi Melanchthon per litteras, & libellum quendam, vti diximus, anno superiore dedicatum. Neque verò protectionem istam honestè recusare potuit, cùm accepto, quod Rex pridem illi donauerat, insigni munere vicissim operam suam & studium obtulisset. Interim terrebant illum vestigia suppliciorum, quæ propter improbatum Regis ab vxore, & à Sede Romanâ diuortium in Roffensem Episcopũ, in Thomã Morum, alios q; religiosos anno superiore proxi-

Conuẽtus Protestantium Francofurti.

Delecti Protestantiũ ad Angliæ Regẽ.

ANNO 1536. proximo constituta nouerat. Itaque sollicitus erat & perplexus, cum huius itineris onus sibi quoq; inter alios ad Legatorum instantiam impositum audiret: Quanquam ab eâ sollicitudine paulò post liberatus fuit.

Melanchthon seueritate Regis ab itinere deterretur.

Antequam enim itineri se cõmitteret, nunciatum fuit ex Anglia, Reginam, vxore viuente superinductam, Annam Boleniam Elisabethæ matrem iussu Regis truncatam capite, meritas adulterij atque incestus pœnas luisse. Is casus Melanchthonem & cæteros à profectionis Anglicanæ molestijs & periculo liberauit.

III. Cæterùm aliud quoddam hoc anno suscepit iter, quod diu meditatus fuerat; in patriã scilicet, ad suos, ac deinde Tubingam, quo vocatus ante biennium ab Vlrico Principe non venerat, per Electorem Principem impeditus, qui missum facere tum quidem noluit. Migrauerat Norinbergâ Tubingam Ioachimus Camerarius, qui bonas litteras ibi profitebatur. Ad hunc igitur velut amicum intimum diuertit Melanchthon, & ad vnum ferè mensem hæsit Tubingæ. Vlricus Dux aduentantem clementer admodum excepit, & complexus est humanissime; cumque retinere eum non posset, vsus est ipsius operâ in ijs, quæ pro ratione temporum mutanda videbantur. Habuit huius itineris Comitem Iacobum quendam Milichium, quem multùm amabat, velut vnum ex ijs, quos habebat sibi vehementer addictos.

Cam. in vit. Mel. p. 169.

In patriam abiturit.

Camerariũ in itinere inuisit.

A Wirtenbergico benigne excipitur.

Cam. p. 159.

Eius Comes Milichius.

ctos. Dum igitur cum Milichio peregrinatur, & in patriâ nonnihil hæret ad Remum, & in Svveuiâ Tubingæ, varij de eo sermones sparsi fuerunt. ANNO 1536.

Innotuerat iam, vtcunque mentis arcanum tegeret, quod inuitus & cum fastidio VVittenbergæ viueret inter eos, qui parum benigno erant in ipsum affectu: à quibus in suspicionem vocatus erat, quasi defectionem moliretur ab Euangelio, & Pontificem pridem explosum reducere cogitaret. Hi igitur partim per litteras, partim sermonibus discriminatis rumorem excitarunt: Dissentire Melanchthonem à Luthero, & plerisque cæteris VVittenbergensibus in religione; nec aliam ob causam hoc iter suscepisse, quam vt honestè discederet, seque diuelleret tandem ab eorum consortio, à quibus animo dissideret. Quæsiturum nunc locum, quo seipsum, suosque transferat, vbi liberius posit opiniones suas expromere: Quam rem diu animo volutarit, solutusque vinculo, quo Principi erat obstrictus, negotium religionis non ex aliorum arbitrio, sed ex genio suo tractaret. Hæc quidam ex rigidioribus Lutheranis: Alij qui mitiores erant, gliscere dicebant diffidentiam quandam inter Melanchthonem, cæterosque VVittenbergenses, & suspiciones pullulare, quod ille plusculum in Papistas propenderet: Nec futurum vnquam, vt fidant alijs alij deinceps, vel animi rursus in solidum coalescant. Doctrinam illius nimis

Suspicio Wittēberg. de defectione Melanchthonis. *In epist. ad Cam. p. 272.*

Varij rumores rigidorum & mollium Lutheranorū de Melāchthone. *Cam. p. 160.*

ANNO 1536.

mis esse Philosophicam; vrgere Melãchthonẽ officia virtutis & actiones honestas; quod cum Lutheri doctrinâ non conueniat. Itaque non expectandum, vt firma sit & stabilis inter vtrumque coniunctio, cum animis de summâ rei dissideant.

Melanchthon vinculo professionis impeditur deficere.

Hunc in modum de Melanchthone disceptabatur inter eos, quos ille non agnoscebat iudices, sed vt hostes atque calumniatores auersabatur. Et sanè cupiuisset pridem ab horum societate liberari, vt suprà ex epistolâ quadam ad Camerarium demonstrauimus: sed obstabat vinculum professionis, quod Princeps Elector relaxare prorsus noluit.

Redit Wittenbergã. *Cam. in vita Mel. f. 171*

Redijt igitur VVittenbergam ad professionem suam, vbi licet non suspectum se modo plerisq;, sed & odiosum esse non ignorabat, nequaquam tamen mutauit sententiam ijs de rebus, in quibus à cæteris in diuersum ibat, vt sæpè diximus. Eodem anno, prę-

Eius infortunium. *Mel. vit. Mel. p. 337.*

terquam quod ab æmulis atque obtrectatoribus ad hunc modum diuexatus fuit, infortunium quoque passus est inopinato casu. Lapsus enim de gradibus, infimam dorsi partem, in quam vertebræ vel spõdyli desinunt (os sacrum vocant) grauiter afflixit, perque dies aliquot, magnos sustinuit cruciatus; qui paulatim tamen resederunt.

IV.

Controuersia inter Cãcellariũ & professores facultatis Tubingensis.

Paulò post, quam Tubingâ discessit, rebus in Academiâ constitutis, vt diximus, exorta fuit inter Cancellarium Vniuersitatis Præpositum Tubingensem, & Professores facul-

facultatum grauis controuersia, de titulis vel gradibus honorum Academicis; qui nisi per Cancellarium, vel quendam ab ipso constitutum non possunt cuiquam in facultatibus decerni. Nam quia plerique defecerant à religione Catholicâ, veterem docendi formam ad Melanchthonis arbitrium immutauerant, Cancellarius potestatem conferendi gradus Academicos Professoribus concedere recusauit: Imò cum vrgeretur, indignabundus è ciuitate discessit. Postmodum huius rei gratiâ præcipui quidam ex Academiæ Professoribus ad eum missi fuerunt: Quanquam id frustra fuit, cum ipse persisteret in proposito, nec se pateretur à sententia dimoueri. Aiebat, discessum esse ab obedientiâ Romanæ Sedis, & à fide Catholicâ, vnaque ab ordine docendi tradito per manus à maioribus, & priuilegijs Pontificijs confirmato. Itaque iura, priuilegia, atque immunitates à Pontificibus concessas ad ipsos non pertinere, nec se promouendi facultatem illis concedere posse, nisi consulto prius Pontifice, ne hanc ipsorum defectionem probare videatur.

ANNO 1536. *Cam. f. 163.* Cancellarius renuit conferre gradus Lutheranis.

Rationes eius.

Professores cum se frustrà niti viderent, factâ de iure Vniuersitatis protestatione, Tubingam reuersi sunt: Vbi deinde cœptum est consultari, quid facto opus esset in hac causâ; quæ varia fuit & impedita deliberatio, cum non omnes

Professores Lutherani de iure Vniuersitatis protestantur.

ANNO 1536.

omnes idem sentirent. Quia verò Melanchthon instituendæ mutationis præcipuus autor fuerat, hunc putarunt adhibendũ in consilium, & sententiam eius exquirendam. Igitur res totâ publico Vniuersitatis nomine ad ipsum perscripta fuit: Quæ litteræ Melãchthonem nonnihil sollicitum reddiderunt & perplexum. Nouerat priuilegium de conferẽdis bonorum gradibus à Pontifice datum; nec ignorabat academicos Tubingenses, qui defecerant à fide maiorum, huiusmodi priuilegio per rebellionem in Sedem Romanam, excidisse. Hæsit igitur, incertus quid in hoc negotio consuleret. Tandem, re cum alijs communicatâ, Tubingensibus respondit in hanc ferè sententiam.

Melanchthonẽ consulunt mutationis autorem. *Cam. p.* 164

Illius ad eosdem responsio.

Ecclesiam Dei scholas habentem, & conuentus siue collegia eorum, qui bonas artes & honestas disciplinas doceant discantque, posse adeoque debere auditoribus dare testimonia publica: Quod initio statim velut extra controuersiam positum. Hoc ipsum, ait, testari consuetudinem publicarum litterarum, quas formatas nominant. Extare quoque decreta quarundam Synodorum, ne sacerdotes vlli sine huiusmodi testimonijs recipiantur. Itaque & nunc Ecclesiam, quæ scholas habeat, & discentium cœtus, testimonia dare, vel, quod idem esse iudicat, in Theologia promouere posse: Eâ de re prorsus nihil dubitandum. Neq; verò hic disputandum, ait, de priuilegijs, vel de iure annulorum

Summa litterarum.

Eius de promotionibus Vniuersitatis sententia.

nulorum aureorum. Non opes & voluptates ijs esse quærendas, sed crucem subeundam & ærumnas, qui mittuntur ad prędicandum Euangelium. Huiusmodi promotiones in Theologia fuisse Patrum, Prophetarum, & Apostolorũ temporibus, imo & postmodum florentibus Ecclesijs, Alexandrinâ, Antiochenâ, Cæsarienſi, longè antequam per Imperatores atque Pontifices aliquid fuerit de Academijs constitutum. Ad reliquas facultates quod attinet, scire se, quæ nunc sint opiniones vsitatæ; nec eum esse, qui cupiat mutari præsentes politias, nec rixari velle cũ ijs, qui hanc Academicæ politiæ formam tueantur. Interim, quod scolarum publicarum status autoritate Pontificiâ atque Imperatoriâ, datis priuilegijs confirmentur, eã trecentorum circiter annorum esse cõsuetudinem. Fauere se honestis moribus; sed arbitrari tamen, ne Parisiensem quidem Academiam initio Pontificum atque Imperatorum decretis fundatam fuisse. Cæterùm hanc suam esse sententiam: Vnamquamque Rempublicam, & eum, penes quem summa rerum est, instituere posse collegium aliquod docentium atque discentium: Imò vt hoc faciant eos obligari, quorum est fortuna lautior, & opes magnæ. Atque id collegium auditoribus dare testimonium optimo iure posse: nec aliud esse scholasticę dignitatis gradus, quam hui usmodi testimonia. Quod si forte disputetur de lege generali, eam iam latam esse,

ANNO 1536.

Ab exẽplis demõstrat.

Eius de priuilegijs responsio.

Ius instituendi collegij cuiuis Reip. concedit.

ANNO 1536. vt scilicet approbati à suis collegijs artes exerceant: Quemadmodum Imperatoris Valentiniani pulcherrima lex testetur de Professoribus. At futuros forsan ex Iureconsultis & Medicis, qui communi hac Collegij autoritate nolint esse contenti: Cum his nolle se rixari; quanquã & in Philosophicis studijs, ait, seruari posse gradus decernendis titulis; si tamen omnium artium Magistri & Professores adsint. Certè scholam Atticam diu ante testimonia dedisse, quam ab Imperatoribus hoc sanciendo confirmaretur. Iam verò & considerari causam oportere, cur in Academia Tubingensi facultas conferendorum graduum Professoribus denegetur. Esse nimirum, qui propagari nolint euangelicam doctrinam; eamque ob causam personis quibusdam & collegijs inimicos esse. Itaq; Principes religionẽ istam (Lutheranam) amplexos & ciuitates, vt officij sui partes exequantur, honesta instituere debere collegia docentium, discentiumq; bonas litteras & artes: Ea deinde Collegia, vti iam dictum sit, testimonia dare posse: Imò æquum esse, vt id faciant, vel vt docti atque eruditi emineant, honoribus aucti, vel ne rudes per audaciam alijs imponant; ex quo fieri possit, vt iuuentus corrumpatur praua institutione, & falsa serantur dogmata, Ecclesiæque simul & Reip. tranquillitas perturbetur. Cum Iulianus Christianorum filios per edictum ad scholas publicas admitti prohiberet,

Allegat legem Valentin. Imp. de professoribus.

Causam affert denegatorum graduum.

Ab exẽplo Iuliani cõfirmat.

beret, Christianos ipsos peculiares suorum cœtus instituisse. Neque verò dicendum, quod auditoribus in istis cœtibus testimonia dare non licuerit. Hæc Melanchthon, viam monstrans Tubingensibus, vt si Cancellarius Vniuersitatis ob mutatam religionem conferre nolit honores Academicos, ipsi nihilominus auditoribus suis testimonia (gradus promotionum) sua, vel Principis autoritate decernant. Adiunxit vero litteris suis & Lutheri iudicium de quæstione propositâ, & Pontani Iureconsulti, testatus alios quoque nonnullos istius professionis in eadem esse sententiâ. Interim causam hanc ad Iuridicæ facultatis concilium in Academiâ VVittenbergensi referre noluit; quod suspectos haberet è Iureconsultis nonnullos, qui Ius Pontificium à Luthero redactum in cineres ad scholas publicas reducere conabantur. Hi enim, quin in consultatione tuerentur iura Pontificis, & contra Tubingenses Academicos suffragia ferrent, minimè dubitabat. Itaque non Iuridicæ facultatis sententiam scisciatus est, sed priuatim quorundam Iureconsultorum, quos adhærere nouis opinionibus, & Pontificem auersari nouerat. Quod autem in promotionibus academicis, vel gradibus in Theologiâ per Collegium scholasticum decretis

ANNO 1536.

Adiungit Lutheri & Pontani I C. iudicium

Iureconsultos quare suspectos habuerit.

ANNO 1536.&37. Lut. in quo fundamentū suæ vocationis posuerit. Controuersia Tubingensis per viam iuris expedita.

fundamentum ponit missionis ad prædicandum Euangelium, id à Luthero hausisse videtur, qui non in ordinatione vel consecratione ad sacerdotium, quã à diabolo persuasus exsibilauit velut ethnicam, sed in gradu doctoratus à Carlostadio susceptо, vocationis suæ basin constituit. Cæterùm ad controuersiam Tubingẽsium quod attinet, ea postmodum velut per viam iuris expedita fuit, atque hoc actum, vt Cancellario, postquam requisitus esset, officium nõ exequente, alius quidam autoritate Principis ordinariâ substitueretur.

CAPVT XII.

I. *Conuentus Smalcald. Protestantium, Concilium Pontific. recusantium, cũ summa colloquij ibidem habiti.*

II. *Summula doctrinæ Protestantium à Luthero concepta, cum sententia Mel. de iurisdict. Episcop.*

III. *Hæresis Antinomorum.*

IV. *Mollities reprehensa & astronomiæ iudiciariæ studium Melanchthonis, à Sadoleto indignantibus Lutheran. salutati.*

V. *Historia Lemnij Poetæ, sub magistratu Academico Melanchthonis VVittenbergam relinquere cogitantis.*

I. Anno 1537. Cõuentus Protestantiũ Smalcaldiæ. *Camer pag. 197. & seq.*

ANNO sequente 1537. Protestãtes Smalcaldiæ conuenerunt, adductis secũ, aut vocatis magno numero cõcionatoribus, scilicet, vt eodẽ loco Comitia simul & synodũ habe-

haberent. Paulus Tertius Pōtifex Romanus Mantuę Conciliū indixerat, ad quod Lutherani quoq; non modo per Pontificem ipsum, sed & per Cæsarem erant vocati. Fuit igitur hic cōuentus eam ob causam indictus maximè, vt quid Pontifici respondendum esset, & Cæsari ad concilium vocantibus, communicatis inter se cōsilijs statuerent: tum vt Concionatores, institutâ de fidei capitibus accuratâ collatione, domesticis dissidijs adhiberent remedium, & quibus in rebus aduersarijs cedendum esset, quibus non esset cedendum deliberarent. ANNO 1537.

Causæ conuentus. *Sleid. lib. 11.*

Vbi ad rem ventum est, eum finem habuit cōsultatio Principum, vt Concilium hoc indictum à Pontifice simpliciter recusarent: A Cæsare verò, dicerent, postulandum, vt is liberam indici synodum in Germaniâ curaret. Concionatores verò, quos frequentes ad habendā synodū Principes euocarant, sopiēdis dissidijs vix ausi fuerūt admouere manū. Metuebant scilicet, ne si pressi⁹ cōtrectarent subcutaneum hulcus illud, malum increscerat, & dissidia per actionē hanc disceptantium feruore, velut incendium flatu, vel oleo infuso caminus grauius accēderētur. Actionis vniuersæ summam, Melanchthon in epistolâ quadam descripsit; ex quâ visum fuit inferere, quæ ad hanc rem faciunt: Cum scirem, inquit, conuentum indictum esse, vt Principes de synodo deliberarent, nos de doctrinâ colloqueremur; Veni huc animo miri-

Concilium Pontificum simpliciter recusant.

Summa Actionis Smalcaldię *In epist. ad Cam. f. 279.*

ANNO 1536. mirificè anxio. Nam qualia Principum consilia futura essent, præuidebam. Et, si certamen acrius existeret inter Theologos, discordias videbam futuras horribiliores. Non enim ignoro, quo propendeant animi certorum, & quibus suam fabulam singuli saltent. Venerunt huc Lutherus, Pomeranus, Spalatinus, Osiander, Vitus, Vrbanus Regius, Ambsdorffius. Nam reliquos nominare nihil attinet. Ex ijs, qui dissentire à nostris putantur, nemo adfuit, præter Blarerum & Bucerum. Duæ autem causæ fuerunt instituti congressus Theologici: Altera, vt de doctrinâ, fieret collatio non futilis, sed accurata, vt tollerentur diſsidia, & cõsentiens doctrina & explicata in nostris Ecclesijs extaret. Altera, vt deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi sint ac retinendi, & anteponendi communi tranquillitati, & omnibus rebus humanis; qui concedendi Pontifici καὶ τῷ ἐκκλησιαστικῷ πολιτεύματι propter pacem, & ad communem Ecclesiæ concordiam restituendam, si res ad moderationem aliquam deduceretur. Honestissimum certè consilium institutæ vtriusque disputationis, & ortum de multis nostris querelis & sermonibus: Sed neutra processit. Primum de rebus concedendis nullam prorsus volebant fieri mentionem indocti & vehementiores. Aiunt ob futuram nobis nunc in ipsâ ἐπιτάσει fabulæ inconstantiæ opinionem, non solum apud alios, sed & iam apud no-

nostros : futurum etiam, vt cedentibus Cæsar acrius instet. Hæc pariunt suspiciones bonis & moderatis multiplices, & solicitudines augent. Deinde, ne doctrina accuratè conferretur, nominatim petitum est ; ne certamen aliquot augeret discordias, & fœderis distractionem afferret. Vidi hæc pericula impendere, priusquam huc veniremus ; ac monui nostros : Sed erant pleni bonæ spei. Proinde hic ne nihil ageremus, ac planè κῶφα πρόσωπα essemus, iussi sumus componere aliquid de Petri, seu Pontificis Romani primatu, de potestate & iurisdictione Episcoporum. Hæc scripsi mediocriter & exhibui. Iussi sumus παρέργως percurrere articulos confessionis, & audire, ecquis dissentiat in aliquo articulo, aut improbet aliquid : Ac Principes disertè testati sunt, se formulam concordiæ conseruaturos. Fuit breue colloquium περὶ τῶν μυστηρίων dixit Bucerus clarè & planè ; affirmans præsentiam Christi, satisfecit nostris omnibus, etiam ijs qui sunt duriores. Blarerus generalia sic satis, adesse Christum. Postea quædam addit ambigua. Osiander vrgebat eum paulò acrius : Sed quia nolebamus excitari certamen vehementius, interpellaui disputantem. Ita discessum est, vt inter cæteros omnes consensus constitutus sit ; hic verò (Blarerus) non repugnare videretur. ANNO 1536.

ANNO 1537. Scio hæc esse infirma; sed aliud agi hoc tempore non potuit; præsertim absente Lutheро, qui doloribus calculi acerrimis conflictabatur. Hæc fuit καταστροφὴ congressus τῶν μυσαγωγῶν. Principes deliberarunt, An Synodus præcisè recusanda sit, an verò promittendum, nos missuros esse nostram legationem; sed non concessuros iudicium Pontificiæ parti, verũ petituros, vt Regum & Monacharũ autoritate delecti homines idonei, cognoscerent has cõtrouersias. Hæc fuit magna & difficilis deliberatio. Nostra sententia semper fuit, ne simpliciter recusaretur synodus: Quia etiamsi Papæ non liceat esse iudicem, habet tamen ius indicendæ synodi: Deinde iudicium constitui à synodo debet. Sed homines acutiores disputabant, has meas rationes argutas quidem esse & veras, sed inutiles. Eam esse tyrãnidem Pontificis, vt postquam cõsensissemus, nos venturos esse in synodũ, interpretaturi essent, nos etiam Pontifici tribuere iudicandi autoritatem. Vidi aliquid periculi esse in meâ sententiâ, etiamsi erat honestior; sed vicit altera sententia, re diu multumque disputatâ, vt hæc fatalia mihi videantur. Periculum esse video ingentis motus, nisi Deus succurrerit. Quanquam sæpè dixi, rectissimè eos tantum hac recusatione vti, si nolint quædam moderari, & concedere aliquid τῷ ἱερατικῶν τάγματι. Illud mihi acerbissimum est, videre hæsuram ad posteros discordiam æternam:

nam: Et hæc fortasis barbariem horribilem, & vastitatem in hac natione omnium artium & officiorum ciuilium adferet. Hactenus Melanchthonis verba recensui ex litteris, quas, cum Smalcaldiæ adhuc esset ad Camerarium scripsit Calend. Martij. ANNO 1537.

Quo eodem die, & alias quasdam dedit ad eundem Camerarium, in quibus eadem ferè, sed breuius narrat: Venimus huc, inquit, vt de doctrina colloqueremur: sed id impedijt partim Lutheri valetudo, quem hic atrociter afflixit calculus, partim certorum hominum timiditas, qui accuratam disputationem prohibebant, ne discordiæ inflammarentur. Itaq; admodum παρέργως contulimus, de doctrina Blarerus moderatam dixit sententiam περὶ τῶν μυστηρίων, nec tamen satis explicatam. Nolui certamen acrius excitari, præsertim absente Luthero. De Synodo dixerunt illiterati φορτικὰς sententias: præcisè recusant; cùm nos toto semestre contrarium suaserimus, atque hic etiam reclamauerimus. Hæc Melanchthon ex Synodo Smalcaldensi: In qua ne de sopiendis Lutheranorum disidijs ageretur, aut iusta fieret sententiarum collatio, metus grauioris discordiæ nouorumque motuum impediuit. Itaque valde παρέργως, vt loquitur Melanchthon, vel obiter modo fuit actum de dogmatibus; imò prohibitum, ne qua fieret exactior de religione disceptatio. Eiusdem Colloquii summa breuior.

ANNO 1537. II.

Luth. demandatur polienda ſumma doctrinæ ſuæ, Concilio offerenda.

Melancht. de primatu & iuriſdictione pōtif.

Interim ne fruſtrà conueniſſe viderentur tot eccleſiæ Lutheranæ proceres, Luthero mandatum fuit, vt breuem doctrinæ ſummam ſcriberet, Concilio Mantuano nomine Proteſtantium offerendam. Deinde Melanchthoni hoc oneris impoſitum, vt de primatu Romani Pontificis, & epiſcoporum iuriſdictione quædam commentaretur. Demum & Auguſtana confeſsio cum Apologiâ perfunctoriè relecta potius quam accuratè recenſita fuit, quæſitumque an eſſet in ea quicquam, quod cuiquam diſpliceret? Cumque ſe, dicerent qui præſentes erant, omnia probare, ſubſcriptis nominibus famam publici conſenſus excitarunt: quanquam erant è numero ſubſcribentium, qui Zvvinglianiſmum fouebant animo: Nec ipſi Lutherani ſatis inter ſe mutuo cohærebant, tametſi conſenſum ſubſcriptione teſtabantur: Nimirum vt ita facerent, commune periculum, & publicus rerum ſtatus poſtulabat. Iam & Lutherus, vt pareret mādato principum, articulos quoſdam conſcripſit, antequam morbo fuit oppreſſus, quos velut decreta ſynodi Smalcaldicæ concionatores omnes quadraginta numero vel paulò plures, Zvvinglianis tamen exceptis, approbarunt.

Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribunt.

Luth. decreta quædam effingit.

Inter eos verò, qui ſubſcripſerunt nomina, ſeptimus in ordine fuit Melanchthon, qui ſolus omnium limitationem quandam adiecit de Pontifice Romano in hunc modum:

Melancht. limitatio.

dum : Ego Philippus Melanchthon hos articulos suprapositos probo tanquam veros. Ad Pontificem autem quod attinet, sic sentio; si admittere velit euangelium, quod tunc pacis & publicæ concordiæ gratia propter Christianos, qui sub ipso iam sunt, & futuris temporibus esse forsan possunt, superioritas in Episcopos, quam alioquin habet, iure humano per nos illi sit quoque concedenda. Hæc limitatio magnum illi conciliauit odium inter Lutheranos, qui Pontificis autoritatem, quam in Episcopos sibi subiectos habet, ad ipsos quoque Lutheranæ sectæ concionatores extendi per quam indignè tulerunt. Offenderat eadem concessione Lutheranos omnes ante septennium in Comitijs Augustanis, tam post in deliberatione de Concilio, quod per Pontificem indictum erat, vti suprà diximus; Verùm ille, tametsi paucos admodum, vel nullos potius haberet astipulantes; imò licet magna sui cum inuidia secretum mentis proderet, non dissimulauit tamen, quid de necessitate hierarchici ordinis in Ecclesia sentiret; Nec se passus est ab hac sententia dimoueri; quemadmodum hæc subscriptio testatur.

ANNO 1537.

Tom. 6. Ien. germ. f. 522.

Plurimos è sociis offendit.

Cæterùm Melanchthonis hoc iudicium de iurisdictione Episcoporum in Ecclesiæ, deq; vnius cuiusdam in eos autoritate atque primatu, Sacramentarij per Angliam postmodũ secuti

Anglicani retinent iurisdictionem ecclesiasticam.

ANNO 1537.

secuti videntur, qui non retinendum modo statum Episcoporum, sed & contra Geneuenses, Bezam, aliosque fortiter defendendum censuerunt: Idque sub vno capite, Rege nimirum Anglicano, qui remoto Pontifice, Christi Vicario sibiipsi præter diadema regium, & Põtificalem insulam imposuit: Quâ nostris temporibus, exemplo seculis omnibus inaudito (nisi forsan apud hæreticos) & mulier Angliæ regina gestauit, vberrimo multorum martyrum sanguine, ceu gemmis interstinctam. Didicerunt isti à Melanchthone, non abolendum in Ecclesia, sed stabiliendum potius episcoporum ordinem; eum verò subsistere non posse, nisi sit vnus quidã, quem omnes velut superiorem agnoscant. Ad hanc igitur formam Ecclesię suæ statum in Angliâ composuerunt. Habent episcopos suos, habent & pontificem; At non quales ex instituto iam mille quingentis annis & amplius habuit Ecclesia Dei, sed quales constituere Sacrãmentarijs collibitum fuit; profanos episcopos, & secularem pontificem, quibus in res sacras, & ad gubernandam Ecclesiam tantum iuris est, quantum Henricus Octauus à communione Sedis Apostolicæ, per inobedientiam sine causa diuulsus, vsurpare sibiipsi, & alijs dare potuit. Igitur quẽadmodum habent fauos suos vespæ (cùm Tertulliano loquor) ita & apud istos formam quidem inuenias Ecclesiasticæ illius hierarchiæ, quam Melanchthon conseruatam

Eorũ Pontifex Rex.

Item Regina Elisabetha.

Quales Pontifices Anglia habeat.

tam voluit;at rem ipsam,hoc est, veri nominis episcopos non inuenias, quos sustulerunt è medio, eorumq; deinde cathedras per vim occuparunt. ANNO 1537.

Sed missis ijs, ad Melanchthonem reuertamur. Is dum Smalcaldiæ morabatur, Augustam vocatus fuit per Senatum illius vrbis;in quâ,VVittenbergensibus in consilium adhibitis, religionis mutatio fuerat ante triennium instituta: Quod cum fieret,quidam etiam è Zvvinglianis in eam ciuitatem irrepserunt. Melanchthon verò,quo minus isthuc proficiscerentur, multis se grauibusque causis permotum fuisse scribit. Melancht. Augustam vocatur.

III.

Sub hoc tempus inter Lutheranos nouum quoddam monstrum sese prodidit execrandæ hæreseos, quâ, si Luthero credimus, sol fœdiorem non vidit vel nocentiorem. Hanc Ioannes Agricola Islebiensis,Iacobus Schenckius, alijque factionis istius per Saxoniam vicinamque Marchiam propagarunt;quibus Antinomorum nomen indidit Lutherus, quòd reijceret diuinam legem,& decalogum ex Ecclesia noui testamenti contenderent penitus explodendum. Impium hoc dogma è fœtentibus veterum hæreticorum lacunis derivatum, Lutherus superiori seculo primus omnium sparsit; è cuius scriptis atque intimo pectore nostri temporis Antinomi sese illud hausisse profitentur. Nec iniuria sane; quemadmodum euidenter à nobis est in vita Lutheri demonstratum. Multum verò labo-

Renuit venire. *In lit. ad Cam. p.284*

Hæresis Antinomorum in publicum vadit. *Tom.7.ger. Ien f.302.*

Eorum dogmata.

Luth. Antinomiæ auctor.

ANNO 1537. laborarunt VVittenbergenſes, vt hæreſin iſtam opprimerent, antequam radices ageret in animis hominum, atque altius inſideret.

Inuehitur horrendè in Antinomicos. Et Lutherus quidem anno 1537. vbi primum erumpere cœpit hoc malum, primus omnium Antinomos aggreſſus eſt, eorumq; blaſphemias, & errores in concionibus ad populum confutauit; ardenter quidem more ſuo, magnoque cum impetu, verum ita tamen, vt ſatis animaduerteret, nullum ſe vibrare telum in eos poſſe, quo non & ſeipſum vnà configeret.

Melancht. ſcenæ ſpectator. Melanchthon, cùm Lutherum in eas anguſtias redactum videret, ſuſpenſus nonnihil obſeruabat, quorſum exiret tandem hæc Antinomorum machinatio. Habuit Lutherus in eos concionem, in qua pro Decalogo, eiuſq; in Eccleſia retinendi neceſſitate, contra nouatores iſtos multa diſſeruit; atq; id ita quidem, vt quæ primis annis in hoc genere docuerat, nunc euerteret prorſus, & velut hæretica condemnaret. Hanc concionem vbi typis expreſſa fuit, Melanchthon Camerario ſuo miſit, epiſtolam adiungens, in qua;

Concio Luth. in Antinomicos.

In ep. ad Cam. f. 292

„ mitto, inquit, eruditam concionem τοῦ διδασκαλικοῦ Lutheri, quam eò habuit, vt refutaret τὰς κενοφωνίας cuiuſdam (Ioannis Agricolæ, qui negat in Eccleſia Decalogum „ docendum eſſe. Ego plecterer, ſi hanc Concionem ſcripſiſſem; adeò ſunt inſulſa iudicia populi. Hæc Melanchthon. Quod verò ſe plectendum, ait, ſi talia ſcriberet; id aſſe-

asserit summa ratione, per experientiam nimirum edoctus. Eam enim ob causam maximè Lutheranorum quorundam obloquijs, calumnijs, detractionibus flagellatus fuit ab annis aliquot, quod de lege diuina, de bonis operibus, de studio virtutum ea scripserat, quæ Luthero alijsque probanda nunc fuerunt, nisi vellent videri horrendas Antinomorum blasphemias apertè tueri. ANNO 1537. Cur sannis Lutheranorum Melanchthon expositus.

Interim durum Luthero fuit, cæterisque ipsius mancipijs, quod per domesticos eò se viderent adigi, vt hoc ipsum doctrinæ genus hæreseos, atq; impietatis damnare cogerentur, quod sub initium huius mutationis velut ipsum euangelij nucleum, & medullam Christianismi purioris, plenis faucibus tam confidenter ebuccinarant. Videbat quidem, id sine fœda leuitatis & contradictionis macula fieri non posse: Faciendum tamen fuit, Deo disponente, vt eos manifestum fieret in eorum numero censendos, quos D. Paulus αὐτοκατακρίτους vel suo ipsorum iudicio condemnatos nominat. Luth. suo se gladio ferit. Seipsum anathemate damnat.

Certè Lutherus neminem alium in Antinomis, quam Lutherum vel seipsum anathemate notauit. Qua in re Melanchthonem ipso cautiorem fuisse fatendum est, & magis circumspectum: Qui maturius deflexit ab impijs istis assertionibus & paradoxis de lege Dei, de libertate fide- Melancht. Luth. circumspectior.

ANNO 1537.

fidelium, de charitatis operibus non neceſſarijs ad ſalutem; quibus ſpargendis oua poſuerunt iſti, quæ rupta nunc tandem baſiliſcum hunc Antinomicum peperunt.

Iſlebius ad palinodiã adigitur.

Cæterùm Lutherus non in cathedra modo, ſed in ſcholis etiam Antinomos vehemẽter inſectatus eſt, & tandem Ioannem Islebium, qui caput erat iſtius factionis, ad palinodiam autoritate ſua cõpulit. Verum quia iam longius ſerpſerat malum iſtud, & in Marchia quoque Francofurtenſem Academiam infecerat, Melanchthon iſtuc profectus eſt, vt dementatos antinomicis erroribus in viam reduceret. Is verò conatus non admodum feliciter ceſsit, vti litterę quędam ipſius teſtantur, quas Francofurto dedit ad Lutherum: In quibus acerrimum ſibi certamen fuiſſe queritur cum Antinomis; quos vehementer, ait, ſatagare rerum ſuarum, & multorũ animos occupare: Inſanire per eos, & furere diabolum inſtar meretricis exacerbatæ, quæ verſa ſit in rabiem, ac furijs agitetur. Nihil igitur effecit Melanchthon, Antinomis acerrimè repugnantibus, & cauſam ſuam agentibus ad eum modum, vt multos in conſortium erroris omniũ fœdiſsimi pertraherent: Quæ res illis hoc nomine ceſsit fœlicius, quod audacter ad ſcripta Lutheri prouocarent, ſeq; cum illo dicerent eandem de iuſtificatione ſententiam profiteri; atque hoc agere ſolum, vt Chriſto Saluatori cõſtet honor ſuus, & Euangelium à lege iuſto interuallo diſiungatur.

Melancht. Frãcofurti conatur Antinomiam tollere.

Tom. 2. lat. Colloq. f. 52. & 54.

Ei⁹ ad Luth. litteræ.

Conatus eius fruſtraneus.

Antinomici ad auctorem Luth. prouocãt.

Quan-

ANNO 1537.

IV. Melancht. à zelotis exagitatur.

Quanquam verò Melanchthon furiosis Antinomorum machinationibus summa vi sese & ardenter obiecit; non potuit tamen, vel hoc studio gratiam eorum demereri, à quibus ignominiam editi tam portētosi partus remouere conabatur. Hi enim, zelotæ inquam, & rigidi Lutherani, qui de primo Lutheri spiritu vberius hauserant, & magno contra papistas impetu ferebantur, secretò persequi Melanchthonem, & genuinum illi dentem infigere nō destiterunt. Displicebat Aristarchis istis, adeoq; probri loco ducebāt, quod rixas auersaretur & cōtentiones; quod non satis acer esset & vehemens in papistas; quod in actionibus cum aduersarijs de religione facilè mollesceret, & plura, quam ipsi vellent concedenda putaret, pacis & tranquillitatis studio, quod de Lutheranorum dogmatibus ita dissereret, quasi dubia sint & incerta; quod bonis operibus, & officijs charitatis tribueret plusculum, deque virtutibus multum philosopharetur: quæ res misurgis istis & virtutum osoribus indigna videbatur; cum hoc docendi modo, si nimirum homines ad honestas actiones, virtutumq; studium reuocarentur, Lutheranismi basin, & fundamenta dogmatis de iustificatione, quæ Lutherus initio posuerat, euerti iudicarent.

Cam. in vita Mel. p. 170.

Eius mollities & animus pacificus.

In ep. ad Cam. p. 275

Præter hæc & alia quædam in Melanchthone reprehendebant æmuli; quod scilicet disciplinis mathematicis animum intēderet,

In epist. ad Cam. pag. 277. 278.

ANNO 1537.

Melancht. astronomiæ iudiciariæ intentus.

imprimis verò astronomiæ, quam iudiciariam vocant; quod vanis obseruationibus, augurijs, diuinationibus, adeoq; chiromantia delectaretur; quod obseruaret somnia, ijsque plus æquo tribueret: quam ob causam non modo reprehensus fuit ab aduersarijs, sed & mordaciter exagitatus & ludibrio habitus. At præcipuum excusationis caput erat, quod cum asperior non esset in aduersarios, & de virtutum actionibus disputaret, ad papismum inclinare videretur. Itaque suspectas habebant ipsius actiones, & intentis oculis obseruabant omnia, quæ ab ipso gerebantur: Idque tanto studio, vt subinde per istorum calumnias in periculum vocaretur. Nec continere se potuit impotentis animi liuor, & feruens odium in zelotis istis, quin arrepta quauis occasione velut ex insidijs ad flagellandum Melanchthonem prosilirent.

Aliorum calumniis expositus.

Ibid. f. 293. Accidit circa tempus illud, quo Smalcaldiæ synodus habebatur, vt Itali quidam, viri docti & Catholici per litteras eum salutarent: Inter quos & Iacobus Sadoletus fuit, Episcopus Carpentoractensis, vir maturus, prudens, & insigniter eruditus; politioris verò litteraturæ cumprimis amans: Vnde factum est, vt Melanchthonem, ceu virum in hoc studij genere, vel inter primos celebratum, benigno affectu complecteretur.

A Sadoleto Episcopo salutatur.

Hic igitur Sadoletus cum Cardinalis iam creatus esset, litteras ad eum dedit an. 1537. 15. Ca-

15. Calend. Iulij, humanitatis & beneuolentiæ plenas, perelegantes etiam, & nitido ſtilo exaratas; quas ille, vt fit, amicis videndas dedit & perlegendas. Ea verò res excitauit denuo Philippomaſtyges, rigidos Lutheranos, vt pergerent, quod pridem cœperant, obtrectare Melanchthoni; quem aiebant cum papiſtis, imò cum Cardinalibus euangelij Lutherani hoſtibus acerrimis conſuſurrare: Ab his miſsitari frequentes ad eum epiſtolas: Hos illi familiares eſſe; cùm interim à domeſticis, qui Auguſtanam Confeſsionem profiteantur, in dogmatibus diſſideat, & animo ſit prorſus alieno: Qua ex re quid aliud colligi poſsit, quam Melanchthonem ad partes aduerſariorum propendere, futurumque demum, vt nactus occaſionem transfugiat. Erat Melãchthoni permoleſtum, huiuſmodi ſuorum obtrectationibus perpetuò diuexari, eorumq; virulentos ſentire vel morſus, vel aculeos. Cohibuit ſe tamen, & de iniuria queſtus inter quoſdam ex intimis, publicè rem totam diſsimulauit: Quanquam hoc ita fieri non potuit, quin ſubinde, quæ cum æmulis & obtrectatoribus illi fuit diſſenſio, quibuſdam indicijs proderetur.

ANNO 1537. Eius ad Melanchth. litteræ.

Arguitur conſuſurrationis cum papiſtis.

Patienter fert aduerſariorum iniurias.

Anno 1538. Melanchthõ ſummũm in academiâ VVittenbergenſi magiſtratũ geſsit ad ſemeſtre: Quo tẽpore tumultus quidã exortus eſt; cuius inuidia, vt ipſum quoq; Melãchthonẽ nõnihil tangeret, maleuolorũ impro-

V. Ann. 1538. *Cam. in vit. Mel. pag.* 180.

ANNO 1538.

Historia Simonis Lemnii.

bitas effecit. Poëta quidam Simon Lemnius Marchita circa festum Pẽtecostes epigrammata quædam edidit, in quibus laudauerat Archiepiscopum Moguntinum Albertum, Brandeburgicæ familię principem,& fœminas V Vittenbergenses, solutas,maritatas,sine discrimine propter morũ leuitatem poëticâ libertate fugillarat. Ea res mouit Lutheri bilem,alijsq; nõnullis, qui Lemnium carceribus mancipandum censuerunt, & seuerius puniendum, imò & plectendum capite; quam sententiam Lutherus in eum de cathedrâ pronunciauit,cùm in octaua Pentecostes de negotio hoc,æstuante stomacho,ad populum declamaret. Ille verò Lutheri furorem metuens subduxit se, priusquam apprehenderetur,& in tutum secessit. Aiunt, admonitum fuisse de periculo per Melanchthonẽ; Ita factum, vt elapsus,fuga machinationes aduersariorum eluderet. Vt vt fit,certè Lutherus alijque nonnulli, qui Lemnio cumprimis ob laudatum Archiepiscopũ Moguntinum grauiter succensebant, indignè tulerunt & dolenter,quod elapsus misellus poëtaster saluti consuluisset. Augebat indignationem, quod Melanchthon ad alienum arbitriũ odio prosequi nollet, & insectari conuitijs eundem Archiepiscopum, quem Lutherus furibundo similis,mordacibus spurcissimisque libellis,& fœdissimis sarcasmis scurriliter exagitabat: Quod factum Melanchthoni vehementer displicuit.

Eius Epigrammata.

Luth. bilẽ mouent.

Ob furorẽ Lutheri, secedit.

Fugam eius indignè ferũt æmuli.

Eius inuidia in ipsũ Melancht. redundat.

Natus

ANNO 1538.

Natus erat è domo Brandeburgica princeps iſte, & poſt Cæſarem in Imperio ſummum tenebat dignitatis faſtigium; nec prudentia, rerum vſu, iudicioq; minus pollebat, quam autoritate: Quin & inſignem zelum habebat Catholicæ religionis, affectumque non vulgarem in homines litteratos. Hunc magnis dotibus ornatum principem Lutherus ſibi propoſuerat odio capitali proſequẽdum & conculcandum; nec ferre quenquam potuit, qui vel de eo loqueretur honeſtè, vel virtutes ipſius prædicaret. Tam atrox erat, tamque virulentum odium; quod non ipſe tantum fouebat animo, ſed & in alios quoquo pacto transfundere conabatur: Idque non aliam ob cauſam, quam quod Catholicus eſſet princeps, & furioſis ipſius conatibus obſiſteret, nec ſe pateretur fraudulentis prenſationibus & ſtrophis ad apoſtaſiam permoueri. Hunc igitur quia Lemnius, more poëtarum, encomijs quibuſdam ornatum publicè commendauerat, Luthero iudice, piaculum admiſit capitali ſupplicio vindicandum. Et quia Melanchthon, vt ab æmulis ſpargebatur, præſenti periculo miſellum poëtam exemerat, imò & ipſi Moguntino fauere videbatur, papiſtarum in Germania coryphæo, eam ob cauſam denuò linguis maleuolorum & obtrectationibus lancinatus fuit. Quæ res ita turbauit hominem, vt animo labaſceret; nec dubium eſt, quin de relinquenda VVittenberga conſilium

Brãdeburgici principis ortus, doctrina & ſcientia.

A Luthero odio capitali afficitur.

Cauſa odii.

A Lemnio vero commendatur.

Melancht. animo cadit.

ANNO 1538. De Wittẽberga relin quenda cogitat. *In ep. ad Cam. p.* 307

silium ceperit, nisi vinculo magistratus academici fuisset alligatus. Fatetur hoc ipse in litteris, quas ad Camerarium hoc anno scripsit pridie Calend. Septem. postquam Lemnio ex Vniuersitate proscripto, tumultus iã conquieuit. Nisi fuissem, inquit, hac æstate in magistratu, planè discessissem. Nunc in
» publico munere, ne tanquam ex statione fu-
» gerem difficillimo tempore, multas habui
» publicas causas. Itaque, vt medici dicunt,
» multos magnos morbos curari quiete & ab-
» stinentia, ita & ego patientia mea aliorum
» iracundiam vtcunque placasse videor. Causa
» nulla fuit, nisi quod euaserat Lemnius, qui
» quidem in me imprimis fuit maledicus, cùm
» multis meis officijs vsus sit. Aula suspicatur
» à quodam meo propinquo adiutum esse; qui
» se purgat mihi, sed illis non satisfacit. Hactenus
» nus Melanchthon.

CAPVT XIII.

I. *Conuentus Protestant. Brunsvvici, Isenacci & Francofurti cum duritie & scripto Lutheranorum in Cathol. & Cæsarem.*

II. *Morte Georgij Ducis Sax. mutatio religionis in Misnia, visitatio, & disputatio Lipsiæ instituta.*

III. *Literæ ad Venetos Melanchth. Lutheranismum commendantis.*

IV. *Eiusdem liber contumeliosissimus de autoritate Ecclesiæ.*

V. *Mutatio religionis in Marchia Brandenburgensi, opera & studio Melanchth.*

Pro-

PRoteſtantes hoc eodem anno Brũſvvici primum in Saxonia menſe Maio, poſt in Iulio & Iſennaci, quæ Thuringiæ ciuitas eſt, Conuentus egerũt: Vtrobiq; de rebus ad nouum fœdus pertinentibus deliberatum fuit. Et Iſennaci quidem vt conuenirent, Elector Brandeburgicus Ioachimus Secundus effecit, qui ſub initium menſis Iunij miſſo Legato Saxonem de periculo monuit, quod Germaniæ videbatur à Turcis imminere; vnaq; hortatus eſt, vt Proteſtantes de medijs cogitarent, quibus ipſi cum Cæſare, Ferdinando Rege, cæterisque Catholicis Ordinibus aduerſus communem Chriſtiani nominis hoſtem coaleſcerent. Igitur, vt ſe pacis amantes oſtenderent, per Saxonem & Landgrauium conuẽtus Iſennacum indictus fuit; ad quem principes tamen ipſi non venerunt, ſed per Legatos futuræ cuiuſdam actionis fecerunt initium.

ANNO 1538. I.

Sleid. li. 12.

Conuẽtus Proteſtantiũ Brunſvici & Iſennaci.

Cam. p. 178

Cauſæ Cõuentus.

Cumq; Cæſar, datis ex Hiſpania litteris, ſe ſe oſtenderet à pacis conſilijs non abhorrere, decretũ fuit à Proteſtãtibus, vt huius rei gratia ſub initiũ anni ſequentis 1539. Francofurti conuentus haberetur ad Mœnum. Venerunt iſtuc ad duodecimum Februarij diem è Proteſtantibus Elector Saxo, Landgrauius & alij: Cæſar etiam, & Ferdinandus Rex Legatos miſerunt, qui de pace cum Proteſtantibus agerent: Elector Brãdeburgicus, & Ludouicus Palatinus inter vtrosq; medij, velut pacificatores interceſſorum partes obiuerũt.

Conuẽtus Francofurtum indicitur. Ann. 1539.

De pace agunt.

ANNO 1538.

Saxo Melanchthonem secum adduxit, alijs alios ad Conuentum hunc; quanquam is non ad componendum religionis dissidium, sed ad pacem politicam inter Principes & Ordines constituendam indictus fuerat. Fecit autem durities & pertinacia Lutheranorum, vt in actione difficiles, & odiosæ contentiones inciderent. Certè Melanchthon ipse consilia Protestantium crudiora nonnunquam, vel vt ipse loquitur Σωϊκότερα fuisse fatetur in epistola, quam de hoc negotio scripsit ad amicum quendam ex intimis. Iam & positu syderum obseruato (vt erat curiosus in hoc genere) & conditione temporis, actionem hanc in turbas exituram ominabatur: Quanquam id aliundè paulo certius augurari potuit, cùm protestantes non ignoraret iam tum machinari bellum, deque rebus ad id necessarijs in ipso conuentu deliberasse. Quin & ipsi Melanchthoni mandatum fuit, vt collectis causæ præsidijs & rationibus, scriptum quoddam contexeret, quo, si arma caperent aduersus Cæsarem, id fuisse licitum, adeoque iure factum omnibus persuaderent.

Melancht. comes Saxonis.

Durities Lutheranorum.

In ep. ad Cam. p. 317.

Melancht. ominationes.

Scriptum iubetur conficere contra Cęsarem.

Crescebat indies potentia Protestantiũ, & numerus fœderatorũ augebatur, quibus anno superiore proximo, cùm Brunsvici de rebus cõmunibus deliberarent, & Daniæ Rex sese coniũxerat: Quod fœderis incrementũ, & maiores animos protestantibus addidit, & in hoc conuentu fecit eos paulò ceruicosiores.

Protestantium potẽtia augetur.

Igitur

Igitur turbulenta fuit actio, multisque difficultatibus impedita, Lutheranis æquissimas pacis conditiones repudiantibus. Protraxit eam quoque nonnihil inopinatus Landgrauij morbus, ex quo tamen ille, licet difficilis esset & anceps, medicorum operâ paulatim est restitutus. Tandem Electoris Brandeburgici, & Palatini studio atque dexteritate factæ fuerunt induciæ ad mẽles quindecim, vt intereà temporis instituto Theologorum vtriusque partis colloquio, de sopiendis fidei cõtrouersijs ageretur. Melanchthon. 23. Maij Francofurto discedens, nõ multo post VVittenbergam reuersus est.

ANNO 1539.

Landgrauio in morbum incidit.

Inducię fiunt. *Sur. in com. pag. 333.*

Sub finem huius conuentus ad 24. Aprilis Georgius Saxoniæ Dux rebus humanis exemptus fuit; Princeps zelo Catholicæ religionis, constantiâ, pietate in Deum, prudẽtia, rerum vsu, cum summis istius ordinis heroibus comparandus: Cuius obitum per Misniam religionis mutatio confestim secuta est. Hæredes scripsit, condito testamento fratrem Henricum, eiusque filios Mauritium & Augustum; verùm additâ conditione, ne fide maiorum abiectâ nouitiam religionem nouosque ritus inducerent. At Henricus, qui Lutheranismo iam ante biennium nomen dederat, fratre mortuo ditionem eius omnem occupauit, nec quicquam prius habuit vel maiori curæ, quam vt statim euerteret ipso facto, quod in testamento Georgij de religione nouerat esse constitutum. Igitur

II.

Georgius Saxoniæ Dux moritur. *Cam. p. 124* Eius virtutes. *Chytr. in Chron. Sax. pag 444.*

Mutatur religio in Misnia cõtra testamentum Georgij. Henricus Lutheranismo addictus.

ANNO 1539. Melanchthon Lipsiã vocatur. Visitatio cõstituitur.

Lutherum, Ionam, Melanchthonem alioſque Lipsiam euocauit, qui rem hanc pro voto ipsius contra mentem testatoris exequerentur. Quod & factum est; Lutherus enim & Ionas per ferias Pentecostes, habitis ad populum concionibus telam mutandæ religionis exorsi sunt; quam deinde Visitatores à Principe constituti Spalatinus, Ionas, & Ambsdorffius pertexuerunt. Hi verò per ditiones à Georgio relictas ad eum ferè modum ordinarunt omnia, quem, anno 1526. Melanchthonem Landgrauio præscripsisse iam ante diximus. Ritus veteres omnes, inquit Dauid Chytræus, vbi de hac Visitatione loquitur, qui sine manifestâ impietate tolerari potuerunt, ac in his vsitatas Ecclesiæ in Missâ cantiones, Introitus, Kyrie, Gloria in excelsis, Collectas, Lectiones Epistolarum & Euangeliorum, Symbolum, Præfationem, Sanctus (solo Canone excepto) Eleuationem etiam, & cereos, ac vestimentum sacerdotum retinuerunt.

Modus Visitationis. *Chytr. in Chron. Sax. pag. 444.*

Disputatio Lipsiensis Lutheranorũ cum Catholicis

Cæterùm Lutherus & Melanchthon, cum VVittenbergam redirent, quosdam è suis Lipsiæ reliquerunt; Myconium imprimis & Crucigerum; quibus acris fuit in eâ ciuitate concertatio cum Catholicis, viris doctis & religiosis; qui licet frustra niterentur, obruti nimirum autoritate noui Principis & potentiâ, liberè se tamen magnoque cum feruore nouatoribus istis obiecerunt. Quin & Episcopus Misnensis Ioannes Maltitius, qui

qui anno superiore proximo ad Episcopatum promotus erat, & Iulius Pflugius Naumbergensis Canonicus, oblato libello supplici rogarunt Principem, ne collegia contrà fundatorum mentem, ad hanc fidei rituumq; mutationem compelleret. Quibus de rebus Melanchthon 26. Iunij ad Camerarium scribit in hunc modum: Duplicat nobis labores ἡ μυσία, (Misniam dicit ab Henrico nuper admodum occupatam) Cruciger est Lipsiæ: "disputat & concionatur. Ante triduum rixati sunt cum monachis Dominicastris in publicâ disputatione horis continuis octo. Misnensis Episcopus & Iulius exhibuerunt duci Henrico scriptum de religione: petiuerunt, ne in ipsorum Collegijs aliquam faciat mutationem: Seipsos correcturos esse vitia suarum Ecclesiarum. Scriptum ad nos missum est; nostris non satisfaciet, ἢ δοκεῖ φορτικόν. ANNO 1539. Catholicorum instātia apud Principem Lutheranũ. *In epist. ad Cam. p. 320*

Sub hoc tempus Melanchthon litteras dedit ad Senatum Venetum, occasione captatâ ex colloquio, quod anno superiore sibi cum Braccieto de studijs bonarum artium fuisse memorat. Accidisse sibi periucundum, ait, quod intellexerit, æquiora grauissimorum virorum apud ipsos esse iudicia de mutatione rituum, quam non iniustâ cupiditate, vel studio contendendi per suos institutam asserit. Commendat verò Senatui causam Lutheranorum, ornatam insigni verborum lenocinio- III. Melanchthon scribit ad Venetos. Causa scripti. Senatum Venetum pręnsat.

Eos,

ANNO 1539.

Eos, ait, quanquam abusus taxent & falsas opiniones, non discedere tamen à scriptis Apostolicis, nec à tribus symbolis, Apostolico, Niceno, atque Athanasiano; nec à veteris Ecclesiæ Catholicæ consensu. Emendatam per eos liturgiam, & morem Ecclesiæ veteris restitutum. Nihil temerè mutatum esse, nihil sine consilio. Secutos eos non Apostolorum modo, sed & veteris, & purioris Ecclesiæ scripta atque exempla. Extare scriptos à se Locos communes, quibus summa contineatur eorum, quæ doceant. Hos testari, quod veterem Ecclesiæ purioris consensum tueantur. Hortatur deinde, vt sibi caueant ab erroribus Serueti, cuius libellum quēdam istic circumferri dicit hæresin Samosateni reuocantem, quam Ecclesia pridem damnarit. AEquum esse, vt pij viri primum considerent, quid indubitato senserit Ecclesia primitiua; cuius aliam, quam Serueti vel Samosateni de Christo sententiam fuisse demonstrat. Concludit tandem, voluisse se Venetis significare iudicij sui testimonium; nec grauatim, si quis petat, de tota cōtrouersiâ copiosius disputaturum. Scripsit hæc Melanchthon, cum Lipsiæ moraretur, Lutheranæ causæ plausibilem veteris Ecclesiæ laruam obducens, vt fraudem faceret. Quanquam frustra Venetorum animos pertentauit hac strophâ; nec quisquam ab eo disputationem vberiorem de rebus fidei petijt.

Locos communes vēditat.

Ab erroribus Serueti dehortatur.

Offert eis disputationem.

Laruam Lutheranismo obducit.

IV. Edidit hoc eodem anno libellum de Ecclesiæ

clesiæ autoritate, deque synodis & scriptis veterum; quibus de rebus ita disputat, vt & mendacia in Catholicos, in Ecclesiam veterem,& contumelias in sanctos Patres infarciat. Sanè quidem Catholicos huius temporis adeò sycophanticè passim & procaciter infectatur,vt dubium non sit,quin Lutherus ipse,conuitiator omnium,quos sol vidit,impotentissimus, inhalarit illi spiritum suum, & calamo scribentis amarulentiæ venenum infuderit.Et quoniam ab annis aliquot continenter per æmulos exagitatus fuerat,quod lenior esset & minus acerbus in Papistas;imò quod transfugium meditaretur, hac petulantiâ suspicionem istam à se remouere voluit, & quod in hoc genere probri loco fuit obiectum,semel & simul diluere.Quis enim Melanchthonem ad eos inclinare crederet, quos Origenis,Hieronymi,Chrysostomi,& nescio quorum (sic loquitur)autoritatem citare dicit, non quod illos verè,& ex animo probent, sed tanùm,vt fucum faciant imperitis, ne videantur victi ? Quid populus de Christo sentiat, inquit, quomodo erudiantur Ecclesiæ, nihil ad se pertinere iudicant: ac partim apertè exercent sycophanticam, vt Cochlæus,VVicelius, & similes; partim sunt tyranni,& tyrannorum satellites, qui propter sapiẽtiæ aut virtutis opinionem gubernant Pontificum, Regum & Principum consilia,cum sint homines ἄθεοι, qui in vniuersum arbitrantur religiones commentitias esse,

ANNO 1539.

Eius liber contumeliosus de autoritate Ecclesiæ.

Eius in scribendo petulantia.

F.4.b.

ANNO 1539.

esse, ac sibijpsis mirum in modum hoc nomine placent, quod ausint ἀντὶ πέρδικων πρὸς
» τὰς βροντὰς, vt ille apud Comicum inquit.
G.7.b. Post vbi de Purgatorio disseruit: sed quid
» disputo: Orta est mentio purgatorij à spe-
» ctris; deinde confirmata propter quæstum;
» & nunc defenditur à Pontificibus, Cardina-
» libus, Episcopis, Canonicis, qui palam sunt
» Epicuræi, ac securissimè contemnunt iudi-
» cium Dei: Et quæ de pœnis post mortem le-
» gunt, sic accipiunt, vt fabulas poetarum de
» Ixione, Sisypho, Tantalo, aut similes; ac ri-
» dent stultitiam illorum, qui affirmant, Deũ
» proposuisse æternas pœnas impijs.

Mentitur plurima de idololatria Catholicorum.

Hæc Melanchthon petulanter nõ minus quam improbè in Catholicos. De Ecclesiâ confusè disputat & variè, nunc de electis tantum, nunc de particularibus Ecclesijs, nunc de vniuersali verba faciens, scilicet vt Lectori glaucomam obijciat. Christum, ait, prædixisse Matth. 14. oriturã Idololatriã in Ecclesiâ, futuramque Ecclesiæ vastitatem, solitudinem, vel extinctionem. Citat quædam
B.1.a. scripturæ dicta 2. Thess. 2. Veniet defectio,
» &c. Luc. 18. Putas, quod veniens filius homi-
» nis inueniet fidem? Psalm. 88. Nunquid va-
» nè constituisti omnes filios hominum? &c.
» Quibus contineri querelam, ait, de venturâ
In Ecclesiæ autoritate tria spectãda. Ecclesiæ ruinâ. Retinere quidem articulos fidei veram Ecclesiam: At habere eã interim errata sua eosdem articulos obscurantia. Itaque cum Ecclesiæ autoritas allegatur, tria quæ-

quædam obſeruanda monet : primum, An quod docetur, ſit Eccleſiæ conſenſus congruens cum verbo Dei : ſecundum : Patres, quorum extant ſcripta, ſæpè lapſos, & quoſdam fortè ne quidem Eccleſiæ membra fuiſſe : tertium ingentem impiorum multitudinem in Eccleſiâ nonnunquam præualere; quæ cum dominatur, multa conſtituat impia dogmata: quomodo Sãctorum inuocationẽ, & orationem pro defunctis inualuiſſe dicit. ANNO 1539.

B.7.b.8.a.

Verùm obijcit ipſe ſibi : ſi repudietur Eccleſiæ autoritas, cõcedi nimis magnã licentiã petulãtibus ingenijs excogitãdi nouas & impias interpretationes Scripturæ. Reſpondet, Id periculum non contemnendum, & prodeſſe, vt hæc licentia coerceatur. Itaque videndum, quatenus autoritas Eccleſiæ ſit requirenda. Hic reſpondeo, inquit : Sicut Euangelium præcipit audiri Eccleſiam, ita ſemper dico eum cœtum, penes quem fuit verbũ Dei, & qui dicitur Eccleſia, audiendum eſſe; ſicut iubemus quoque audiri noſtros paſtores. Audiamus ergo docentem & admonentẽ Eccleſiam; ſed non propter Eccleſiæ autoritatem credendũ eſt: Nam Eccleſia non condit articulos fidei; tantum docet & admonet; Verùm propter verbum Dei credendum eſt, cum videlicet admoniti ab Eccleſiâ intelligimus hanc ſententiam verè & ſine ſophiſticâ in verbo Dei traditam eſſe. Hactenus Melanchthon; reipsâ non Eccleſiam, ſed Dei verbum audiendum aſſerens. Occurrit obiectiõi.

De

ANNO 1539.

Melanchthonis sententia de decretis Conciliorum.

De Conciliorum decretis eodem modo loquitur, quibus autoritatem decernendi non tribuit, nisi pronunciet ex scripturis. Idem, inquit, de synodis dico: Audiendas esse Ecclesiæ synodos, quæ cũ de verbo Dei disputant, docent & monent nos: Sed iudicium accedat, & cum vera tradunt, credamus propter verbum Dei. Vt Nicæna Synodus piè & vtiliter docuit, & admonuit omnẽ posteritatem de filio Dei: Sed articulum credimus non propter synodum, sed quia videmus, sic traditum esse in verbo Dei. Cætera, quę sunt extra scripturas, non sic amplectenda sunt: Vt Synodus Nicæna condidit Canones pœnitentiæ, qui sunt traditiones humanæ extra scripturam; & fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum. Decurrit deinde per synodos aliquot, quæ primis Ecclesiæ temporibus habitæ sunt, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, aliasque nonnullas particulares; in quibus, quid rectè decretum sit, quid perperàm, autoritate prætoriâ velut ex tripode pronunciat.

C. 1. b. Eius calumnia in SS. Patres. D. 2. a. b.

Ad Patres verò quod attinet, quorũ nunc extant monumenta, eos frequenter lapsos asserit; Ideoque audiendos, sicut nunc dicimus audiendos esse Concionatores: sed addendum, vt auditi iudicentur ex verbo Dei. Scriptores, inquit, alij in alijs materijs fuerunt diligentiores, &, vt est humanum, sæpè inconsideratè effundunt absurdas & falsas senten-

sententias, quas admoniti haud dubie fuerant correcturi. Sæpè, cum non malè sentirent, tamen non satis perspicuè dicere potuerunt, quod volebant. Sæpè propter temporum consuetudinem præsentes traditiones durius defenderunt. Aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia Patrum scripta probanda: Et sæpè ipsi inter sese pugnant; nec rarum est, dissentire aliquem à seipso. Posthæc exorsus ab Origine pleroscque recensèt græcos, latinoscque Patres ad Gregorium vsque, nec quenquam nisi sugillatum transmittit. Originem, ait, multas falsas & absurdas sententias miscuisse, quarum aliquas etiam ipsius ætas improbarit. Dionysij libellum vnum probat de hierarchiâ Ecclesiasticâ: cæteros, ait, otiosas continere speculationes. Graui reprehensione dignum, quod non discernat inter Sacramenta diuinitus instituta, & humanas traditiones. De Cypriano, Effundit inter declamandum, inquit, interdum absurdas sententias, cum exaggerat immoderatis hyperbolis causam, quam instituit. Basilium reprehendit, quod instituit cætus monachorum. Noxium hoc, ait, fuisse exemplum & vitiosum. Libros ipsius regulas monachorum continentes ex parte supposititios esse, vtpotè plenos falsarum opinionum de cœlibatu, & alijs cultibus excogitatis sine mandato Dei. Chrysostomum

ANNO 1539.

D. 2. b. In Originē.

D. 5. a. In Dionys. "

In Cypria-num.

E. 3. b. In Basiliū.

In Chryso-stomum.

ANNO 1559.

In Chrysostomum. E.5.a.

stomum reprehendit multis nominibus: Quod laudet eos, qui Sanctorum monumenta visitant; quod pro defunctis orandum doceat; quod monasticen immodicis & falsis laudibus ornet, vt loquitur; quod eleemosynas, lacrymas, & alia pietatis opera commendet, vbi de remissione peccatorum agit. Ipsius temporibus in Ecclesiâ caliginem fuisse dicit.

In Ambrosium. E.6.b.

Ambrosium idem de iustificatione docuisse asserit cum Lutheranis: Præparationes eius ad Missam, & alia quædam inania, vt loquitur, suppositicia videri.

In Hieronymum. E.7.b.

Hieronymum verò cumprimis contumeliosè tractat, insperfis etiam mendacijs; cuius generis quædam excerpo: E-
„ narrationes eius in prophetas, inquit,
„ sunt tenues: tamen historiarum explica-
„ tio sumpta à veteribus est vtilis. De do-
„ gmatibus pauca scripsit: Aduersus Iouinianum valdè confirmat falsas & superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, & contume-
„ liosâ oratione insectatur, quæ nequaquam
„ digna est Christiano. Et paulò infrà: Po-
„ stremò ethnico more colligit vulgaria con-
„ uitia sexus muliebris & coniugij, de qui-
„ bus Christianus longè aliter sentire debet.
„ Docet porrò, quâ ratione viro sancto de
„ fœminis loquendum fuerit: Deinde sub-
„ iungit: Hæc atque alia in hanc sententiam
„ in Christianâ disputatione potius dicen-

da

da erant, quam illa scurrilia conuitia sexus & diuinæ ordinationis. De discrimine ciborum laudat (Hieronymus) ritus sine verbo Dei institutos tanquam cultus Dei, imò tanquam perfectionem. Ridicula vox est, quam ponit: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Concludit tandem: Constat igitur, multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus. ANNO 1539.

Porrò S. Augustinum ætate suâ doctrinam Euangelij de gratiâ & fide in Christum penè extinctam restituisse, & rursus accēdisse dicit, eumque de iustificatione, de gratiâ & fide idem sentire cum Lutheranis asserit. Quod verò locutiones quædam in scriptis ipsius occurrant de meritis bonorum operum, alijsque de rebus, has condonandas ait temporibus. Vulgi consuetudinem huiusmodi figuras recepisse, quas docti non potuerint explodere. Deinde nec Patres ipsos satis assuefactos fuisse ad accuratas disputationes: Et fuisse iam tum magnam in Ecclesiâ caliginem. De ceremonijs & ritibus externis; de purgatorio, de oratione pro defunctis, de votis, victum fuisse sanctum Patrem opinionibus sui seculi; quo iam multos, ait, abusus in Ecclesia hæsisse: Quorum etsi nonnullis aduersatus sit Augustinus, tamen aliquos eum boni consuluisse. *E.1.b.* In S. Augustinū eius censura Thrasonica. *F.7.a.* *F.8.a.b.* *G.1.a.*

Gregorium verò, quem in Catalogo Patrum ponit vltimo loco, nec infrà *G.2.a.b.* In S. Gregorium.

ANNO 1539. hunc descendit, durius flagellat. Huius tempore, cum barbaræ gentes iam antè in Italiam influxissent, in admiratione fuisse monachos, eorumque cœtus creuisse, & opiniones de illo vitæ genere barbaris plausibiles latius vagatas: Ita lucem Euangelij de vera fide, verisque cultibus extinctam. Gratam quoq; Barbaris fuisse venerationem Sanctorum: quos vbi semel consuetudine receptum fuerit ornare statuis & templis peculiaribus, creuisse deinde morem imitatione potentum. Paulatim verò tantum accessisse impietatis, vt nihil differret Veneratio Sanctorum, his posterioribus seculis à manifestâ ethnicorum idololatriâ. Annam, Georgium non aliter inuocari consueuisse, quam Iunonem, Martem, aut Herculem. Cursitatum ad statuas: Eam εἰδωλομανίαν ab Episcopis magnâ autoritate confirmatam, & à Doctoribus laudatam. In talibus cultibus summam religionis positam fuisse. Interim de Christi inuocatione, de fide, ingens fuisse silentium. Huius impietatis principia Gregorium valdè confirmasse, vt qui publicum ritum inuocationis Sanctorum instituerit, qui ossibus & pulueribus eorũ iussserit templa dedicari.

Eum facit autorem abusuum.

Impietatis accusat.

H.3.a.b. Concludit hanc de Patribus dissertationem in hunc modum: Etsi moneant interdum aliquid eruditiores Patres, tamen de

G.4.b. ijs iudicandum esse ex verbo Dei. Præcipuos, Ambrosium, Augustinum, & paucos

cos alios idem sentire cum Lutheranis, si commodè intelligantur, & quædam illis condonentur, quæ tunc non venerint in controuersiam. Interim Lutheranos de pœnitentiâ, de remissione peccatorum, de iustificatione, de satisfactionibus, de Clauibus, de traditionibus humanis, de rebus politicis, pleraque disputasse planius, quam veteres Patres: Quos, ait, hanc explicationem & methodum (locos communes Melanchthonis, & commentaria in scripturas) si legissent, pro suâ pietate candidè probaturos fuisse. Non ignorare se tamen, ait, ex veteribus excerpi multa posse, quæ Lutheranorum dogmatibus aduersentur. Nec ad omnes se, sed ad meliores prouocare, Ambrosium, Augustinum, & quatenus alij cum his consentiant: qui cum ipsi nonnunquam pugnantia dixerint, veniam sibi dandam ait, si quædam reprehendant; modo teneant, quod ipsi spectarint & voluerint, interdum autem non potuerint explicare.

ANNO 1539. Plerosque SS. Patrum in suã trahit sententiam.

Ad quosnã Melanchthon prouocet.

Hæc ferè summa est eorum, quæ in hoc libello Melanchthon de Ecclesiâ, deq; Cõncilijs & Patribus prolixè disputat. Omnia nimirum in hoc cardine vertuntur: Ecclesiam, Concilia, Patres monere atque docere posse; At non credendum, nisi ex Scripturis loquantur: Quod cum faciunt, non credendum tamen propter Ecclesiam, Concilia, Patres, sed propter verbum Dei: Extra quod si lo-

Summaria totius libelli Melanchthonici.

ANNO 1539.

si loquantur, neminem, vt eam vocem audiat, obligari; cum Ecclesia, Concilia, Patres, errare possint. Displicuit verò libellus iste non Catholicis modò, sed & Lutheranis prudentioribus, quorum benignus tamen erat in Melanchthonem affectus. His indignum videbatur, quod audacius & nimis fidenter pronunciaret ijs de rebus, quarum cognitio non priuatim ad vnum hominem, quantumuis doctum atque prudentem, sed ad Ecclesiam pertineret: quod insolenter ad censuram reuocaret scripta veterum, Ecclesiæ totius & orbis Christiani iudicio pridem approbata: quod nonnullos è sanctis Patribus traduceret velut infantes, indoctosque, qui mentem suam de dogmatibus fidei non disertè satis & commodè potuerint explicare. Hanc temeritatem & superbiam in Melanchthone palam reprehendebant isti; nec iniuria sane: Qua de re dubitare nemo potest, nisi vel in sanctos Ecclesiæ Doctores odio, vel affectu sit in Melanchthonem excæcatus.

Cam in vita Mel. pag. 247.

Diplicet liber Lutheranismis eiusque censura.

Ab ijs reprehēditur

V. Per hos dies Ioachimus Elector Brandeburgicus, qui Ioachimo patri vita functo anno 1535. successerat, continuis subditorum interpellationibus superatus, quandam instituit religionis mutationem, qua dissimulanter Lutheranismus inducebatur, externa Catholicorum rituum larua velatus: Quæ res ad hunc modum gesta est. Erant Electoris ditiones ingenti pondere grauatæ æris

Chytr in Sax p. 444.

Brandeburgicus mutat religionem.

Causa mutationis.

æris alieni, quo subditi promittebant se leuaturos Principem, si nouitiæ religionis exercitium concederetur. Peruaserat Lutherana contagio superioribus annis vniuersam penè Marchiam, è vicina VVittenberga proserpens, erantque pridem per concionatores occupati subditorum animi, nec aliud, quam mutatio publica desiderabatur. Elector verò, licet & ipse satis ad Lutheranismum propenderet; tamen quia nouerat offensum iri Poloniæ Regem Sigismundum, cuius filiam zelo Catholicæ religionis flagrantem habebat in matrimonio, cunctanter agebat. Tandem expugnatus importunis subditorum precibus, & quam offerebant ad soluendum debitum ingenti pecuniæ summa, Visitationem decreuit; eaque de re socerum Poloniæ Regem per litteras admonuit, additis consilij sui rationibus, enixè rogans, vt probaret hoc institutum; Non se discessurum à fide Catholica, sed abusus tantum quosdam emendaturum.

ANNO 1539.

Brandeburgicus gener Regis Poloniæ.

Ad generũ de sua sententia scribit.

Rex, datis vicissim litteris, missoque Legato, visitationem dissuadet prorsus, hortaturque generum, vt Catholicorum quorundam Principum exemplo constantiam præstet in retinenda maiorum fide, nec ante legitimam Concilij definitionem quicquam innouet. Elector, cum Regem offensum intelligeret, Melanchthonem VVittenberga Berlinum euocauit,

A Rege ad sanam mẽtem inducitur.

ANNO 1539. vt eius operâ consilioque ad placandum Regis animum vteretur. Placuit, vt denuò socerum Princeps adiret per litteras, quibus hoc persuaderet imprimis, nullam se prorsus moliri vel mutationem dogmatum, vel ab Ecclesiâ discessionem, sed hoc agere tantum, vt tollantur abusus quidam, qui non possint saluâ pietate tolerari. Scripsit hanc epistolam Latinè Melanchthon Octobri mense, quam Princeps misit ad Regem in Poloniam; Habere se constitutum, ait, pio consilio manifesta vitia quædam in Ecclesijs suæ ditionis corrigere: quâ rem ad officium Principis pertinere iudicet. Ea verò moderatione vsurum in hoc negotio, vt non modo nihili recepturus sit contra Catholicam Ecclesiæ Christi sententiam, à quâ nullâ vi se dicit vnquam auellendum; sed etiam, ne quid Episcoporum autoritati detrahat. Eâ de re nuper admonuisse Regem litteris germanicè scriptis, quas nonnulli fortè durius sint interpretati, nec consilij suscepti rationes satis explicarint. Itaque, cum actiones suas in Republicâ, Regi velut patri suo probare cupiat, hoc altero scripto fusius declarandam fuisse mentem suam, & suspicionem inconstantiæ, vel iudicij mutati purgandam. Eam se hactenus præstitisse grauitatem, vt nec abusus probarit in Ecclesiâ, nec fanaticis opinionibus in ditione suâ præbuerit locũ; Ita verò moderari quædam in vtraque parte, vt nec à Catholicâ Christi

In ep. Sel. fol. 497. a. Eius subdolæ litteræ.

Stropha Brandeburgici.

Christi Ecclesia discedat, nec quicquam deroget Episcoporum autoritati. Amplecti se verum Ecclesiæ Catholicæ consensum, qui extet in scripturis Apostolicis, in veteribus canonibus,& probatę fidei scriptoribus: pollicitum quoque se synodo,si quando ritè cõueniret,nõ defuturum. Eâ igitur mente cum sit,sperare se Regem Consilium hoc de moderandis quibusdam abusibus non improbaturum. Quod si coniux charissima, cùm qua coniunctissimè semper vixerit,veteres quosdam ritus amet, non se repugnare, quin ijs arbitrio suo vtatur. Hæc Elector Brandeburgicus ad Regem,Melanchthonis ductum secutus, qui litteras eâ verborum adhibita temperie,de industria cõcinnauit,vt de mutanda religione nullum subesse periculum videretur. Interim quod de Visitatione decretum erat, instigantibus perpetuò Lutheranis princeps executus est. Eam verò Visitationem Matthias Iagius Episcopus Brandeburgensis,& Iacobus quidam Strednerus, à Georgio Marchione Ansbachico missus principis nomine peregerunt. Cæterùm ad eam formam reuocarunt omnia, quam pridẽ à Melanchthone diximus in hoc genere prę-scriptam: nisi quod Elector in rebus externis quam fieri posset minimũ immutari voluit,ne socerum Polonię Regem grauius offenderet. Quanquam verò Melanchthon Visitationi non interfuit, omnia tamen ex ipsius consilio nutuq; peracta fuerunt & cõ-

ANNO 1539.

Nota Lector commune hæreticorum præsidium.

Visitationẽ in suo principatu decernit.

Chytr. in Sax.p.444.

Eius primarii duces.

Ad prę-scriptum Melanchthonis agunt.

ANNO 1539. Ordinatio à Principe publicatur.

ſtituta. Edita deinde fuit nomine principis ordinatio quædam, mandatumque vt ad illius normã omnia per ditiones Electori ſubditas in eccleſijs agerentur. Huius anterior pars dogmatum explicationem continebat, & conciunculas quaſdam catecheticas: poſterior verò ceremonias & ritus Catholicos propemodum omnes; vt ſi ſpectes externa tantum, non habita ratione dogmatum, ferè nihil immutatum iudices.

Capita Ordinationis.

CAPVT XIV.

I. *Regis Angl. cum Proteſt. actio de fœdere, cum colloqu. & cenſura Melanchthonis in decretum Regis de relig. & apologia pro coniugio ſacerdotum.*

II. *Melanchthonis miſeriæ, morbus & profectio ad Comitia, cùm aliquot cõuentuum Proteſt. enumeratione.*

III. *Acta Melanchth. VVormatiæ cum Bucero, Nauſea, &c.*

IV. *Melanchthon Caluini acceſſu, & familiaritate corruptus, & aſperior factus.*

I. Rex Anglię ambit Proteſtantium ſocietatẽ.

HENRICVS VIII. Angliæ Rex licet ab Eccleſia Romana defecerat, & infeſtè oderat Pontificem, religionem tamen à maioribus per manus traditam non prorſus abiecit. Ambiebat quidem amicitiam & ſocietatem Proteſtantium; ſed ad profeſsionem adduci nõ potuit eorum dogmatum, in quibus Lutherani ab Eccleſiâ vetere diſsidebãt.

Labo-

ANNO 1539.

Laboratum est de concordia magno sanè Protestantium studio, qui tam potentem Regem fœderi suo adiunctum cupiebant: At frustrà fuit conatus iste, quemadmodum supra diximus.

De concordia religionis frustra inter eos actum.

Designati fuerunt an. 1536. Melanchthon alijque nonnulli, qui nomine Protestantium in Angliam profecti, cum Episcopis de dogmatibus conferrent: Verùm illa profectio Reginæ Boleniæ supplicio tum quidem fuit impedita. Elector igitur Saxoniæ Ioannes Fridericus biennio post an. 1538. Legatum misit in Angliam Franciscum Burcardum Procancellarium, cui Fridericum Myconium adiunxit concionatorem Lutheranum, vt de sopiendo, quod de dogmatibus erat, dissidio cum Anglis deliberarent. His primo congressu Rex discordiam obiecit, quam audierat pridem à fide dignis de religionis capitibus inter Lutheranos exortam. Negauit Burcardus protestantes inter se dissidere; idq; constanter admodum, perpetuis seipsum cum Myconio carceribus deuouēs, si res secus haberet, quam ipse dixerat. Erat interim verissimum, quod de dissidijs eorum Rex inaudierat, qui se communi nomine Euangelicos appellabant. Dissidebant enim à Sacramentarijs Lutherani, & ab his vtrisque Anabaptistæ: Quin & ipsi Lutherani iam erant inter se diuisi, Melanchthone cum suis à rigidioribus Lutheri discipulis in diuersum abeunte: Quos vtrosque rursus Anti-

Delecti Protestantium in Angliam.

Eis Rex discordiā obiicit.

In Colloq. lat. Tom. 1. pag. 171.

Falso se purgant.

Diuisio sectæ Lutheranæ.

ANNO 1539.

Antinomi circa tempus hoc oppugnabant. Hanc turpitudinem Legatus Saxonis, cùm alia ratione tegere non posset, mendacio velauit; impudenter negans, quod verum esse Myconius non ignorabat. Deinde Regis animum odio Pontificis sponte sua flagrantem, velut admotis facibus grauius accenderunt, de confessionis Augustanæ soliditate & inuicta firmitudine multa locuti.

Mendacio velatur.

Inuictam confessionis fortitudinem prętendunt.

Ventum est ad Collationem cum Episcopis, inter quos erant nonnulli Lutherano vel Sacramentario potius fermento pridem infecti: Quo factum est, vt actionis principia satis auspicata viderentur; quemadmodum Burcardus & Myconius, datis ad suos litteris ex Anglia scripserunt. At res non eos habuit successus, quos Melanchthon alijque sibi pollicebantur. Rex enim post diuturnâ collationem, cum suos in factiones distrahi videret, nouis opinionibus, Conuentu omnium Ordinum indicto (parlamentum ipsi vocant) inter cætera de religione sanciuit capita quædam, quibus promulgatis Lutherani, qui Regnum animo iam penè deuorarât, spe sua deiecti, Regem ab Euangelio rursus defeciisse clamitarunt.

Colloquiũ inter vtrosque.

Inep. ad Cam. p. 306

Parlamentum Rex conuocat.

Sleid. li. 12.

Colloq. mẽs. lat. Tom. 1. p. 174. b.

Summa verò eorum, quę de religione decreta sunt, hæc ferè fuit. In Euchariſtiæ Sacramento panis & vini substantiam, vi consecrationis in verum Christi Corpus & sanguinem conuerti: Communionem sub vtraque specie non esse iure diuino necessariã ad salu-

1. Summa decreti de religione à Rege lati.

2.

ANNO

salutem omnibus hominibus ; & Christum integrum sub vtrauis specie contineri: Sacerdotibus, postquam consecrati sunt, non permittendum, vt matrimonium contrahãt, vel ducant vxores: Qui vota castitatis emiserint fideles vtriusque sexus, ad ea præstanda vel seruanda obligari iure diuino: Missam, quæ sacrificium est, omnino retinendam ; idque iure diuino, cùm per eam diuina solatia & beneficia recipiantur: Expedire, adeoque necessarium esse, vt priuata confessio peccatorum in Ecclesia retineatur. His additum decretum in hanc sententiam : Si quis in Regno Anglicano, vel alio quouis dominio, quod Regi subiectum sit, post 12. Iunij diem viua voce, scripto, prælo, fictitijs characteribus, vel quouis alio modo secus doceat, aut credere se profiteatur, eum velut hæreticum puniendum.

1539. 3. 4. 5. 6.

Eius minæ & seueritas in contra sentientes.

Hoc decretum, cùm in publicum prodijsset, Protestantes imprimis grauiter offendit, qui spem de Rege conceperant ad confessionẽ Augustanam & fœdus Smalcaldicum adiungendo. Et Melanchthon quidem articulos supra memoratos ad censuram continuò reuocauit, deditq; litteras ad Regem ipsum Calend Nou. in quibus de ijsdem articulis fusè disputat, hortaturque Regem propositis Darij, Athenienſium, Assueri, Adriani, Anthonini exemplis, qui decreta publica per errorem edita correxerunt, vt Edictum Anglicanum aboleat. Id asserit esse cõfectum ab Episco-

Protestantes à societate Regis deterrẽtur. *In ep. sel. pag. 75.*

Melanchthonis censura in Decretũ Regis de religione.

ANNO 1539.

Episcopis, quos eam ob causam petulanter & mordaciter insectatur. Confecit verò mandatu principum anno sequente proximo & aliud quoddam scriptum, cui titulum indidit: Defensio coniugij sacerdotum, in quo non tantum de sacerdotum cõiugio, sed & de communione vtriusque vel alterius speciei, de sacrificio, de Missâ priuatâ, vt appellant isti, contra decretum Anglicanum prolixè disputat: Quod scriptum ad Angliæ Regem missum fuit, & typis continuò diuulgatum.

Eius Apologia pro coniugio sacerdotũ.

Typis mãdatur.

II. Hoc tempore Melanchthon tristitia, doloribus animi continuis, ærumnisque propter statum rerum publicum, & domesticorum inuidiam pene confectus fuit, vt viribus exhaustis de vita diutius producenda ipse desperaret; Imprimis quia VVittenbergæ commorandum erat inter eos, qui malignis oculis actiones ipsius omnes obseruabant: Qua de re 27. Nouemb. ad Camerarium quiritatur: Me, inquit, dolores animi, quos tuli toto triennio acerbissimos & continuos, & cæteræ quotidianæ ærumnæ ita consumpserunt, vt verear, me diu viuere non posse, causam ἐπιδυμιῶν nuper casu disputaui, eaque res mihi nouum certamen parit; de quo alias. Si essem alibi, melius sperarem de mea vita: Sed hæreo, vt vides ad Caucasum alligatus. Duplex igitur Melanchthonis cruciatus fuit; tum quod inter eos viuendum erat, quorum amarulentiam toties experiebatur;

Melancht. ærumnæ animique dolores.

In epist. ad Cam. p. 325. 326.

Causæ doloris.

tur;tum verò,quod de causis afflictionum & intimæ pressuræ sermonem habere non licuit,nisi nouam offensionem concitaret,suisque ærumnis adijceret onus. ANNO 1539.

Quo tempore Melanchthon ista scripsit, mense Nouembri scilicet, Protestantes conuentum habuerunt Arnsteti in Thuringia, in quo deliberatum fuit de augendo firmandoque fœdere,de rebus ad defensionem necessarijs, de dispensandis,quę inuaserant bonis ecclesiasticis, de causa Mindensium , in quos proscriptionis erat lata sententia,de legatione in Angliam ad Regem mittenda , & in Belgium ad Cæsarem , quem rumor erat ex Hispania breui adfuturum. Atque hic conuentus , quia fœderati non omnes aderant , nouum quendam alium peperit , qui Smalcaldiam indictus fuit ad Calend. Martias anni sequentis 1540. ad quem & concionatores venerunt iussu principum satis frequentes,Ionas,Pomeranus,Cruciger,Bucerus,alijque, & cum ijs Melanchthon ; qui tametsi concionator non erat , sed artium & Græcæ linguæ professor , concionatoribus tamen adiunctus est, cùm de religione suscipienda fuit deliberatio. His mandatum, vt formam conciperent actionis de conciliandis dogmatibus cum aduersarijs instituendę: tum, vt scripto quodam confutarent articulos Anglicani decreti de religione promulgati nuper admodum autoritate Regis, quem Protestantes non censuerunt ad fędus reci-

Conuẽtus Protestantium Arnsteti in Thuringia.

Causæ cõuentus.

Ann.1540. Conuẽtus Protestantiũ Smalcaldiæ.

Causæ cõuentus.

In epist.ad Cam.p.330 Sleid.li.13.

ANNO 1540.

recipiendum, nisi ad Augustanam se Confessionem adiungeret. Scriptum hoc Melanchthon postea confecit, vti iam antè diximus. Disputatum deinde fuit iussu principum, de politia vel iurisdictione Ecclesiastica, quam Episcopis plerique restituendam censuerũt, si recipiant piam doctrinam, vt loquuntur isti, & manifesta vitia corrigant.

Qua Conditiõe Rex Angliæ fœderi adiungendus. *Cam. p.* 185.

Fuit deinde Conuentus Ordinum indictus Spiram, in quo de conciliandis dogmatibus inter vtriusque partis Theologos potissimum ageretur; quod Cæsar moderatis Doctorum consilijs potius, quam armis dirimi controuersias optaret. Cùm verò Spiræ scintillaret id temporis pestilentiæ lues, Haganoam Conuentus iste translatus fuit; quo Lutherani magno numero conuenerunt: Quanquam de cõciliatione nihil agi potuit, quod Lutherani ab articulis ante decennium Augustæ conciliatis turpiter resilirent; tum quod Protestantium capita, Saxo Elector & Landgrauius abessent. Itaque negotium nũc quidem suspẽsum est, & ad vigesimum octauum Octobris VVormatiæ dictus dies, ad Colloquium hoc persequendum.

Conuẽtus Ordinum Spiram inductus.

Trãsfertur Haganoam.

Alius Conuentus Wormatiæ.

Cæterùm Elector Saxo Melanchthonem quoque designauerat, vt cum reliquis Haganoensi Colloquio interesset. Is verò cum Vinariam in itinere venisset, quæ Thuringiæ ciuitas est, substitit, oppressus lethali morbo; de quo se per somnium admonitum fuisse scribit antequam iter ingrederetur.

Melancht. Comes designatus.

In ep. ad Cam. p. 333.

Subsistit Vinariæ morbo oppressus.

Tametsi

Tametsi iampridem non corpore tantum, sed & animo miserandum in modum erat affecto, quemadmodum paulò supra diximus. Et quidem ad corporis infirmitatem quod attinet, Georgius Sturciades medicus celeberrimus, Erphordia vocatus curam ægrotantis suscepit, nec quicquam reliqui fecit ad summam diligentiam, vt restitueretur; quod superatis morbi difficultatibus paulatim factum est. Verum ille cum alio quoque morbo conflictabatur, grauissimis animi perturbationibus, & conscientiæ summis angoribus ad eum modum oppressus, vt animum despondere prorsus, & deficere videretur. Quod cum Lutherus intelligeret, aduolauit continuo, & quibus potuit rationibus Melanchthonem prostratum erexit. Quam ob causam verò graues istos conscientiæ morsus sustinuerit, & acerbos cruciatus, id consultò dissimulant, qui faciunt huius luctæ mentionem. At mirum non est huiusmodi terroribus agitari istos, cùm distractionem fidelium bella, seditiones, infinitas calamitates intuentur, & variarum hæreseon ingens chaos, & illam malorum iliada, quam scriptis suis & concionibus in orbem Christianum inuexerunt. Nimirum is angor conscientiæ, ea mentis trepidatio gustus quidam est diuini iudicij, quod aliquando propter excitatum hoc luctuosum religionis incendium portabunt. Interim mutuò se consolantur vt possunt;

ANNO 1540.

A medico curatur.

Cam. in vit. Mel. p. 186.

Morbo cõscientiæ laborat.

A Luthero erigitur.

Causæ morbi conscientiæ.

ANNO 1540.

quemadmodum anno 1525. Lutherum ob inceſtas nuptias & votifragium conſcientiæ ſtimulis agitatum ipſe Melanchthon, & nũc Melanchthonem Lutherus viciſsim erexit: At erit tempus, cùm huiuſmodi conſolationes euaneſcent; vbi nimirum ad ſupremi iudicis tribunal ſtabunt, rationem hoc nomine reddituri, quod ſoluto charitatis vnitatisque vinculo, Chriſtianum populum in tot factiones diſtraxerunt.

Mutuæ ſectariorum conſolationes.

III. Poſtquam vtcumque reſtitutus eſt, Calendis Septemb. de paroxiſmo, quem ſuſtinuerat, ad Camerarium ſcripſit in hunc modum: Nulla oratione explicare poſſum, quam horribiles dolores ſuſtinuerim; qui interdum recrudeſcunt. Senſi καὶ τὸν διδάσκαλον (Lutherum intelligit) excruciari animo; ſed ille ſuum dolorem repreſsit, ne meum augeret; meque erigere conatus eſt ſummâ animi magnitudine, non ſolum conſolando, ſed ſæpè duriter obiurgando: Qui niſi ad me veniſſet, mortuus eſſem. Non multo poſt, quam conualuit, ab Electore Saxone cum alijs quibuſdam VVormatiam miſſus fuit ad continuandum, quod Haganoæ pridem cœptum erat, de religione colloquium: Vbi variæ fuerunt & diuturnæ concertationes de forma colloquij, de notarijs, qui dicta collocutorum exciperent, de actis colloquij non publicandis, de ratione ſuffragiorum, de collocutorum numero, deque rebus id genus

In epiſt. ad Cam. p. 337

Sleid. li. 13.

Melancht. Wormatiã miſſus ad colloquiũ.

genus alijs; quibus ob Lutheranorum pertinaciam tempus in annum vsque sequentem extractũ fuit: Vt non iniuria Cæsar per Granuellanum Protestantibus obiecerit, quòd hactenus simularint concordiæ studium, & consulto negotium extraxerint, vt intereà viribus aucti atq; potentia paulatim res suas stabilirent. ANNO 1540. *In epist. ad Cam. p. 346* Protestantes cõcordiæ studiũ simulant.

Sanè quicquid in hoc conuentu de modo procedendi, nomine Cæsaris, propositum fuit, id displicuit concionatoribus Lutheranis, qui magno numero, plures quam triginta VVormatiam conuolarant. Restitabant igitur perpetuò, & negotium altercando atque tergiuersando suspendebant. Qua in re detestanda est Sleidani malitia, qui more suo, quod hac parte fuit à Lutheranis peccatum, Catholicis impingit, & omnem actionis suspensæ culpam, quæ in istis hærebat, in hos nititur transmouere. Vrgebant Lutherani, quorum consilia Melanchthon & Bucerus imprimis moderabantur, vt velut in theatro publicum institueretur colloquium; vt in eo liberum esset omnibus non modo ferre suffragium, sed & palam contradicere, siue consentaneam suæ parti siue dissentaneam, aut mediam inter vtrosque sententiam tuerentur; vt collocutorum non modo nudæ sententiæ, sed & rationes vel argumenta, eorumque explicationes integrè per Notarios exciperentur; vt si qui post primarios collocutores facultatem

Sanioribus consiliis perpetuò restitant.

Lib. 13. Sleidani mala fraus.

Lutheranorum instãtia. *Bucer. in ep. ad Nausea.*

Publicum colloquiũ postulant.

ANNO 1540.

peterent adijciendi quippiam, ea non denegaretur.

Hæc illi, aliaque id genus nonnulla; quæ præsides à Cæsare constituti probare non potuerunt: cùm actionem huiusmodi viderent non turbulentam modo fore, sed & infinitam, imò fouendis augendisque, quam sopiendis controuersijs aptiorem. Iam verò & hoc machinabantur Melanchthon & Bucerus, vt nec Pontificij vel Romani, nec externarum nationum Theologi, nec monachi ad actionem designarentur, quæ de sopiendis in Germaniâ controuersijs instituenda esset, vtque ea, quæ conciliari per delectos non possent, non ad generale Concilium, sed ad quosdam germanicæ nationis Theologos definienda reijcerentur. Hæc isti; scilicet, vt Germaniã à reliquis Christiani nominis prouincijs diuulsam in schismate confirmarẽt. Ad hunc verò ceu scopum quẽdam Melanchthonis, Bucerique consilia spectasse, deprehẽdi potest ex colloquio, quod VVormatiæ cum Theologo quodam Catholico priuatim habuerunt.

Machinatio eorũ de repellendis à colloquio pontificiis Theologis.

Is erat Fridericus Nausea, Ferdinandi Regis concionator aulicus, designatus iam in Episcopum Viẽnensem; cum quo Melanchthon anno 1526. cum in patria esset, de controuersijs horum temporum fuerat collocutus. Nunc, dum altercationibus omnia feruerent, salutandum putauit, velut amicum veterem, exploraturus, quænam esset ipsius

Eorum priuatus congressus cũ Nausea.

Nauseæ voluntatem explorant.

sius de turbulẽtis hoc genus actionibus sententia. Itaque datis ad eum litteris memoriã refricat familiaris congressus ante quindecim annos habiti, & tempus atque locum sibi designari petit ad colloquium. Constituitur decimusnonus Decembris, quo die Melanchthon cum socio Crucigero pomeridianis horis ad Nauseæ hospitium accessit. Verbis vltro citroque commutatis, vt moris est inter salutantes, duo quædam ex Melanchthone Nausea quęsiuit, obtestatus vt simpliciter & syncerè respõdeat; facturum se vicissim, ait, in ipsius gratiam quiduis. Prius erat, Quid ipsi videatur de huiº actionis progressu, num firmam ex ea sperãdam & salutarem cõcordiam existimet? Alterum, An alia media nouerit ipse, per quæ controuersias sopiri commodius, & hoc conciliationis negotium ad honorem Dei, Ecclesiæq; salutem felicius transigi posse iudicet? Melanchthon adhæc, Esse, quæ Nausea quæsierit difficiliora, quã vt possit ad ea responderi. Missos se VVormatiam ad colloquium, cuius ne quidẽ initium sit factum hactenus; cùm duos iam ferè menses integros hic sint morati. Itaque quis futurus sit huius rei successus, sibi quidem non esse promptum dicere: Fortè se breui eò redituros, vnde VVormatiam venerint. Ad alterum quod spectet, actionẽ forsan magis expeditã fore, si Catholici è Protestantibus, & hi vicissim ex illis ternos designent collocutores, qui propositis in mediũ Augustanæ

ANNO 1540. *In libello, cuius titulus est: Colloq. priuata. A, ij. a* Colloquio dies designatur.

Postulata Nauseæ ex Melancht. *ibid. A. 3. a.* I. de actionis progressu.

II. de remedio concordiæ. Responsio Melancht.

ANNO 1540.

Confeſsionis articulis conciliandi viam tentent. Si quid maneat controuerſum, id ad Cæſareanos & Regios Theologos reijciendum, qui rationes exquirant de vtriſq; in eãdem ſententiam redigendis. Eam verò ad ré Germanos, quam externos aliarum nationũ homines fore commodiores. Concludit tandẽ his verbis: Peccamus, inquit, vtriq́ue, nec quæ ſcripſimus ipſi, nec quæ veſtri, probari poſſunt omnia: Id quod ego de meis ſcriptis ingenuè fateor. Reſpondet Nauſea: Quod tãto tempore extrahatur actio, eius rei culpam in Catholicis non hærere, ſed in ipſis potius, qui tergiuerſari videantur. Principia rerum agẽdarum eſſe plerunq́; difficilia; finem, Deo propitio, meliorem fortè futurum, quam quiſquam ſperet. Nõ diſcedendum cuiquam re infecta, ſed omnibus in commune ſummo ſtudio connitendũ, ne ſpes & expectatio bonorum de hoc colloquio concepta eludatur. Interim rogare ſe dicit, vt Melanchthon ſententiam ſuam de conciliandi modo ſcripto comprehenſam mittat: communicaturum ſe viciſsim ipſi, quæ forſan ab hoc inſtituto non ſint aliena. Atque ita tum quidem diſceſſum. Poſtridiè, qui vigeſimus Decembris fuit, Melanchthon epiſtolium ſcripſit ad Nauſeam ex calculo iam laborantem, quo ſignificat, expoſuiſſe ſe ſententiam ſuam de negotio conciliationis breui ſcripto pagellas aliquot continente, quod intellexerit, Nauſeam apud Granuellanum iã vidiſſe.

Peccatũ & errorẽ ſuũ fatetur. *A. iiij. a.*

Replica Nauſeæ.

Petit ſibi communicari Melanchth. ſentẽtiam ſcripto cõprehẽſam.

Melancht. litteræ ad Nauſeã ex calculo laborantem.

Salu-

Salutaturum se denuò ipsum, quandocunque voluerit, & coram ingenuè dicturum, quid sentiat: De alienis voluntatibus paciſci nec posse nec velle. Post 10. Ianuarij ann. 1541. Melanchthon, Bucerus & Cruciger languẽtem adhuc ex lithiasi Nauseam visitarũt, velut officij causa. Habiti principio varij sermones, vt in huiusmodi congressibus fieri consueuit. Deinde Melãnchthone verba faciente, omnia se dicunt, in hoc cõciliationis negotio propensis animis facturos, quæ possint salua pietate. Sed esse quosdam imprimis monachos morosiores, & omnia turbare, dũ opiniones animo conceptas mordicus tueãtur. Idẽ suspicari se de pontificijs oratoribus & Theologis, qui videãtur à cõcordia prorsus alieni. Interim se, qui vulgo Protestantes appellẽtur, nihil aliud postulare, nisi vt locũ habeat veritas, quæ nũc passim, & apud ipsos quoq; cõtemnatur. Vtcunq; se habeant ista, per se quidẽ hactenus non stetisse, quin publicus in causa religionis habitus sit congressus. Quod si ventum fuerit ad actionẽ, se causæ communi non defuturos: Rogare, vt eandem & ipse sibi commendatam habeat. Ad hæc Nausea Deum testatur, nullam se rem desiderare vehementius, quam vt pia sanciatur in religione concordia: Quæ vt coiret, nihil se hactenus omisisse; nec deinceps quicquam reliqui facturum ad summam diligentiam. Quod verò pontificios oratores & theologos omnia turbare suspicentur,

ANNO 1541. Ann. 1541.

Ibid. B. 1. b. B. ij.

Eius cum sociis ad Nauseam aduentus.

Põtificios discordiæ traducit.

Replica Nauseæ.

Eius de sanitate Põtificiorum protestatio.

ANNO 1540.

eos falli vehementer, errareque toto cœlo. Nullos ipsis ad dissidium hoc æquis conditionibus componendum esse paratiores: qua de re spondere se paratum ait. Nec eos in culpa fuisse, quo minus habitum fuerit Haganoæ colloquium. De monachis verò causam non esse, cur conquerantur. Eos, adeoq; Catholicos omnes nihil aliud ab ipsis postulare, nisi vt dent locum veritati; quam ipsi potius odio habere videantur. Hoc vbi fuerit ab ipsis impetratum, Catholicos nihil amplius desideraturos. Rogare se, vt missis circuitionibus rem seriò tandem agant, nec aliud expectent à se, quam quod pacis amantem, & cõcordiæ studiosum in hac causa præstare deceat. Illi vicissim eadem à se Nauseam expectare iubent, atque ita tum quidem discedunt.

Sleid. li.13.

Colloquiũ vtriusque partis.

Paucis diebus post, ad idus Ianuarij scilicet, conuentum tandem est post diuturnam altercationem, vt actionis fieret initium. Designati à Catholicis Eccius, à Lutheranis Melanchthon, qui verba facerent. Deinde confessus habiti fuerunt ad triduum; quod tẽpus declamando potius, vel habendis concionibus, quam colloquendo transactũ fuit.

Capita cõtrouersa.

Disputatum verò de peccato originis tantum; de quo dogmate Melanchthon, cùm ad congressum se pararet, scriptũ confecit, quod licet ipsius iudicio Lutheranorum sentẽtiam dilucidè satis, & simpliciter explicatam continebat, à socijs tamen reprehensum fuit:

Melancht. scriptum à sociis reprehẽsum.

Qua

Quâ de re queritur in litteris 13. Ianuarij scriptis ad Camerarium: Ea, inquit, quæ περὶ τῆς φυσικῆς καχιάς scripseram, auxi. Cũq; ego putarem esse simpliciſsima, & maxime dilucida, & propria, tamen reprehenduntur à noſtris quoq;. Facilis & iucunda est disputatio, inquit Aristoteles, si geometres cum geometra disserat. Ἐγὼ δὲ διαλέγομαι πολλάκις, οὐ μόνον τοῖς ἀπαιδεύτοις ἀλλὰ καὶ δυσκόλοις. Sed hos Aristarchas vtcunq; fero.

ANNO 1540. *In lit. ad Cam. pag. 354.*

Hæc Melanchthon. Bucerus autem denuo Nauseam per litteras interpellauit, insinuans esse res magni momenti, de quibus desiderium habeat cum ipso conferendi. Venit igitur 16. Ianuarij ad Nauseam nondum ex morbo restitutum, rogatusq; vt semotis ambagibus causam aduentus sui breuiter explicaret, longum sermonem ingressus est de sanandis Ecclesiæ vulneribus, & concordiâ rursus instauranda: Quæ cum Nausea patienter audiuisset, licet æger esset & debilis, rogauit Bucerum, vt quæ disseruerat paulo fusius, scripto comprehensa sibi communicaret, vt rem hanc maturius secum posset expendere. Fecit hoc Bucerus triduo post, & scriptum misit ad Nauseam; in quo de sarcienda Ecclesiæ concordiâ, suam Melanchthonis, cæterorumq; sententiam liberius aperuit, ad hunc ferè modum: Principio persuadendum Cæsari, & Ferdinando Regi, vt ipsi & Ordines Imperij omnes, cuiuscunq; sint religionis, viros quosdam doctos, commodos,

Colloq. priuat. B. 4. b, C. ſ. ij. & ſeq.

Buceri ad Nauseam accessus.

Iubetur sẽtẽtiã suam scripto cõplecti.

Summa scripti Buceri.

Quales Collocutores deligendi.

ANNO 1541.

modos, & pacis amantes deligant, qui non modo decidant controuersias, sed Ecclesiæ quoque reformationem instituant: Ab horum numero Romanos, aliarumque nationum homines & aduenas arcēdos; vt qui iustam causæ cognitionem impedire conentur, & ambitiosi sint, nec sese accommodent ad Christi normam, & rerum germanicarū sint imperiti. Quod si fortè succenseant eam ob causam, ferēdam potius illorum iracundiam etiam maximam, quam offendatur Christus. Vt per generale concilium Ecclesiæ rectè consulatur, non expectandum. Itaque studia Pontificiorum & omnium aliorum, qui velint impedire, quo minus Germaniæ quamprimum per commune concilium Ordinum Imperij succurratur, Cæsari ac Principibus cōtemnenda, Protestantes fuisse semper, atq; etiā nunc pacis cupidissimos: se sociosq; concionatiores de fide in Christū & salute consequendâ rectè docere: Habere etiam in votis, vt plenissimè restituatur Ecclesiæ disciplina, quam apud ipsos nimium iacere fateatur. Nō se repugnaturos, quin Episcopi Metropolitani, primates, & primi illi Patriarchæ, sicut olim cōstitutū sit in primarijs illis Sanctissimisque Concilijs, vtantur potestate sua, & locum dignitatis obtineant. Imò facilè consensuros, vt ad eum modum administretur tota politia Ecclesiastica, quo vetera Concilia decreuerunt. Nec quicquam de Cleri vel populi disciplinâ traditum in veteribus

Pontificij excludēdi.

Concilium reijcit.

Fidem suā eiusque firmitatem ebuccinat.

Quales Assessores in colloquio petat.

ANNO 1541.

ribus Canonibus, quod non in votis habeant quamprimum reſtitui; duobus tantum capitibus exceptis: Cęlibatu ſacerdotum ſcilicet, & ieiunijs, alijſque id genus corporis caſtigationibus. In ſumma, quicquid docendum, quicquid in ſacris concionibus vſurpãdum, quicquid in diſciplinâ obſeruandum ſancti Patres docuerint, & in Eccleſijs vſurparint, id ſe nõ ſpreturos. Interim timeri fortè difficultatẽ in eo, quod Epiſcopi & Prẹlati, Principes ſint, & Satrapæ ditionũ externarũ. Verùm iſtos in principatu rerumq; externarum adminiſtratione manere poſſe, modo curent, vt Eccleſijs de Paſtoribus idoneis & miniſtris proſpiciatur. Hæc Cæſari & Principibus Germaniæ exponenda fideliter, ait, & perſuadenda. Ipſi enim ſummi Paſtores noſtri ſunt, inquit, ipſis omnis anima ſubiecta eſſe debet in hoc ipſorum quidẽ Imperio; & Deus nunc maximã eis occaſionam offert res Germaniæ ſanctè & feliciter pacificãdi. Hæc Bucerus ad Nauſeam; ex quibus liquidũ ſatis eſt, cur tanto tẽpore, tamq; pertinaciter altercati ſint Lutherani, & qualẽ conciliandæ religionis formã animo cõceperint: ſcilicet, quæ per Germanicæ nationis homines tãtũ ex ipſorũ voto delectos, Põtificijs Theologis, & aliarũ nationũ viris religioſis excluſis, Principum Imperij tanquã Paſtorũ autoritate dirigatur. Interea Cæſar de pertinaciâ Lutheranorũ & tergiuerſatione monitus, datis ad Granuellanũ litteris ſuſpendit actionẽ, eamq; ad Ratiſbonen-

Duo capita extra controuerſiam ponit.

SS. Patrib⁹ ſeſe accommodat.

Verba Buceri.

Ibid. C. 5. A.

“
“
“
“
“
“

Quale Cõciliũ Proteſtantes petant.

Cæſar actionẽ reijcit ad Cõuentũ Ratisbonenſem.

ANNO 1541.

bonensem conuentum reijcit, mense Martio celebrandum hoc eodem anno, ad quem ipse venire decreuerat: Quâ re per Granuellanum in consessu denunciaat colloquium solutum fuit.

V. Caluinus sese insinuat in societatem Lutheranorum.

Venit VVormatiam inter cæteros & Ioannes Caluinus, quem Bucerus Argentorato secum adduxit; vbi ab anno 1538, quo Genevâ per Senatum eiectus est, in exilio vixerat. Hic Lutheranis se concionatoribus adiunxit; quanquam ab ijs in dogmatibus quibusdam magni momenti, cum primis in re Sacramentariâ toto cœlo disidebat. Erat is homo versipellis admodum, & ingenio prorsus colubrino; nec aliter se habuit in hoc conuentu, quam si Lutheranis partibus & Augustanæ Confessioni penitus esset addictus. Imprimis Saxonum amicitiam ambiebat magno studio, seq; familiariter insinuabat in Melanchthonis & Crucigeri consortium; cum quibus suauiter & intimè consusurrauit. Inclinabat iampridem ad Sacramentarios Melanchthon, per Bucerum emollitus anno 1536, vt ante diximus. Verum in hoc congressu spiritum Sacramentarium, cuius primitias iam ante delibarat, è Caluini pectore plenis faucibus hausisse videtur. Et quidem, nisi me fallit coniectura, vel VVormatiæ, vel certè paulo post Ratisbonæ contigit illud, quod Caluinus in Hesshusium scribens memorat, Melanchthonẽ scilicet fatigatum laboribus, aut sub aduersis fatiscentem, vel

Eius ingenium colubrinum.

Melanchthonem dementat.

Caluin. cõt. Hesshuss.

centies

centies reclinasse caput in sinum suum, & in hæc verba prorupisse: Vtinam, Vtinam in hoc sinu mori mihi liceat? Certe deprehensum fuit in conuentu VVormatiensi, quod Melanchthon ab eo tempore, quo vel caput reposuit in Caluinismum, vel commercium cũ eo habuit, ferocior factus est & asperior in Catholicos; nec eam adhibuit in actione moderationem, quam in Augustanis Comitijs anno 1530 præ se tulit. Isthic enim Catholicis multa concedere voluit, seq; pacis & concordiæ studiosum exhibuit, adeoque commodum, vt hoc nomine malè audiret apud socios, qui causam euangelicam largis ipsius concessionibus proditum iri iudicabant. At in hoc VVormatiensi conuentu satis distortum se præbuit, & solito duriorem; vt hausto Caluini genio, à moderatis consilijs pacisq; studio nunc alienus esse videretur: Quem eundem agendi modum, & Ratisbonæ secutus est, vt paulo post dicemus.

ANNO 1541.

Melanchthon per Caluinum factus asperior.

CAPVT XV.

I. *Mutatio religionis in Ducatu Brunsvicensi consilio Melancht.*

II. *Eius Ratisbonam aduentus, infortunium, colloquium, asperitas & somnium.*

III. *Disceptatio cum Melanchthone. eius fraus & crimen falsi, cum Ordinum responso & apologia Melancht. concordiæ negotio Brandenburgio demandato.*

IV. *Per*

ANNO 1541. IV. *Per obitum Episcopi Naumburg. trepidatio Luth. inter & Melancht. ob dissidium inter Maur. & Elect. Duces Sax. Langgravij interuentu compositum.*

I. TEMPORE superioris cõuentus, qui Haganoæ fuit, Brunsuici Dux Ericus senior, VVilhelmi filius, Princeps insignis, & Catholicę religionis amãtissimus, anno ætatis septuagesimo supremum vitæ diem clausit, Erico filio, quẽ vnicum habebat, duodecim annorum adolescente relicto. Vidua iunioris Erici mater, Ioachimi primi Brandeburgici Electoris filia, susceptâ ducatus administratione, de consilio procerum religionis mutationem induxit. Hanc rem & Melanchthon in consilium adhibitus non parũ promouit, datis subinde litteris ad Mitobiũ quendam aulæ medicum, in quibus modum præscribit, quem in mutandâ religione sequendũ iudicet. Institutum hoc viduæ Principis vehementer improbauit, & quibus potuit rationibus impedire conatus est Henricus Brunsuici Dux, iunioris Erici patruelis; quem Melanchthon hanc ob causam Mezentium per contumeliam appellat. Verùm frustrà laborauit Princeps in religione feruentissimus: Nec enim potuit impedire, quo minus ex consilio Molanchthonis, eorumque voto, qui nouis rebus studebant, religione maiorum abolitâ Lutheranismus inuceretur; propterea, quod contagio nouorum dogmatum subditos maximam partem, ciuita-

Chytr in Sax. p. 448. Ericus Brunsuicẽsis moritur

Eius vxor mutat religionem.

Melanchthonem in consilium adhibet.

Henricus Dux Mezentio cõparatus.

tes

tes imprimis Hannouerã, Gottingam, aliasque iam pridem infecerat. Vocatus verò fuit ex Hassiâ vicinâ quidam Antonius Coruinus, homo plane Lutheranus, vt hoc mutandæ religionis negotium dirigeret: quẽ aiunt in expilandis Ecclesiarum & Monasteriorũ thesauris manus habuisse paulò rapaciores, quam honestum virum deceat. Quã ob causam Melanchthon, cum hac de re scriberet, velut pungens id genus harpias, reformationem ait, nõ à ceremoniarum mutatione, aut λιχονοκλάσει, vel cœnobiorum direptione, sed à doctrinâ vtili ac salutari in cõcionibus piè & moderatè proponendâ inchoandam.

ANNO 1541.

Coruinus ex Hassia vocatur ad disseminandum Euangelium.

Sacrilegij reus.

A Melãchthone pungitur.

Cæterùm Ericus iunior, vbi adoleuit, patris exemplum secutus, adhæsit religioni Catholicæ; atq; id quidem ad extremum vsque vitæ spiritum. Et quia subditos ab eâ vidit auersos, nec errorẽ matris in religione mutandâ commissum corrigere potuit, molestũ fuit Catholico Principi morari apud subditos Ecclesiæ perduelles. Ideoque in Italiâ, in Hispaniâ, in Belgio maximam ætatis partem transegit, & tãdem anno 1584. exeunte Papię mortuus est, non relictâ prole legitimâ, quæ succedere in principatu posset.

Ericus in religione constans.

Ob pietatẽ exul.

Papiæ moritur.

II.

VVormatiensis actio de dogmatum conciliatione mandatu Cæsaris ad Ratisbonensem cõuentũ erat reiecta, quẽadmodũ supra diximus. Ad hanc igitur cõtinuandã, & Melanchthon cũ alijs Electoris iussu profectus fuit: sanè nõ admodum lubens; quod hausto iam

Melanchthon aduẽtus Wormatiam ad colloquiũ.

ANNO 1541. Caluinismo infectus.

iam largius Caluini spiritu animum haberet ab huiusmodi pacis consilijs alienum; quemadmodum vbi ventum est ad actionem, reipsa satis declarauit. Iuit tamen, quia sic voluit Elector; licet genio repugnante; nec admodum bonis auibus, quod aiunt. Nam in itinere, cum ad superiorem Palatinatum veniisset, aurigæ negligentiâ factum est, vt vehiculo, quo vehebatur euerso, dextra manus ossiculis quibusdam quassatis grauiter læderetur. Auxit malum chirurgorum error, qui cum luxatam esse negarent, non quam debebant curandi rationem adhibuerunt. Tametsi verò diligenter curatus fuit, & sollicitè; Cæsaris etiam adhibito chirurgo hominé Burgundo; mansit tamen aliquid incommodi, nec vnquam integrum dextræ manus vsum recepit. De causis huius infortunij Melanchthon ipse scribit ad quendam ex intimis in hunc modum: Non quæro astrologicas causas; etsi proxima Eclipsis mihi minata est; & eo die, quo manus luxata est, oppositio fuit Saturni & Martis: Sed aliæ veriores causæ sunt: Diuinitus plector, ac iustas pœnas do, cùm aliorum meorum delictorum; tum verò etiam huius meæ facilitatis, quod futilibus & insulsis consilijs adhiberi me sino, contra tot præcepta sapientum. Hæc Melanchthon; Eam ob causam asserens se diuinitus puniri, quod actionibus interesset ad componendum religionis disidium, & pacem orbi Christiano restituendam per

Vehiculo excussus manum lædit. *Camer. in vita Mel. pag. 197.*

A medicis ægre curatur.

In ep. ad Cam. p. 356. 357.

Causæ huius infortunij.

Cæsa-

Cæsarem institutis. At si vindicta Dei fuit in hac manus contritione, eam sine dubio propter excitatas turbas sustinuit potius, quam quod de sedandis motibus, & pace postlimino restituendâ cum alijs deliberaret; Nimirum vt illa manus affligeretur & contabesceret, vt scribit ad Camerarium, quæ contumelias in Deum, in Ecclesiam, in Sanctos scripserat, quæ tot venenata spicula torserat in aciem castrorum Dei viuentis ordinatam; imò qua scribendis libris velut ligna congesserat ad alendum, augendumque luctuosum illud incendium, quo Germania nonsolum, sed & Europa ferè hactenus conflagrauit.

ANNO 1541. Vindictam quare à Deo passus

Ad Cam. pag. 363. Ob manus virulentiã.

Vbi Ratisbonam ventum est, Cæsar ipse 13. Aprilis per Fridericum Palatinum tres vtriusq; partis designat ad colloquium, qui cœptum VVormatiæ de conciliandis dogmatibus actionem resumerent & continuarent: E Catholicis Ioannem Eccium, Iulium Pflugium, & Ioannem Gropperum; E Lutheranis verò Philippum Melanchthonem, Martinum Bucerum, & Ioannem Pistorium. Hos deinde Cæsar ad se vocauit 22. Aprilis, eosque clementer allocutus est, & satis comiter admonuit, vt positis affectibus ob oculos habeant vnius Dei gloriam, Ecclesiæque salutem, & amanter de dogmatibus controuersis inter se conferant, atque hoc dent operam imprimis, vt orbi Christiano pristina tranquillitas restituatur. Deinde præsides actionis designati fuerunt,

Sleid. lib. 13. Comitia Ratisbonę.

In epist. ad Cam. p. 358. Collocutores à Cæsare de concordia monentur.

Præsides actionis.

ANNO 1541.

Fridericus Palatinus & Granuellanus : Quidam etiã ex vtraq; parte conſtituti, numero ſex, terni & terni, qui velut teſtes adeſſent.

Liber Concordię profertur.

Initium actionis ad 27. Aprilis factum eſt, verba faciente Palatino. Deinde Granuellanus librum quendam collocutoribus propoſuit, in quo Cæſari perſuaſum erat, temperatâ verborum compoſitione modum demonſtrari, ad tollẽdam ſententiarum diſcrepantiam oportunum. Hunc Chytræus autor eſt à Gerardo quodam Veltvvichio Cæſaris familiari compoſitum: tametſi ſunt, qui non ab vno conſarcinatum exiſtiment; & Bucerum etiam mirabili quadam vſum vafritie de ſuo quippiam in eius texturam contuliſſe, quanquam id, vt erat magnus ſimulator, in colloquio fortiter diſsimulauit : Eccius quoque Melãchthonicæ dictionis filum de eo deprehendit; quemadmodum abſoluto colloquio teſtatus eſt, cum iudicium ſuũ in libro miſsâ ſcedâ principibus inſinuaret. Voluit autem Cæſar, vt collocutores ordine, iuxta capitum ſeriem examinarent librum iſtum, & quid vtrique vel alterutri probandum in eo cenſerent, quid improbãdum corrigendumve, notis adiectis indicarent: nimirũ vt actio tota in hoc ſcripto, ceu quodam cardine verteretur; Quâ in re voluntati Cæſaris obtemperatum fuit. Itaque lectus eſt in conuentu liber, atque examinatus à capite ad calcem vſque. Et nonnulla quidem eius capita partis vtriuſque conſenſu correcta fuerunt, &

Chytr. in Sax. pa. 452

Surius in Chro. p. 360

Cęſaris voluntas in examinando libro per ordinẽ.

vtriuſ-

vtriusque probata: De quibusdam verò res hæsit, nec collocutores in eandem sentẽtiam coire potuerunt. ANNO 1541.

Liber partim approbatur, partim in controuersia manet.

Cæterùm in actione Melãchthon reliquis durior fuit, & intractabilior: Quod cum Cęsar intelligeret, qui cõciliandæ pacis erat cupidissimus, Philippum Hassiæ Landgrauium ad se vocauit (Elector enim Saxo per Lutherum deterritus ad hæc Comitia non venit) monuitq;, vt Melanchthonẽ, qui cæteris esset asperior, ad mitiora cõsilia reuocaret. Ioachimus etiam Brandeburgicus Elector, qui religione mutata Lutheranorum partibus ante biennium accesserat, legationẽ misit VVittenbergã ad Lutherum ipsum; quẽ Principes tractabiliorẽ fore putabant in hoc conciliãdi negotio, quã Melanchthonem experiebãtur. Cæsar hãc duritiem suspicabatur haustam ex colloquio, quod eũ intellexerat habuisse cũ Legato Gallico, à quo Melanchthonẽ ferunt per id tempus inuitatum ad suscipiendã profectionẽ in Galliam, quã anno 1535. cũ à Rege per litteras euocatus esset, in aliud tẽpus suspenderat. Alij certis illũ cancellis à Luthero circumscriptũ arbitrabãtur, extra quos egredi non auderet; obseruari etiam à collegis & cohiberi, ne lõgius in actione progrederetur, quam ferebant mandati limites, quibus Elector Saxo per Lutherũ monitus, Melãchthonẽ ad Comitia proficiscentẽ incluserat. Imprimis verò Caluin° VVormatię partim, partim in hoc cõuentu Melanchthonis animum viru-

In ep ad Cam. p. 362 & 364.

Variæ de eius intractabilitate opiniones.

Cam. in vit. Mel. p. 198.

Melanchthon Luthero alligatus.

A Caluino virulentiâ inficitur.

ANNO 1541.

virulẽtiæ maioris & odij flammis in Catholicos accenderat. Hunc enim inter Lutheranos garriendo multa turbaſſe poeta quidam indicat, qui VVormatiæ de ſingulis vtriuſque partis Theologis, ſingula fecit diſticha; de Caluino hunc in modum canens:

In Catalogo Doctorum, tam Cath. quam Prot.

Quæſo, quid indignè tot fundis inania verba?
Doctus es; at quid tum? ſis quoq; porro pius.

Melancht. apud Cęſarem ſe purgat. *In ep fol. pag. 50.*

Interim Melanchthon, cum Cæſarem intelligeret aſperitate ſuâ offenſum, litteras ad eum dedit purgandi ſui gratiâ; quibus iniuriam ſibi fieri queritur: nihil amplius ſe, quam conceſſerit aduerſarijs, in actione largiri potuiſſe. Accuſari ſe, ait, à ſuis, quaſi languidus egerit cauſam, & aduerſæ parti pacis & concordiæ ſtudio nimium indulſerit: Ab aduerſarijs verò duritiem ſibi atque aſperitatem obijci: Nec videre ſe, quid faciat aliud, niſi vt miſsionem petat. Cæterùm actionis tempore perplexus erat Melanchthon, & anxius de rei exitu, ſeque die noctuque curis conficiebat: Quin & ſomnijs quibuſdam per quietem exagitatus fuit & territus; quæ, vt multum tribuebat huiuſmodi phãtaſmatis, ipſe diuulgauit. Inter ea videtur & illud fuiſſe, quod Luthero poſtmodum recenſuit in hunc modum: Erat locus quaſi anguſtus, & antiquum quoddam templum. In eo videbam ſedentem Martinum Lutherũ non longè à feneſtrâ: huic oppoſitum erat in mensâ poculum vino plenum. Ionas Pomeranus, & quidam alij Doctores Luthero aſsidebant.

Ab vtriſq; laceſſitur.

Cam. in vita Mel. pag. 198.

In colloq. menſ tom. 1. fag 111. Somnium Melanchthonis.

Vide-

Videbar mihi ingredientem videre Papam Paulum Tertium. Ibi ego Philippus apprehendens Papam dixi: Sanctiſsime Pater, facias pacem in Eccleſiâ. Reſpondet Papa tumultuosè & iracundè: Reclamate, reuocate, & ſtatim erit pax. Inſtabam ego; Domine, neque tempora, neque res poſtulant, vt reuocemus. Reſpondet Papa: libẽter tollerem omnes abuſus. Deinde videbar mihi videre totum ordinem Cardinalium lugubri veſtitu & atro incedentium. Poſtea aderat ingens numerus Lutheranorum vili veſtitu, ſicut in Thuringiâ vidi incedere quoſdam ſacerdotes ruris. Tandem aderat Cardinalis Campegius; is ducebat Papam quaſi ſuſtẽtans. Tunc Cardinalis canticum funebre incepit, quod in vigilijs canitur: Libera me Domine, &c. Illico Lutherani incipiunt lætiſsimum & triumphale canticum: Chriſtus reſurgens à mortuis iam nõ moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Hoc Philippi ſomnium, inquit Colloquiorũ menſa liũ conſarcinator, Martinus Lutherus laudabat, dicens eum habere donum ſomniorum. ANNO 1541.

III. *Bucerus in act. Colloq.*

Verùm miſsis ſomnijs, ad actionem reuertamur; quæ propter Melanchthonis pertinaciam in quibuſdam capitibus acris fuit & vehemens. Diſceptatum principio de Iuſtificatione: Quanquam in iſto capite tandem inuenta eſt inter vtroſque conciliandi ratio. De Eccleſiâ verò, deq; Concilijs generalibus diuturna fuit & acris concertatio, neutris à

ANNO 1541. Articulus de Ecclesia & concilijs manet in controuersia.

sententiâ discedentibus. Lutherani synodos generales & Ecclesiam in dogmatibus errare posse labiq́ue contendebant: Quod Catholici nullo pacto concedendum censuerunt; vt qui contumeliam hanc in Christum ipsum, & in Spiritum S. Ecclesiæ atq; synodorum generalium moderatorẽ redundare dicerent. Itaque res hæsit in isto capite; in quo neruus est, & cardo vertitur omnium controuersiarum. Melanchthon verò cumprimis hic recalcitrauit; Idq́; tanto feruore, vt postmodũ in epistolâ quadam scripserit, sententiam Catholicorum de Synodis & Ecclesiâ; quod nimirum in dogmatibus errare nequeant, ne quidẽ in tauro Phalaridis probandã: Quouis potius suppliciorum genus ferendum insinuans, quam vt causam suam Ecclesiæ vel Concilio generali definiendam submitterent. Ventum deinde ad locum de Sacramento Eucharistiæ; vbi Melanchthoni per Catholicos obiectum fuit, quod decimum articulum Augustanæ Confessionis in posterioribus editionibus fœdè mutauerit & mutilarit; idque in gratiam Sacramentariorum, qui sub nouâ verborum formâ receptaculum inueniant: Accidit hoc plerisque Lutheranis inopinatum, qui fraudem mutatæ confessionis non aduerterant. Verùm res ad oculum, qùod aiunt, à Catholicis demõstrata fuit: nimirum, quod vocem, Adesse, sustulerat, & vltimum articuli membrum remouerat, quo Sacramentarij condẽnantur. Itaq;

Melanchthonis peruersitas. *In ep. Sel. pag. 128.*

Eius mala fides in Cõfessione aperitur. *Selnec. in defig. resp. ad Petzel. pag. 34.*

Locus ab eo in articulo de Eucharistia mutilatus.

cum

cum negare nō posset obiectum falsi crimen, restituere coactus fuit cū rubore, quod furtim abstulerat, & articulum ijsdem verbis formatum reponere, quibus in prima Confessionis editione cōceptus erat. Quanquam ne sic quidem integritati suæ restitutus fuit: Cum enim legeretur in confessu Principum Cōfessio (quod in lingua germanica factum constat) non cum pane & vino; sed sub specie panis & vini verum Christi corpus & sanguinem adesse dicebatur: Quæ confessio mutationem elementorum, vel transsubstantiationem includit. Hanc de Eucharistia concertationem Bucerus in historia colloquij pro sua fraudulentia cautè dissimulauit, ne suam ipsius & Melanchthonis fraudem atque turpitudinem detegeret. Secuta est collatio de pœnitentia, deque absolutione: Vbi quæstio disputata fuit; An peccata mortalia, quę conscientiam grauant, in confessione sint aperienda? Catholici faciendum hoc asseruerunt adductis rationibus: Lutherani pertinaciter & magna contentione negarunt. Melanchthon imprimis Catholicorum sententiam oppugnauit accerrimè, quam Regnum Confessionis appellat. Irritatus fortè fuit obiecto falsi crimine, de quo diximus: Ideoque grauiter excanduit, vt illatam contumeliam vindicaret. Disputatum porro de satisfactione, quæ tertia Pœnitentiæ pars est; de disciplina atque politia Ecclesiastica; de Sanctorum inuocatione,

ANNO 1541.

Melanchthon lege Cornelia de falsis damnatus.

Cū rubore restituit.

De Pœnitentia controuersia. *In ep. Sel. pag. 59.*

De satisfactione, &c

ANNO 1541. *Bucerus in act. f. 88. 92*

de missâ, de communione, de Sacramentorum vsu; de coniugio sacerdotum: Quibus de rebus hæsit controuersia. Absoluto colloquio, quod exeunte Maio factum est, liber Cæsari redditus fuit, notatumq; quæ capita conciliata sint collocutorum studio; quæ verò non potuerint conciliari.

Liber Cæsari cũ notis redditur

Cæsar collaudatâ ipsorum industriâ, quid factum sit, ad Ordines referendum putauit, eorumque sententiam exquirendam. Igitur librum cum additamentis collocutorũ octaua die Iunij Ordinibus offert in consessu, eosq; hortatur, vt perlectis omnibus in medium consulant, quid porro deinceps in hac causâ censeant agendum. Illi, re multum deliberatâ, secũdo Iulij librum cum omnibus, quæ adiuncta erant, restituunt, rogantq; Cæsarem tanquam supremũ Aduocatum & defensorẽ Ecclesiæ, vt Legato Sedis Apostolicæ in consiliũ adhibito, conciliatos articulos diligẽter examinet, an verbis eorum, aut sensu quicquam contineatur, quod cum doctrinâ Sanctorum Patrum, & laudatis Ecclesiæ cõsuetudinibus non conueniat: Deinde Protestantes quoq; permoueat, vt ad reliquos etiã conciliandos articulos animum pacis & tranquillitatis amãtem adferant; vel, si hoc ab ijs non possit impetrari, operam det Cæsar, vt controuersiæ tandẽ per generale, vel germanicæ nationis Conciliũ legitimè dirimantur.

Cæsar Ordines de remedio concordiæ consulit.

Ordinum responsio.

Legatus Pontificis Cõtarenus.

Erat legatus Pontificis ad hæc Comitia Caspar Cõtarenus, S. Apollinaris Presbyter Cardi-

Cardinalis, vir doctiſsimus non modo, ſed ea quoque pietate atque integritate morum præditus, vt nec inuidia ipſa haberet, quod in eo carperet. Hic igitur perlectis omnibus, quæ Cæſari per collocutores erant exhibita, breui ſcripto ſententiam ſuam declarauit in hunc modum: Quia Proteſtantes in quibuſdam dogmatibus à cõſenſu Eccleſiæ Catholicæ diſceſſerint, ad quem paulatim per Dei gratiam reduci poſsint; qua de re nõ deſperandum ait, videri cõſultum ne quid amplius de rebus iſtis nunc definiatur: Sed vt cauſa omnis referatur ad Pontificem, per generale Concilium, aliaue viâ pro rerum & temporum conditione, ſecundum Catholicã veritatem ad eum modum definienda, vti è re totius orbis Chriſtiani, & nobilis huius germanicæ nationis futurũ videbitur. Huic ſcripto paulò poſt ſubiunxit & aliud quoddam ad Ordines, in quo commemorat, quid cum Epiſcopis egerit de negotio reformationis, quam intimis bonorum omnium votis deſiderari non ignorabat.

ANNO 1541.

Ibid p. 142. Eius de libro ſententia.

Ad Concilium controuerſiæ referendæ.

Melanchthon verò, cùm hæc ſcripta legiſſet, rogatus à ſocijs arrepto calamo, ſub nomine concionatorum Auguſtanæ Confeſsionis, breuem apologiam oppoſuit; In quâ ſe præiudicio quodam per Cardinalem grauari quæruntur: Iniuriam ſibi fieri dicũt, quod defectionis accuſentur à dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ, cuius vnanimem conſenſum amplecti ſe tueriq́ue, nec ab eo diſ-

Buc. in act. pag 152. *Sleid. l.* 14.

Apologia Melancht.

ANNO 1541.

cessuros profitẽtur. Illud etiam valdè reprehendunt, quod Episcopos monuerat Contarenus, ne contagium hoc nouorum dogmatum latius per Germaniam serpere paterentur.

Gropp. in resp. ad Buc. fol. 43. b.

Dum hæc aguntur, Electori Brãdeburgico & Episcopo Constantiensi mandatum à Cæsare fuit, vt periculum facerent, an nõ in reliquis etiam articulis aliqua posset inueniri conciliandi ratio? Et hi quidem egerunt eâ de re serio cum Lutheranis, quibus calamitates publicas & ingentia mala proposuerũt, quæ, nisi concordia nunc sanciatur, Germaniæ videantur impendere. His causam daturos ipsos, nisi se toto affectu ad pacis studium adiungant. Hæc illi prolixius; sed surdis cecinerunt fabulam: Neque enim vt voluntati Cæsaris obsequerentur, vllis rationibus induci potuerunt. Tandem post varias deliberationes actio de religione concluſa fuit, fecitque decretum Cæsar de consilio Ordinum, quod in concessu 28. Iul. recitatum est; In quo causa hæc omnis ad Cõcilium Oecumenicum, quod breui sit habendum, vel ad synodum nationis germanicæ, vel certè ad conuentum Imperij nouum reijcitur.

Concordię negotium Brandeburgico demandatur.

Sleid. li. 14. Buc. in act. p. 246.

Controuersiæ ad Cõcilium reiectæ.

Vbi domum redijt Melanchthon à Ratisbonensi colloquio, laborauit nonnihil cùm alijs quibusdam, vt Ioachimus Camerarius, quem inter omnes familiares vnicè diligebat, honestis conditionibus ad Lipsiensem Aca-

Melancht. cogitat Camerarium Lipsiam euocare.

Academiam vocaretur: Quam ob causam ipse Lipsiam profectus est in Augusto: quo nō diu post, Octob mense scilicet, Camerarius Tubinga relicta cum suis commigrauit, Melanchthonis iudicium secutus, qui iampridem eum sibi viciniorem optarat. ANNO 1541.

Interea Henricus Saxoniæ Dux, Georgij frater, qui Camerarium euocarat, è vita decedit, relictis duobus filijs, Mauritio & Augusto: Quorum maior natu Mauritius patri successit, princeps vigesimum secundum ætātis annum ingressus: qui duobus ferè mensibus ante patris obitum Agnetham Philippi Lādgrauij filiā in matrimonium duxerat. Henricus Saxo moritur. Duas proles post se relinquit. *Cam. in vit. Mel. p.* 201.

Sub idem tempus obijt & Philippus Palatinus, Naumburgensis Episcopus; cui Canonici Iulium Pflugium surrogarunt, Cæsaris Pflugij filium, virum nobilem, excellēti ingenio atque eruditione non vulgari prædituṁ; ijs etiam rebus gerēdis exercitatum ab adolescentia, vt prudentia nō vulgari polleret: Quem & Melanchthon propter excellētem doctrinā in amicorum numero habuit. IV. Naumburgens. Episcopi obit⁹. Iuli⁹ Pflug. in eius locum succedit.

Hunc verò tam insignem virum Ioānes Fridericus Elector, Aduocatus Ecclesię Naumburgensis, eam ob causam ferre noluit, quod Catholicæ religioni constanter adhærebat: Ideoque Nicolaum Ambsdorffium, hominem prodigiosè Lutheranum, Iulio repudiato, Namburgēsem Episcopum constituit autoritate sua: Quem cum anno sequente 1542. mense Ianuario à Luthero conse- Eius episcopatum inuadit Ambsdorffius. Ann. 1542. A Luth. cōsecratur,

cratum

ANNO 1542.

cratum in cathedrâ ſolenni ritu collocaret, Melanchthonem quoque præſentem eſſe voluit. Is verò tametſi Iulium magni faciebat, & amabat plurimum, Naumburgum tamen profectus, inaugurationem Ambsdorffij pſeudoepiſcopi præſentia ſua confirmauit; nihil moratus, quod amico veteri legitimè per Capitulum electo, contumeliam cum iniuria coniunctam irrogaret. Imò ad introducendum Lutheraniſmũ in diœceſin hanc, & ad ſcholas conſtituendas conſilium, operamque ſuam contulit. Mauritius verò Saxoniæ Dux, quanquam in Lutheraniſmo educatus erat, vehementer tamen improbauit factum illud, & Iulio, quem legitimè nouerat electum, inſignem ab Electore iniuriam illatam cenſuit. Atque ea res inter principes iſtos, ſimultatis & diſſidij fomitem miniſtrauit; ex quo paucis menſibus poſt, ſub finem quadrageſimæ, cùm & aliæ quædam offenſiones accederent, manifeſtum bellum exarſit. Tum verò Melanchthon, cùm vtrinq; ſubditos ad arma vocari, conſcribiq́ue militem intelligeret, quòd in hebdomada ſancta factum eſt, vehementer perculſus fuit, nihil aliud ſibi quidem expectandum ratus, ſi res ferro tranſigeretur, quam vt confoſſus, vel quoquo pacto trucidatus occumberet. Cæterùm quam ob cauſam panicus hic terror eum inuaſerit, incertum eſt; niſi quod Electori cum cæteris VVittenbergenſibus adhærebat; & in hoc negotio Mauritium

Factũ hoc à Mauritio improbatum.

Simultati inter Saxones occaſionẽ dat.

Melancht. armis principũ percellitur.

Cauſa perculſionis.

acris

ANNO 1541.

acris ac vehementis ingenij principem verbo, facto, consiliove forsan offenderat: Quod in huiusmodi principum dissidijs admodum procliue est; vbi dicta eorum & facta diligẽter obseruantur, qui vel affectu quodam spontaneo, vel alias ob causas alterutri parti adhæresc unt. Vt vt sit, certè si Mauritius superior euaderet, Melanchthon non Electori modo, sed & VVittenbergensibus vehementer metuebat. Quod hæc ipsius verba testantur ad Lutherum: Elector noster statum causæ intelligit. Illi (Mauritiani) volunt "noſtrum principem opprimere, & nos funditus delere conantur.

A Mauritio auersus.

In colloq. mens. lat. To. 2. p. 192.

Dum verò in armis essent principes, & omnia spectare viderentur ad conflictum, passim trepidatum fuit, eratque magna omnium expectatio, quorsum tandem hic motus euaderet. Qua de re Lutherus ad 11. Aprilis in domo Crucigeri, vbi conuiuium erat institutum, præsentibus Theologiæ professoribus colloquium habuit cum Melanchthone, qui de scandalo inter cætera querebatur, quod metuendum ex hac principum cõtrouersia videretur. Rumor, inquit Melãchthon, de hoc motu iam procul dubio Romam delatus est; imò & in Angliam ad aulam Regis. Pontifex hac de re Cæsari gratulabitur: Parisijs in aulâ Regis Franciæ varij ferentur de hoc bello sermones, quod Saxonica domus intestinis principum cognatorũ armis concussa, ruinam minetur. Lutherus ad hæc:

Trepidatio inter Lutheranos.

In coll. mẽs. germ. f. 388. In coll. lat. To. 2. p. 192.

Congressus priuatus Lutheri cum Melanchth. de dissidio principũ & scandalo exinde orituro.

ANNO 1542. hæc: Verum hoc est, inquit, diabolus rē omnem sine dubio Romam nunciauit pridem! » Interim papistæ ridebunt in sinu. Melanchthon, Certum est, inquit: Ecce, dicent hi sunt » euāgelici nostri, huiusmodi fructus ex ipsorū » doctrina proueniūt. Lutherus: Ita sine dubio » loquētur Romæ: Cōficient se mutuis armis, » & ipsi doctrinā suam extirpabunt. Hæc audienda nobis sunt: Auertat malum hoc benignus Dominus. Vos orate: Deus omen auertet. Ego precibus meis occidi Georgiū Saxoniæ Ducem: Eodē modo duos Mauritij ductores, huius fabulæ choragos interficiemus. » Faxit Deus, vt hui⁹ mali auctores, Iudæ proditoris & Achitophelis laqueum mercedis » loco consequantur. Melanchthon: Mauritius » iuuenis est: vix annum ætatis vigesimum primum compleuit: postquam nos doctrinā nostram magnis laboribus & curis asseruimus » contra Papam, eoq; rem adduximus, vt nemo contra nos in aciem prodire ausit, prodit in medium iuuenis iste, & huiusmodi » tragœdiam inter nos orditur, vt quo simus » loco, propemodum ignoremus: Erit nunc » perpetuum odium inter principes istos, nec » alter alteri fidet vnquam: semper in animis » aculeus quidam remanebit. Lutherus: Ita » prorsus est: licet paciscantur, odio tamen » alter alterum prosequetur, diuulsi sunt animis à se mutuo atque distracti. Melanchthon: Non fiet hoc sine magna Ecclesiæ » dissipatione. Lutherus: Erit concussio quædam

dam & vastatio Ecclesiæ; quam Deus tamen conseruabit. Mauritius princeps iuuenis est: non intelligit negotium: Consiliarios sequitur, tanquam rebus suis bene consulentes; cuius eum aliquando pœnitebit. Melanchthon: Est instar fistulæ Mauritius; sonat vti per consiliarios inflatur. Interim difficulter sedabitur motus hic sine sanguine. Ad me quod attinet, iacta est alea: fiat de me, quod placet Domino; siue concisus occumbam, siue confossus: Deo rem commendo. Hæc Melanchthon; & seriò quidem, voce nonnihil concitata. Lutherus: Eia, mi Philippe, res eò non deueniet; Orate tãtum. Melanchthon: Id nemo mihi persuadebit. Nec multum refert, si ego trucidatus occũbam. Tum verò Lutherus excandescẽs, Tace, inquit, Philippe; tu habes malam vocem. Melanchthon: Multi perierunt alij me longè præstantiores, Iudas Machabæus, Iosias &c. Quanquam verò parum abfuit, quin ferro negotium inter principes transigeretur; tamen interuentu Landgrauij Philippi, cuius filiam anno superiore Mauritius in matrimonium duxerat, disidium hoc tandem sopitum est, & ab armis vtrinque discessum. Interim verum fuit Melanchthonis præsagium: Arma principes, non odium deposuerunt. Mansit enim apud vtrunque negotium hoc alta mente repositum, nec radix amarulentiæ potuit ex illorum animis per hanc compositionem euelli:

ANNO 1542.

Disidium per Landgrauium componitur.

Quem-

ANNO 1542. Quemadmodum sequentium annorum historia testatur.

CAPVT XVI.

I. *Defectio à fide Catholica. Herman. Archiep. Colon. Bucerum & Melanchthonem Bonnam euocantis.*

II. *Melanchthonis priuata afflictio ob Sabini mores & ingenium cum furijs Luther. in ICtos.*

III. *Melanchthonis excogitata mollities ad Sacramentarios propendentis.*

IV. *Merseburgensis Episcopatus Georgio Anhaltino Lutherano collatus, ex præscripto Melanchth.*

V. *Comitia Spiræ & Ratisbonæ Melanchthone domi per Elect. detento. mutatio relig. in Palatinatu. captiuitas Ducis Brunsvic. colloquium per Lutheran. Ratisbonæ abruptum.*

I. Archiepisc. Colon. de mutanda religione cogitat. *Meshou lib. de Schism. Herman. de VVeda.*

EODEM ferè tempore, quo Naumburgensis Episcopatus in prædam cesit Lutheranis, Hermannus Colonienſis Archiepiscopus quorūdam impulsu, qui nouis opinionibus erāt imbuti, de religione per diœcesin publicè mutanda cogitare cœpit. Erat Archiepiscopus iste de familia Comitum VVedensium, vir bonus, & benignus admodum; sed paulò simplicior, & doctrinæ præsidijs minus instructus, quam pro conditione temporum isti fastigio conueniret: vnde factum est, vt cum sectarijs aurem præ-

Eius prosapia & simplicitas.

beret,

beret, Bucero cumprimis, homini versutis- ANNO
simo, facilè deciperetur. Cùm verò muta- 1542.
tionis initium facere decreuisset, anno 1542. A Bucero
ineunte Bucerum Argentorato, Melanch- dementatus.
thonem V Vittenberga per litteras euocauit.
Et Bucerus quidem mense Februario cupidè Bucerus
statim aduolauit, prædæ totis faucibus in- Bonnam
hians: Alter vero non perinde promptus e- aduolat.
rat ad suscipiendum hoc iter; idque non v-
nam ob causam, vt in litteris quibusdam ad
Camerarium scriptis insinuat: Multæ sunt, *In epist. ad*
inquit, graues causæ, propter quas hoc præ- *Cam. p. 385*
sertim tempore in eas regiones minus libet *Sur. ad hãc*
proficisci. Sed mihi crede, non inter postre- *an. Cam. in*
mas est, quod non libet audire fabulas περὶ *Vit. Mel.*
πολυπραγμοσύνης τῶν ἡμιδαπῶν, καὶ ὅμοια *p. 203.*
θρυλούμενα; quæ nec refutare ingenuè pos-
sum, nec tamen confiteri decet. Hæc Me-
lanchthon.

Interim vt omninò susciperet profectio-
nem istam, magnoperè suasit, imò & vrsit
Landgrauius Hassiæ Philippus; cuius ar-
dens erat hac in re studium, vt Diœcesis
Colonien sis ab Ecclesiæ Romanæ matris *Ibid. p. 384.*
obedientia complexuque diuelleretur. Me- Melancht.
lanchthon verò causam hanc reiecit ad in proficis-
principis Electoris arbitrium; à quo cùm cendo cũ-
nihil responderetur, ipse tum quidem lu- ctabũdus.
bens V Vittenbergæ remansit. Post vbi Bu-
cero permissum, vt in cathedra Bonnæ fa-
ceret euertendæ religionis initium, Archie- Bonnã de-
piscopus & alios quosdam istius factionis in nuò euo-
catur.

ANNO 1542. *Cam. in vi. Melancht.*

subsidium adiungendos illi censuit. Vocauit itaq; denuò Melanchthonem, & ab Electore per litteras obtinuit, vt eum ad se proficisci pateretur. Id factum an. 1543. quo Melanchthon Aprili mense VVittenberga profectus à Petro quodam Medmanno Zelotâ Lutherano Bonnam vsq; deductus fuit. Ex Hassiâ quoq; Ioannes Pistorius accurrit: Alij aliunde aduolarunt, apostatæ monachi, legirupæ, perduelles Ecclesię, ceu vultures opimã prędam odorati. Melanchthon vbi Bonnam appulit, perbenignè quidem fuit exceptus; At vbi negotium, quod agendum erat, multis ijsq; grauissimis difficultatibus impeditũ vidit, pertæsus rerum, aulicię; consortij, mentis ęgritudinem in Epistola quadam ad amicum liberius effudit. O me flagitiosè stultũ, inquit, qui reclamãte ac dehortante tota philosophia nostra, & toties ictus, tamen aulas sequor. Interim mansit cum reliquis ad tempus, & negotijs vsque ad Augustum interfuit; quæ longè alios habuerunt successus, quam Melanchthon, Bucerus, cæteriq; istius factionis ab initio fuerant opinati.

Pistorius cum eo Bonnam aduenit.

In epist. ad Cam. f. 429

Eius cũ sociis molestiæ.

Laboratum principio fuit, vt communibus operis perficeretur magnum illud volumen, quod Bucerus pridẽ ad Noribergensem formam sub Reformationis titulo consarcinare cœperat. Id Iulio mense tandem absolutum fuit, & per Archiepiscopum Canonicis Metropolitanis transmissum. Erant in librum istum congesti Lutheranorum errores omnes,

In ep. sel. pag. 553.

Reformationem cõsarcinant.

nes, quos delecti quidam à Capitulo paulò post solidè cõfutarunt, oppositò scripto quodam insigni, cui titulum Antididagmatis indiderunt. Iam & ante Bucerus libellum sparserat in vulgus valdè pestilentem & seditiosum, quem Clerus & Vniuersitas Coloniensis ad censuram reuocarũt edito tractatu, cui titulum fecerunt: Iudicium Cleri & Vniuersitatis de libello Buceri: In quo detectis hominis istius fraudibus, impostu ris & turpitudine, Catholicam sententiam in ijs dogmatibus, quæ Bucerus tetigerat, insigniter asseruerunt. Ad hoc scriptũ Melanchthon respon dit, edito libello velut apologetico, quo defendere Bucerum, & obiectum apostasiæ atque incestus crimen diluere conatur. Fuerat enim Bucerus Dominicanæ familiæ monachus, nec ipse solum ex ordine profugerat, sed & virginem Deo dicatam sibi coniunxerat è monasterio profugam, & Lutheri vestigia secutus, apostasiam incestu cumularat. Eam turpitudinem Melanchthon obtentu matrimonij velare nititur. Atque ita scriptis aduersarijs cœptum est publicè dimicari.

ANNO 1542.

A Metropolitanis refutatur.

Buceri liber pestilẽs censuræ subiicitur.

Melancht. pro eo apologia.

Bucerus apostata monachus.

II.

Cam. in vi. Mel p. 205.

Melancht. VVittenbergam reditus.

Melanchthon verò cum negotium hoc ceu vado illisum hærere cerneret, in feruore certaminis subduxit se, & Augusto mense VVittenbergam reuersus est: Vbi magnus fuit applausus studiosorum, qui cum professoribus nonnullis obuiam progressi congratulatione publica redeuntem excepe-

runt comitatique sunt, non secus, ac si de

ANNO 1542.

subacta tam insigni prouincia triumphantem deducerent. A reditu varijs curis & miserijs excruciatus fuit; inter quas illũ & domesticæ quædam afflictiones duriter exercuerunt. Georgius quidam Brandeburgensis, qui posteà Sabini cognomentum assumpsit, à prima ætate VVittenbergæ fuit educatus in studijs, idq; secretò certas ob causas, & quidem in domo Melanchthonis. Erat Georgius excellentis ingenij, & magnũ habebat affectum in studia; quæ feliciter non minus quam ardenter tractabat. Imprimis verò poësi delectabatur; in quo studiorum genere post modum excelluit, inter primos istius seculi poëtas celebratus.

Ibid. f. 222. 223.

Domesticis affligitur molestiis.

Georgii ingeniũ & indoles.

Camer. in vit. Mel. p. 209.

Huic admodum iuueni filiam suam natu maiorem desponderat Melanchthõ; quàm ille ann. 1536. in vxorem duxit. Interim vt ingenio præstabat atq; eruditione non vulgari, ita & paulo sublimiores gerebat spiritus, seq; dignũ putabat, qui iure meritò ad honores, & fortunã lautiorem proueheretur. Qua in re socerum, si vellet, pro autoritate sua multum posse iudicabat: A quo se deseri, nec iustam existimationis suæ rationem haberi suspicabatur. Fastidiebat Sabinus litterarium vitæ genus, velut humile & abiectum, & mente ad altiora ferebatur; scilicet vt in luce hominum versaretur, in Republica vel in aula, & honoribus auctus atque diuitijs omnium oculos in se conuerteret: Quod institutum Melanchthoni vehementer displicebat;

Ei filiam eloeat Melanchthõ.

Ad honores aspirat.

In epist. ad Cam. p. 445

Humaniores litteras fastidit.

cebat; vt qui scholasticus erat, & studia bonarum artium imprimis amabat. Itaque ferre Sabinum non potuit, deque eius inobedientia & cõtumacia subinde querebatur. Quin & ex coniunctione syderum, sub qua natus erat, nescio quid ominabatur, auersionem scilicet à philosophia, honorum cupiditatem, confractionem patrimonij: Cumque mores ipsius, & ingenium, & actiones eodẽ spectare viderentur, Melanchthõ valdè sollicitus fuit, nec alia de genero, nisi siniſtra quæque, in animum admittere potuit. Ex hoc morum, iudicij, & voluntatum discrepantia simultates exortæ sunt, & mutuæ suspiciones; quæ cum altius paulatim insedissent, vt fit, auersionem quandam animorum & disidia pepererunt. Non deerant, qui linguæ flabello & sermonibus parum commodis vtriusque animum accenderent: Vnde non multum abfuit subinde, quin simultas in iurgia & apertas contumelias erumperet. Atque hæc afflictio Melanchthonem ad eum modum exercuit, vt nonnunquam iaceret totus, nec vllas consolationes admitteret.

ANNO 1542. *Colloq. mẽs. lat. Tom. 1. pag. 104.* Eius cõtumacia Melancht. inuisa.

Siniſtra de eo suspicio.

Augetur aliorum prauis sermonibus.

Cæterùm grauius hoc malum incruduit ann. 1544. cum Sabinus ad Scholam Regiomontanam per Albertum Borussiæ ducẽ accerseretur; quam ille conditionem cupidè tãquam votis suis conuenientem amplexus est. Melanchthon, quanquam Sabini consilium improbauit, dissuadere tamen pertinacius

A Brandeburgico ad Scholã Regiomõtanam euocatur.

ANNO 1542. *In epist. ad Cam. p. 467*

vel impedire noluit, quo minus in Borussiã proficiscereturTulit verò dolenter imprimis & acerbè, tanta locorum intercapedine disiungi filiam à se, quam efflictim diligebat, præsertim cum eam in regione longinqua pro mariti morib. & ingenio durius habendam suspicaretur: Quæ cogitatio sollicitum habuit Melanchthonẽ, eumq; vehemẽter afflixit. Nec se potuit continere, quin hãc animi ægritudinem ad amicos nonnunquam effunderet. Accedebãt in discessu Sabini nouæ quædam offensiones de rebus non magni momenti, quibus iniuriæ veteres cumulabantur. Ita Sabinus Melanchthonem socerum, atque hic vicissim illum mirificè velut in orbem exagitauit; eoque deuenit res, vt esset inter eos, quod dicitur, mala mens, malus animus. Nec causa suberat tamen, cur tantopere succenseret viro litterato Melanchthon, quem sibi volens in generum delegerat; nisi quod eum vana syderum obseruatio, curiositas, & quædam fortè morum dissimilitudo, tum variæ suspiciones in hanc perplexitatem coniecerunt: In qua puerilitter se nonnunquam habuit, & affectu superatus fœminarum instar, sibiipsi molestiam creauit.

Eius discessus Melancht. dolorẽ affert.

Causæ offensionis inter generum & socerum.

Sub initium huius anni Lutherus in Iureconsultos quiddam machinatus est, quod Melanchthon vt & alia quædam vehementer improbauit. Ante quinquennium Iureconsultos in concionibus ad populum pro-

Luth. in Iureconsultos furiæ.

caciter exagitarat, quod Ius Pontificium è fauilla incendij Lutherani rediuiuum ad Scholas reduxerant; quemadmodum in vita Lutheri diximus. In eos & hoc anno ineunte denuo vehementer exarsit eandem ob causam. Voluit omnino sacros canones, quos ipse ante vigintiquatuor annos lata sententia velut pro tribunali sedens condemnarat, & publicè flammis iniectos exusserat, è scholis omnibus in perpetuum eliminatos. Qua in re quia non simpliciter obtemperabant Iureconsulti, denuò cœpit eos mordaciter insectari. Et quidem in festo trium Regum irâ furoreque totus æstuans, impotenter in eos stomachatus est ad populum, id genus conuitia plenis faucibus eblaterans, cuiusmodi quædam ex concionibus anno 1539. habitis in ipsius Lutheri vita recensuimus. Hæc intemperies & effrenis maledicendi libido moderatioribus valdè displicuit: Inter quos & Melanchthonem fuisse quædam ipsius litteræ testantur ad Camerarium scriptæ 9. Februarij, paulò post, quam Lutherus in Iureconsultos stomachum iracundia bullientem exonerauit: Quod existimas, inquit, mihi dolorem adferre has asperas conciones κατὰ νομοφιλάκων, non falleris. Quid hæc ad populum? Quam hoc tempore non opportuna? cùm magni motus impendere videantur. Non intelligere nostras ærumnas existimamur, ἢ ἐμπαροινεῖν τοῖς κινδύνοις.

ANNO 1542.

Causæ odii.

In coll. mēs. ger. f. 417. b

In Cōcionibus eos perstringit.

Intemperies Luth. disciplicet Melancht.

In epist. ad Cam. p. 447

ANNO 1542.

Quid, quod in hoc negotio ne cauſæ quidem ſatis eſſe, & iracundiæ ſeruiri putatur; vt ſæpè alias κατὰ τινῶν ἑτέρων. Et paulo infra: πολλάκις δὲ ἔλεξα, φοβεῖσθαι μεγέθας φύσεως δύσης ἄγαν ἐμπαδοῦς, ὥσπερ Ἡρακλέους, ἢ φιλοκτήτου, ἢ Μαρίου ῥωμαϊκοῦ στρατηγοῦ. Hæc græcè de Luthero Melanchthon, & ſubobſcurè quidem de induſtria: Quanquam ſatis innuit, metuiſſe ſe iam pridem, ne Lutheri cruditas, & ad conuitiandum impotentia tandem vbi ſenium acceſſerit, in ſæuitiam exiret, vt Heracleo ſimilis fieret, vel Philocteto, vel Mario Duci Romano: Quod iam euenisse nutu nictuque potius quam apertis verbis indicat.

III. *Cam. in vit. Mel. pag. 213. Melanchr. ob mollitiem exagitatur.*

Hoc eodem anno per aduerſarios Melanchthonis, rigidos inquam Lutheranos, noua tempeſtas in caput ipſius excitata fuit, vel renouata potius calumnia, quam non ſemel annis ſuperioribus intentarant; quod nimirum mollitie ſua, & ad cedendum promptitudine, communi cauſæ multum incommodaret. Quanquam in proximis colloquijs VVormatiæ atque Ratisbonæ, poſteaquam per Caluini conſortium acerbior factus obriguit, ſatis durum ſe præbuit Catholicis, & ſi quid in eos antea forſan habuit benignioris affectus, id deinceps vel depoſuit omnino, vel in Sacramentarios effudit. Iis enim, quin ab hoc tempore votis intimis, & toto affectu ſe coniunxerit, cùm pridem ab anno 1535.

ad eos

ad eos inclinare crederetur, nec Lutherani rigidiores nec Caluinistæ dubitant : Et sunt, qui hoc ipsum suadeant, argumenta non obscura. Atque hæc altera causa fuit, cur nunc zelotarum ista factio Melanchthonem rursus exagitaret. Cum enim Lutherus hoc anno bellum Sacramentarium denuò totis viribus instauraret, quod anno 1536. VVittenbergæ fucatâ compositione sopitũ diximus, prodidit se Melanchthon, & consilium illud sibi displicere non obscuris indicijs manifestum fecit. Siquidem impedire conatus est, quanto studio potuit, ne postrema Lutheri confessio de Cœnâ Domini, quæ velut classicum fuit ad nouam pugnam, typis excusa diuulgaretur. Verùm id frustra fuit: Edidit enim Lutherus scriptum illud, quod in hac causâ velut testamentum esse voluit, aut publicam extremæ voluntatis declarationem, quam & morte suâ postmodum confirmauit. Ita syncretismus ille VVittenbergicus dissolutus fuit, atque omnis deinceps instaurandæ concordiæ spes in perpetuum sublata. Qua de re Melanchthon, cum frustrà Lutherum à bello Sacramentario dehortatus esset, in hunc modum scribit ad Henricum Bullingerum: Fortassis, inquit, priusquam hæ meæ litteræ ad te perferantur, accipies atrocissimum scriptum Lutheri, in quo bellum de Cœnâ Domini instaurat. Nunquam maiore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare Ecclesiarum pacem.

ANNO 1543.

Conatur impedire Lutheri scriptum de Cœnâ Domini.

Dehortatur eum à bello Sacramentariorum. *Lauath. in hist. Sacr. pag. 23. b.* " "

ANNO 1543.

Diffamatur ob sectã Sacramentariorum.

Forschenius in malleo Calu. E. 4. b Selnec. in resp. ad Petzel. pag. 35.

Interim Melanchthon ab æmulis probroso sermone diffamatus fuit, quasi totus adhæreret Sacramentarijs, & eandem cum illis de Eucharistiâ sententiam tueretur; licet id publicè dissimularet. Quâ de re cum ad aulam quoque rumor delatus esset, Elector Princeps Pontanum seniorem VVittenbergam misit anno 1544. qui rem hanc certius exploraret Quod si Sacramentarijs addictus esset Melanchthon, censuit eum Princeps dimittendum potius, quam vt hæresis illa secretis ipsius machinationibus in Academiam irreperet: Hanc se malle testabatur vel minus esse frequentem, vel auditoribus omninò vacuam, quam à Sacramentarijs occupari. Et Melanchthon quidem intellectâ Principis voluntate, alio migrare voluit sponte suâ, priusquam dimitteretur. At Lutherus in consilium adhibitus retinendum putauit Melanchthonem, nec permittendum, vt ex Academiâ discederet: Acturum se cum illo, dixit, effecturumque per Dei gratiam, vt informatus resipiscat. Ita Princeps tum quidem placatus fuit, & Melanchthon Lutheri patrocinio protectus in statione mansit.

A Saxone eius mens requiritur.

Melanchthon fugã cogitat.

A Luthero detinetur.

IV. Merseburg. Episc. obit.

Decessit hoc anno Sigismundus Lindemauius Episcopus Merseburgensis, post cuius obitum Augustus Saxoniæ Dux octodecim annorum adolescens diœcesin occupauit, qui politicâ tantum gubernatione susceptâ, religionis, & rerum Ecclesiasticarum curam omnem in Georgium Anhaltinum rejecit.

fecit. Erat Georgius Præpositus Magdeburgensis Merseburgensis Ecclesiæ Canonicus, Princeps Luthero vehementer addictus; qui priusquã curam Episcopalem à politicâ gubernatione disiũctam susciperet, Lutherum & Melanchthonem in consilium adhibuit. Hi verò, vt subiret functionem istam, non auctores fuerunt modo, sed & restitantem Georgium impulerunt: Qui cum assensisset, anno sequente 1545. sub initium Augusti nouo ritu quodam in Episcopum ordinatus fuit, & consecratus; non eodem certè, quo Lutherus Ambsdorffium Naumburgensibus obtrusum Pseudoepiscopum consecrauit, sed non multum diuerso. Res per Melanchthonem dispositа quidem fuit, sed non peracta. Cùm enim nec ipse sacris initiatus esset, nec vnquam obiuisset functiones Ecclesiasticas, consecrationem hanc exequi non fuit ausus; sed alijs concionatoribus modum præscripsit, quo negotium hoc exequerentur; quem breuiter inserendum duximus. Caput huius diœcesis est Merseburgum, ciuitas in ripâ Salæ fluminis posita. Ad eam vocati sunt Concionatores omnes vicini, vt nouum hunc Episcopum manibus impositis consecrarent. Hi tertio Augusti die conuenerunt in Ecclesiâ, & solenni cum pompâ Georgio præsenti manus imposuerunt: Idque certo ordine, vt alij post alios accederent, donec à primo ad vltimum

ANNO 1544.

Eius Episcopatũ partiuntur Saxo, Augustus & Anhaltinus.

Anno 1544

Anhaltini ordinatio.

Modũ consecrationis præscribit Melanchthon.

Merseburgum ciuitas Episcopalis.

Manus Anhaltino imponunt.

vsque

ANNO 1544. Instrumentum ordinationis. *Cam. in vit. Mel. p. 225.*

vsque verticem consecrandi manum tetigissent. Quâ de re Melãchthon scriptum quoddam confecit, velut Instrumentum ordinationis publicum, quod per concionatores omnes subscriptis nominibus cõfirmatum est. Verba huius documenti, quibus Ordinatio perficitur, hæc ferè sunt.

„ Cum ad ministerium Euangelij Reue-
„ rendissimus & Illustrissimus Princeps, Do-
„ minus Georgius, Princeps in Anhalt, Comes
„ Ascaniæ, & Dominus in Bernburg, Præposi-
„ tus Ecclesiæ Magdeburgensis, ritè & piè vo-
„ catus fuisset ad functionem muneris Eccle-
„ siastici adiuuãdam in Episcopatu Mersebur-
„ gensi, accersiti sunt, vetere primarum Eccle-
„ siarum more, viri docti & graues, qui vicinas
„ Ecclesias gubernant, quorum nomina infra
„ asscripta sunt, vt in ipsâ Ecclesia Mersebur-
„ gensi ad hanc vocationem adderetur publi-
„ cum testimonium ordinationis. Nos igitur
„ (viri docti & graues) conuocati, quia certò
„ sciebamus hunc Illustrissimum Principem
„ Georgium rectè intelligere, & cõstanter am-
„ plecti puram Euangelij doctrinam, quã Ec-
„ clesiæ harum regionum vnâ voce & vno spi-
„ ritu cum Catholicâ Ecclesiâ Dei profiten-
„ tur, & eximiam eius esse virtutem & sancti-
„ tatem, testimoniũ nostrum de eo ritu Apo-
„ stolico impositione manuum declarauimus,
„ & ei ministerium docendi Euangelij, & ad-
„ ministrandi Sacramenta commendauimus.
„ Cumque Paulus Tito præceperit, vt presby-

teros

teros ad docendas & gubernandas Ecclesias passim constitueret, sciat hic ordinatus, voce Apostolicâ sibi præcipi in hac functione, vt sacerdotes ad docendas & regendas Ecclesias ordinet, & eorum doctrinam & mores inspiciat, &c. ANNO 1544.

Georgius ad hunc modum ordinatus Lutheranismum sub nomine reformationis, vt solent isti, in diœcesin inuexit: Quam ad rem consilio Melanchthonis vsus est; à quo nouus hic Episcopus in administratione rei Ecclesiasticæ totus pendebat. Ordinauit inter cætera, vt per singulos annos bini pastorum conuentus haberentur aut synodi; in quibus ipse præsedit vt Episcopus, & latinas orationes habuit, compositas, & submini-stratas à Melãchthone, qui Principem istum, ceu pædagogus moderabatur: Nec orationes tantum synodicas, sed & conciones ad populum habendas illi suppeditauit.

Anhaltinæ reformationem inducit. *Chytr. in Sax. p. 466.*

In ep. ad Cam p. 276 Sleid. lib. 15.

V. Comitia Spiræ.

Fuit anno superiore proximo Conuentus Imperij Spiræ, Cæsaris Ferdinandi Bohemiæ Regis, Electorum omnium, & Principum ferè omnium præsentiâ frequentissimus. Et quidem in Februario factum est actionis initium, quæ tandem ad decimum Iunij finem habuit. Decretum inter cætera, vt Decembri mense denuò cõuentus haberetur, in quo Cæsar tentandam dogmatum cõciliationem inter Catholicos & Protestantes censuit. Elector Saxo domũ reuersus, è Comitijs Melanchthonẽ per litteras admonuit, vt se compara-

Decretum de religione.

ANNO 1544. Melanchthon ad Comitia vocatus.

pararet ad iter. Agendum in Comitijs proximis de religione pacificandâ; quam ad rem operâ ipsius vti decreuerit: Paratus igitur esset, instructusq; rebus ad illam actionem necessarijs, vt vocatus itineri se confestim accingeret. Id factum anno Christi 1544. Interea Comitiorum tempus propter Cæsaris inualetudinem in annum vsque sequentem prorogatũ est. Et principio quidem VVormatiæ dictus dies, vbi propter terrorem ingruentis belli Turcici religionis pacificandæ negotium suspensum fuit, & ad Comitia reiectum, quæ Ratisbonam Cæsar indixit. Ne verò res non agi seriò videretur, VVormatiæ collocutores designauit quatuor ex vtraque parte, duosq; Præsides, quos ad Calend. Decemb. Ratisbonam cõuenire iussit, & initium facere colloquendi, priusquã actio Comitiorum inchoaretur; ad quam Cæsar, Principes & Ordines anno sequente 1546. mense Ianuario præsentes esse iussit. Inter collocutores Lutheranos & Melanchthonem aiunt fuisse designatum, quem Elector ipse pridem huic negotio destinarat, vt diximus. Verum vbi tempus aduenit, vt se daret itineri; mutatum fuit consilium, & Melanchthon domi manere iussus. Causa fuisse videtur, tũ quod per Lutheranos non satis constanter & strenuè rem agere diceretur contra Papistas; tum verò quod affectum suum in Sacramentarios nimium prodiderat. Eâ re grauiter offendit Electorem Principem, qui, Melanchthone repu-

Idem lib. 16

Prorogantur Comitia.

Ratisbonã indicuntur

Collocutores à Cęsare designati.

Melanchthon domi detinetur.

Anno 1545.

Causæ detentionis.

repudiato, Georgium Maiorem è VVittenbergensibus Theologis solùm misit; eum ipsum, à quo postmodum inter Lutheranos Maioristarum hæresis originem duxit & nomen. Mansit itaque domi Melanchthon, & lubens quidē, vti præ se tulit, cum ab id genus actionibus & conciliationibus alienum se diceret. ANNO 1545.

Interim Fridericus Palatinus Elector, qui Ludouico fratri anno 1544. in Martio vitâ functo successerat, Princeps ætate iam prouecta, mutandæ religionis consilium cœpit, deq; instituto suo litteras dedit ad Melanchthonem, cuius nō absentis modo consilium, sed & operam studiumq; præsentis in eo negotio desiderabat. Sed nec illud impetrari potuit ab Electore Saxone, vt Melanchthonē ad Palatinum ire pateretur; nedum vt alio sedem transferret; quod ob multas causas in votis habere videbatur. Tulit hoc Melanchthon eam ob causam molestius, quod operam suam in mutandis ritibus, quam passim alijs præstiterat, Principi suo & patrię negare cogeretur. Quanquam quod præsens in hoc genere nō potuit, per litteras exequi conatus est. Scripsit enim quandam doctrinæ formā, ad quam Palatinus suos ordinatione publica reuocaret: Quin & alios misit, quorum opera & ministerio in rebus ad religionē pertinentibus vteretur. Elector Saxo nō fidebat Melāchthoni: Quę causa fuit, vt eū VVittébergę retineret; vbi multos habebat obseruatores, ocula-

Palatinus mutat religionem. *Cam. in vit. Mel. p. 228.*

Melanchonē euocat, sed frustra.

Melanchthon formulam doctrinæ Palatino trāsmittit.

A Saxone detinetur.

ANNO 1545. oculatos admodum & parum benignos, per quos poterat in officio contineri. Atque hinc querela illa Melanchthonis, quam subinde repetijt; quod velut alligatus ad Caucasum immensis laboribus conficiatur. Scripsit sanè de cõditione suâ ante triennium, anno videlicet 1542. in hunc modum: Conficior, mi Ioachime, laboribus, & seruio penè, vt in antro Cyclopis; dicendum est enim apud te, quod sentio; ac sæpè de fugâ cogito. Querelam istam repetit hoc anno 1545. cum ad Patinum ire prohiberetur: Me, inquit, fatalis aliqua ἀνάγκη, quam toties reprehendo, tanquam Promethea ad Caucasum alligauit: Et tamen hunc soluit Iupiter. Hæc Melanchthon: Quanquam paulò post ad laxandum animum à Luthero solutus fuit, qui partim sponte suâ, partim amicorum rogatu profectus est in patriam, Comites Mansfeldenses inuisurus. Adiunxit verò sibi comitem istius itineris Melanchthonem: Quanquam alieno tempore venit, cum Comites iam essent in armis, & ad castra fœderatorum properarent; qui cõtracto exercitu Henricum Brunsuici Ducem, armatâ manu sua repetentem, oppresserunt. Factum hoc est Octobri mense, Phippo Landgrauio, & Mauritio Saxone bellum nomine fœderatorum administrantibus; qui ducẽ Henricum, cum is resistendo non esset, militibus magnã partẽ dilapsis, vnà cum filio ad 21. Octobr. prope Northemium in potestatem redegerunt. Landgrauius captum

In ep. ad Cam. p. 382

Ibid. p. 530.

Protestantium bellũ in Brunsuicensem.

Eum capiunt.

ptum deditione Principem Zigenhaimum duxit; vbi fuit in vinculis ad bellum vſque Smalcaldicum, quod biennio poſt exarſit. In quo Brunſuicenſis è carcere liberatus, pedem extraxit è compedibus Proteſtantium, quas deinde mirabili rerum viciſsitudine Saxo atque Landgrauius, hoſtes ipſius acerrimi, per Cæſarem ſubacti rurſus induerunt.

ANNO 1545. Capiuntur & ipſi. *Sur. in com. Sleid. Pomar. ad hũc ann.*

Cùm Georgius Maior & Laurentius Zochius Ratisbonam proficiſcerentur ad colloquium, Melanchthon eos officij causâ Lipſiã vſq; comitatus eſt: Ita cõtumeliã ſibi factam ciuiliter diſsimulauit. Maior verò cum ſocio ad 21. Ianuar. anni 1546. Ratisbonã venit; vbi 27. eiuſdem mẽſis die factum eſt collocutionis initium. Diſceptatum aliquandiu de forma colloquij, de Notarijs, alijſque de rebus id genus: de quibus cum aliud Lutherani, quam Cæſar & ipſius nomine præſides conſtitutum vellent, tempus ad quintũ vſq; Februarij diem altercando tranſactum fuit.

Anno 1546 Theologorum Lutheranorũ aduentus Ratisbonam.

Vtriuſque partis congreſſus.

Tandem abruptum eſt colloquium Lutheranorum diſceſſu: quorũ primi Saxones, Maior & Zochius, per Principem auocati; deinde Bucerus, demũ & cæteri diſceſſerunt. Melanchthon, vbi poſtmodum legit ea, quæ Ratisbonæ per Lutheranos diſputata ſunt, quædam improbauit. Fidem, inquit, & ſtudium noſtrorum probo; ſed quædam aut aliter explicare conatus eſſem, aut præterijſſem: quâ de re cum erimus vnà, loquemur. Hæc ad Camerarium quinto nonas Martij.

Abrumpitur diſceſſu Lutheranorum. *In ep. ad Cam. p. 549.*

ANNO 1546.

CAPVT XVIII.

I. *Mors Lutheri, eiusq; coniunctio cum Mel. cũ fœda discipulorum distractione.*

II. *Cæsar Protestantes proscribit & vi in ordinem redigit.*

III. *Calumniæ Flacianorum in Melancht. Comitia Augustæ, & consultatio inter Cath. & Protest.*

IV. *Cæsaris cum Mauritio colloquium de Concordia.*

I. Lutherus moritur. Melancht. consternatio. *Selnec. in hist. Conf. pag. 60. b.*

INTEREA Lutherus 18. Febr. mortuus est Islebij, quo per Comites Mansfeldicos euocatus erat ad dirimendas cõtrouersias, quę de finibus inter eos agitabantur. Melanchthon acceptis de obitu Lutheri litteris vehementer consternatus fuit. Proditum est à Lutheranis, eũ in auditorio publico fusis vbertim lacrymis in hæc verba prorupisse: Occidit, occidit; cecidit auriga & currus Israelis, Reuerendus pater Lutherus. Deus nostri miſereatur. Ad quã vocem magnus horror totum auditorium occupauit. Funus VVittenbergam deductum; atq; id insigni cum pompâ quidem, cuius similem ætas ista non vidit. In sepulturâ Pomeranus germanicam concionem habuit, Melanchthon latinam; quæ vtraque typis cõtinuò diuulgata fuit. Tametsi verò Melanchthon ad Sacramentarios iam defecerat, Lutherum tamen magnis encomijs ornauit; tanquam virum diuinitus missum, vt hanc, quam in mundo videmus, religio-

Eius funebres pro Luth. conciones. *Extant to. 12. VVit pa. 465. & 468*

Qualem cõiunctionem Melanchthon cũ Luthero habuit.

religionis & rituum mutationem induceret. Ita siquidem multis annis vnà vixerunt, vt licet dissentirent in multis, alter tamen alterius errores & vitia dissimularet; ne si glisceens animorum dissidium in publicam distractionem erumperet, ea res causæ, quam agebant, detrimentum afferret. Itaque genij, morum, sententiarum & iudicij discrepantiam, quæ fuit inter eos non exigua, quodam externæ coniunctionis operimento velabant. Quanquam res ad eum modum, celari non potuit, quin Luthero mortuo, discipuli ipsius à Melanchthone, velut secessione facta publicè diuellerentur: Quos & ipse vicissim ceu turbatores Ecclesiæ satis duriter & acerbè fuit insectatus: Quâ de re fortè suo loco plura dicemus. Nec à Melanchthone solum dissidebant isti, sed & inter se deinceps variè sunt tumultuati. Certè Lutherus, dum vixit, vel autoritate suâ, vel austeritate multos compescuit, qui post obitum ipsius Lutheranam gentem, velut truncũ sine capite, in varias factiones miserandum in modum distraxerunt; tantumq; lolij creuit & Zizaniorum ex sparso Lutheri semine, vt miserabilis esset & detestanda Ecclesiæ Lutheranæ facies; quã ex istis quidam in hunc modum describit. ANNO 1546.

Lutheranismus fœde distractus.

Selnec. ibid.

Obitum, inquit, huius prophetæ nostri, & « postremæ ætatis Eliæ, quanta mala subsecuta « sint, nouimus & experti sumus: bella intestina; & bella externa adhuc durantia, motus, simultates, calumniæ, diffidentia, odia «

ANNO 1546.

irrecõciliabilia, diſcordiæ, corruptelæ, portẽta opinionum, imprimis de perſonâ Chriſti, & de Cœnâ Dominicá blaſphemarum, motarũq; à Sacramentarijs Caluinianis: item mutationes, tranſlationes, confuſiones, Epicureiſmus, perfidia, cõtemptus Chriſti, verbi, & fidelium miniſtrorum: plurimorũ etiam apoſtaſia, inconſtantia, leuitas, Truncus ſine capite, infidelitas, ſerpens nutritus in ſinu, ingratitudo. Et quis ſcelera omnia refert in doctrinâ ſaltem, & in ordine docentium? ne dicamus de vita, & alijs ſtatibus, politico & œconomico; vbi verè omnia ſunt hominum tenui pendentia filo, & velut vmbraculum in vinea, & tugurium in cucumerario; & Deus factus eſt actus. Hæc ille: Sed miſsis ijs, ad Melanchthonem reuertamur: Quem non diu poſt germanici belli tempeſtas VVittenberga cum reliquis Profeſſoribus exulem fecit.

Cæſar cogitat armis viſitare Proteſtantes.

II. Cæſar enim, cũ Proteſtantes animaduerteret indies fieri ceruicoſiores, inobedientiá eorum, & quas Catholicis intulerant multiplices iniurias, iuſtis armis vindicare decreuit. Quam rem hoc anno 1546. & initio ſequentis executus eſt, eoſque contracto exercitu armis perdomuit, & diſſoluto fœdere, quo ſe Principes & Ciuitates in ipſis Imperij viſceribus arctiſsimè cõiunxerant, Ioannem Fridericum Electorem, & Philippum Haſsiæ Landgrauium fœderatorũ duces in poteſtatem redegit: Quæ res quomodo geſta ſit, hiſtoria-

Ab eo proſcribuntur.

ſtoriarũ monumẽta teſtantur. Fuerunt initio proſcripti, quos diximus Elector & Lãdgrauius Edicto publico: Quod cum promulgatũ eſſet, Mauritius Saxoniæ Dux mandatu Cæſaris Electoris prouincias inuaſit, & VVittẽbergam imprimis, quæ præcipua ciuitas eſt Electoratus Saxonici, conatus eſt occupare. Erat id temporis Elector in caſtris Proteſtãtium ad Danubium: Et quia longius aberat à ditionibus ſuis, tueri ſubditos aduerſus Mauritium non potuit: cumq; de periculo VVittenbergenſium admonitus eſſet, mandauit Academicis, vt cederent neceſsitati, & ſuſpẽſis lectionibus ad tempus migrarent alio, donec hæc tempeſtas deſæuijſſet. Ita Vniuerſitas omninò diſsipata fuit & Profeſſores fuga dilapſi ſub initium Nouembris alio conceſſerunt. In ea trepidatione Melanchthon collectum gregem ſcholaſticum lõgius abducere cogitabat: Sed cũ egreſsi eſſent oppido, ſeq; viderent ad locum deſtinatum ſine præſenti rerum & vitæ periculo non peruenturos, ſocietas illa conuerſo itinere diſſoluta fuit; & quilibet cõmodo ſuo in tutum ſeceſſit. In hac fuga Melanchthon Serbeſtum venit, quæ ciuitas eſt Principum Anhaltinorũ; vbi cõmoratus eſt, donec Cæſar ex iſtis partibus cum exercitu victore diſceſsit.

Sub initium verò belli, cum Cæſar ad Ingolſtadium in caſtris Proteſtãtium impetum ſuſtinuiſſet, non defuerunt viri Principes, quorum pręcipuus erat Elector Brandeburgicus

ANNO 1546.

Hoc negotiũ Mauritio demandatum.

Saxo Wittenbergenſes de periculo admonet.

In ep. ad Cam. p. 587.

Melanchthon conatur ſcholares abducere.

Melanchthon Serbeſtum fugit. *Cam. in vit. Mel. p. 257.*

Brandeburgici cura in ſopiendo bello.

ANNO 1545.

gicus Ioachimus, qui compositione dirimi bellum cuperent,& Saxonem atq; Landgrauium honestis cõditionibus in Cęsaris gratiã restitui. Quanquam verò hi principio,cũ exercitum adhuc coniunctum haberent, insignem sanè atq; instructissimum,animis odio atq; iracundiâ flagrantibus,actionem de pace simpliciter respuebant;postea tamen,cũ fractus esset primus impetus,& res Protestantiũ inclinare viderentur,ad mitiora cõsilia ventum fuit. Et quidem ad Melanchthonẽ missa fuerunt scripta quædam, in quibus pacis cõditiones ruditer erant delineatę,petitumque vt sentẽtiam suam de ijs exponeret. Respondit ille,ante omnia videri laborandũ,vt Cæsaris animus quoquo pacto mitigetur ; à quo spes sit, Principum quorundam interuentu, ac deprecatione pacem obtineri posse , si debitâ cum reuerentiâ negotium agatur. Futurum interim sine dubio,vt fœderis Smalcaldici dissolutionem vrgeat Cæsar:quam nonnulli forsan impedituri sint ad extremum vsque : Quâ in re difficultas futura videatur. Erat in conditionibus & hoc scriptum inter cætera, vt religionis controuersiæ reijcerentur ad Cõcilium;nec quisquam deinceps aduersariæ partis dogmata condemnaret , ante legitimam causę cognitionem. Id verò caput Melanchthon improbauit , neutros asserens debere,vel omninò posse ad huiusmodi conditionem obligari. Iam & illud in conditionibus habebatur ; Causas politicas à negotio reli-

Negotium componendæ pacis Melanchthoni demandatur.

Melanchthonis responsum.

Suadet Cęsari obtemperandum.

Concilium reijcit.

religionis disiungi oportere: Quod Melãchthon sapienter & rectè positum esse censuit; nec omninò decere, vt ista inter se permisceantur. Protestantes enim multa per Germaniam violenter egerant, & præter iustitiæ formam, Imperijque decreta. Eiecerant è ducatu paterno Henricum Brunsuici Ducem Catholicum, eiusque ditiones occuparant armatâ manu: Imò Ducem ipsum, sua iustis armis repetentem oppressérant, atque etiam nũ in carcere detinebant: Occuparant per vim Episcopatus, Naumburgensem imprimis, Iulio profligato, qui legitimè fuerat ante sexennium electus: Ecclesiastica bona passim inuaserant, & pias maiorum fundationes euerterant: turbarant summum Imperij iudicium, quod Cameram appellant: aliaque admiserant id genus quæ præter iustitiæ normam per vim acta, vel primâ luce rationis appareret.

ANNO 1546.

Protestantiũ iniqua facinora.

In Brunsuicensem.

In Pflugiũ.

In Cameram.

Cæsar igitur tanquam summus in Imperio iustitiæ vindex, ab ijs interpellatus, qui vim patiebantur & iniuriam, cũ omnia prius expertus esset, ex officio tandem ad vindicandam oppressorum iniuriam arma cœpit. Eas igitur actiones & controuersias politicas, quæ ad iustitiam pertinebant, Melanchthon à negotio religionis iusto interuallo separandas iudicauit; quibus compositis nihil dubitandum censuit, quin Cæsaris animus ad clementiam flecteretur. Hæc & id genus alia, tum quidem inter eos disputata sunt, qui

Cęsar iustitiæ vindex.

Vide Ludouic. Auilæ de bello Smalcald.

ANNO 1547.

compositione negotium transigi, quã armis maluissent: Sed ea Protestantium erat acerbitas & pertinacia, id odium in Pontificem, in Cæsarẽ, vt sana consilia non admitterent. Itaque per Cæsarem armata manu coercendi fuerunt, & quoluendum fœdus illud Smalcaldicum, quod ex paruis initijs ortum, multorum accessione paulatim ad eam amplitudinem excreuerat, vt potẽtia Protestantium omnibus formidabilis esse videretur.

Protestantium pertinacia.

Potentia formidabilis.

Anno 1547

Cæsar, vbi Saxonem prælio superatum in potestatẽ redegit, quod anno 1547. 24. Aprilis factum est, victoriam prosecutus, quinta Maij VVittenbergam obsedit, castris in pago Bisteritio positis, qui Vniuersitatis est. Paulò post, 23. Maij ciuitas dedita fuit; in quam Cæsar biduo post ingressus arcem vidit, & munitiones, & torméta. Deinde quinta Iunij Septemviralem dignitatem cum adiuncta ditione, Ioanni Friderico & posteris ablatam Mauritio contulit, Electoris sobrino, qui Cæsari cõtra Protestantes in hoc bello militabat. Huic biduo post Senatus & ciues VVittenbergenses fidelitatis iuramentum præstiterunt. At Ioannes Fridericus, cum ex istis ditionibus captiuus abduceretur, filio dedit in mandatis, vt quia VVittenberga iam in Mauritij potestatem venerat, ipse reliquias colligeret dissipati cœtus Academici, easque Ienam traduceret, quæ Thuringiæ ciuitas est ad Salam fluuium sita; in qua per hanc occasionem prima Aca-

Saxo capitur. *Chyt. in Sax p.* 481.

Wittẽberga Cæsari deditur.

Mauritius fit Elector.

Cam in vit. Mel. p. 266.

Filij Saxonis captiui Academiã Ienam traducunt.

Academiæ fundaméta delineata potius, quã posita fuerunt. Et Ienam quidem nonnulli conuolarunt, per filios captiui principis inuitati ; præsertim ex rigidioribus Lutheri discipulis ij, qui Flacium Illyricum ducem sequebantur ; à quibus VVittenbergenses postmodum procaciter & acerbè sunt exagitati. ANNO 1547.

At Melanchthon, cùm omnia secum expendisset, VVittenbergam redire maluit ad stationem pristinam, quàm vt alibi viueret in eorum consortio, à quibus se multis petitum calumnijs, & petulãter sæpè diuexatum meminerat. Vocatus igitur vnà cum Pomerano, alijsque concionatoribus venit ad conuentum Ordinũ, quem nouus Elector Mauritius, Cæsare cum exercitu digresso, Lipsiæ celebrauit ad decimumquintum Iulij, in quo de religione, deque republica constituenda deliberatum fuit. Suscepit imprimis religionis instaurandæ curam Mauritius, & Melanchthonem, cæterosque per quam humaniter & clementer habuit, nimirum vt ostẽderet reipsa, quod contra Smalcaldicos Lutheranos arma tulerit in bello proximo, id non factum religionis oppugnandæ gratia; sed vt iuramenti memor Cæsari morem gereret, inobedientiam quorũdam principum ex officio vindicanti. Neq; verò religionem tantum, sed Academias etiam VVittenbergensem & Lipsicã instaurandas omninò censuit, quas armorum strepitus & horror, ceu

Melancht. Wittẽbergam redit.

Chyt. in Sax. p. 483. Sleid. li. 10. Lipsiam vocatur ad conuentũ.

Mauritii in eum humanitas.

Mauritius Vniuersitates restaurat.

ANNO 1547.

turbo quidam, miserãdum in modum dissiparat: Cuius rei cura Melanchthoni cumprimis demandata fuit. Hic igitur vbi VVittebergam redijt, cæteri quoq; professores, qui magnam partẽ ad vicinas Marchiæ ciuitates, velut in portum secesserãt, ex latibulis paulatim reuerterunt. Tandem rebus vtcunque constitutis, Octobr. die 24. noui principis auspicijs lectiones resumptæ fuerũt. Et Melanchthon quidem epistol. D. Pauli ad Colossenses initio; paulo post Prouerbia Salomonis enarranda suscepit.

Cam. in vi. Mel p 269.

Lectiones reiumũtur.

III. Calumnia Flacianorum recrudescit.

Cæterùm vix in Vniuersitate docendi factam fuit initium, cùm vetus illa, de qua nó semel iam ante diximus, in Melanchthonem calumnia per aduersarios suscitata recruduit; quæ belli tempore, cùm omnes essent in communi periculo, nonnihil cõquieuerat. Et primum quidem rumusculi de eo subobscuri, post aperti clamores per æmulos sparsi sunt, quibus inconstantiæ passim & proditæ veritatis accusabatur. Id per hanc occasionem factum accepimus. Cæsar, confecto bello Saxonico, mense Septembri, principes & Ordines Augustam vocauit ad Conuentum, in quo postulatum inter cætera fuit, vt in causa religionis principes se Concilij decretis obtemperaturos promitterent. Et Catholici quidem hac in re morem gesserunt Cæsari non grauatim: At Fridericus Palatinus, & Mauritius Saxo Electores, nonnihil tergiuersati sunt: Cum quibus

Sleid. li. 19.

Comitia Ordinum Augustæ.

Luth. tergiuersatio.

bus Cæsar per internuncios humaniter egit & benignè, eosque commodis sermonibus permouit tandem, vt assentirentur: Quâ de re mentem suam ad 24. Octobr. principes isti declararunt, eodem die nimirum, quo Melanchthon cæteriqúe professores in Academiâ VVittenbergensi, collecto auditorum cœtu lectiones sunt auspicati; quemadmodum paulò antè diximus. ANNO 1547.

Factum hoc Lutherani per Saxoniã malignè admodum interpretabãtur, nec secus accipiebant, quam si Mauritius euangelij doctrinam abiecerit, & iugum denuò subierit Romani Pontificis, à quo gloriari solent, se pridem Luthero vindice liberatos. Huic igitur principi, quia se Melanchthon alijque nonnulli, desertis Ioannis Friderici captiui filijs adiungebant, defectionis ab euangelio & proditæ religionis ab æmulis Ienensibus, alijsque factionis istius accusabantur: Idque musitando primum secretisque sermonibus, dum recens erat bellicarum calamitatum memoria: sed paulò post obscuri rumusculi in apertos clamores eruperunt: Egerat negotium hoc Cæsar cum Mauritio priuatim quidem, & secreto; sed impediri non potuit, quin rumor hac de re dimanaret in vulgus; quem auidè confestim exceperũt isti, qui nouum hunc Electorem odio prosequebãtur. Et quia dicere nihil audebant in ipsum

Mauritius arguitur de papismo amplexo.

Flacianorũ in Melãch. amarulentia.

ANNO 1547.

ipsum principem, in professores academicos, aliosque concionatores, qui, relictis Electoris captiui filijs, tergum obuerterant occidenti soli, & orientem venerabantur, odium atque amarulentiam liberius effundebant. Imprimis verò Melanchthonem durius flagellabant præ cæteris; quod cum ipse ceu quidã Elisæus in Eliæ germanici locum surrogatus, hominum opinione familiam duceret, parum vel nihil haberet Lutherani spiritus; imò totus à Lutheri vestigijs in diuersum ire videretur. Ita factum est, vt liuor & odiũ, quod in eum conceperant prorsus implacabile, grauius increscesceret: Quam ad rem non parum attulit momenti iudicium ipsius Melanchthonis de rebus adiaphoris, vel ritibus externis in diuino cultu; de quibus post bellum germanicum inter Lutheranos variè, magnaque cum acerbitate disputatum fuit, sententijs ad eum modum discrepantibus, vt hinc noua distractio nasceretur. Melanchthon enim alijque nonnulli, qui non recusandum asserebant, quin pacis & concordiæ studio Catholicæ ceremoniæ quædam in diuino cultu restituerentur, quas ipsi more suo non necessarias quidem, sed nec impias iudicabant; hi, inquam, à Flacianis, quæ rigidorum Lutheranorum factio est, Adiaphoristæ nominabantur; quos isti recipiendis huiusmodi ritibus negare Christum, & causam euangelicam prodere clamitabant. Atq; hæ disputationes ex Comitijs Augustanis, de quibus

Melancht. duriter increpatur.

Origo nominis Adiaphoristarum.

Flaciani, rigidi Lutherani dicti.

quibus paulò ſuprà diximus, eorumque decreto de religione, originem habuerunt: Qua de re, vt hoc loco quædam inſeramus, inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur. Melanchthonis hiſtoriam ſcribimus, quæ plena non erit, niſi fontem aperiamus earum actionum atque diſputationum, quæ porrò deinceps eum ad mortem vſque duriter exercuerunt. ANNO 1547.

Cùm Tridentina ſynodus editis quibuſdam Canonibus, armorum ſtrepitu turbata eſſet, vel Bononiam potius à Pontifice tranſlata, & res nonnihil extrahenda videretur, Cæſar in Auguſtano Comitio de medijs cogitandum cenſuit, quibus intereà temporis, dum Concilium maturè diſcuteret controuerſias omnes, vtriusque partis animi nonnihil coniungerentur, vt ſcilicet in doctrina religionis, externoque cultu quædam eſſet conformitas, nec alij longiùs ab alijs diſsilirent: Qua de re dum ſollicitè cogitat, principes nonnulli magni nominis, ſcriptum illi quoddam offerunt, accommodatum huic inſtituto; quod ille Theologis quibuſdam cõcordiæ & pacis amãtibus examinandum dedit. Hi fuerunt, Iulius Pflugius Naumburgenſis Epiſcopus, cui Cæſar nuper admodũ Epiſcopalem cathedram, Ambſdorffio deturbato reſtituerat, tum Michaël Sidonius Suffraganeus Moguntinus, & Ioannes Agricola Islebius Electoris Brandeburgici concionator, is ipſe, qui hæreſin Antinomicam (fœdum illud monſtrum) hauſtam è Lutheri ſcrip-

Cæſaris ſtudium in inſtituẽda conformitate religionis.

Sleid. li. 20. Ei ſcriptũ à principib⁹ offertur.

Theologis vtriuſque partis datur examinandum.

ANNO 1547.

scriptis ante decennium produxerat. Neque verò segniter aut perfunctoriè negotium sibi commissum executi sunt; sed accuratè summaque fide. Non enim scriptum hoc modo perlegerunt attentè; & ponderarunt singula; sed & acta perlustrarunt omnium colloquiorum, quæ iussu Cæsaris ad concilianda dogmata superioribus annis Augustæ primum, post VVormatiæ, demum & Ratisbonæ habita fuerunt. Quin & librum illum adhibuerunt, quem Cæsar ann. 1541. Ratisbonæ collocutoribus discutiendum proposuerat, vt suprà diximus. His inter se collatis, cùm omnia diligenter expendissent, respondérunt tandem, Libro hoc, modo sanè intelligatur, nihil contineri Catholicæ fidei contrarium, præter duo quædam; quod in eo scilicet & communio probetur vtriusque speciei, & sacerdotum coniugium.

Eorum industria.

Item iudicium de libro oblato.

IV.

Ann. 1548. Cæsar conatur priuatim Mauritium ad cõcordiam inducere.

Cæsar intellecta Theologorum sententia; Protestantium animos, Mauritij cumprimis, pertentandos censuit, & huic instituto conciliandos, priusquam librum hunc Ordinibus in confessu proponeret; ne si publicè reclamarent, vt superioribus annis non semel factum meminerat, noua quædam inter Ordines distractio nasceretur. Itaque duobus Electoribus, Moguntino & Brandeburgico in mandatis dedit, vt hac de re cum Mauritio priuatim agerent, eumque permouerent quibus possent rationibus, vt assen-

assensu suo librum auctoritate publica promulgandum, vnà cum cæteris Ordinibus approbaret. Id factum mense Martio, anno 1548. in his Comitijs Augustanis, quæ ex anno superiore in hoc vsque tempus, & porro diutius extracta fuerunt. Et principes quidem, quos diximus, mandatum à Cæsare negotium summa cum industria sunt executi. ANNO 1548. *Sleid. li. 21.*

Mauritius verò statim sub initium huius actionis suorũ instinctu protestatus est, causam hanc non ad se solum, sed ad subditos vnà pertinere, quibus fidem dederit, nullam se religionis mutationem inducturum: Quã promissionem & Cæsar ipse sub initium belli, datis ad eos Ratisbonâ litteris confirmarit. Itaque si probet librum hunc, Ordinibus ditionum suarum & Theologis incõsultis, non fidem modo, sed & conscientiam suã in periculo futuram. Respondent principes, Cæsarem, qui fidem summa religione seruare soleat, nihil facturum cõtrà, quam promiserit. Deliberationem de statu rerum publico, non ad subditos principum in Imperio, sed ad Ordines in Comitijs cõgregatos pertinere: Itaq; negotium hoc autoritate Cæsaris atque Ordinum in conuentu publico non priuatis subditorum consultationibus trãsigendum. Imò vt sic fiat, cautũ esse in Comitijs superioribus, decretũq; inter cętera, controuersias in Germania motas de religione vel definiendas per generale aut nationale Con-

Mauritius protestatur de nullitate consensus sui.

Replica Ordinum.

Repetunt decretum superiorũ Comitiorum.

ANNO 1547.

Concilium, vel in Comitijs publicis amica compositione sopiendas. Nec aliud nunc agere Cæsarem, quam vt mutua principum consensione, commodaquędam ratio constituatur peragendi cultus diuini; dogmatumq; tradendorum, donec per Concilium omnia definiantur. In hunc finem conscriptam esse ordinationem hanc, prælegendam ipsi mandatu Cæsaris: Quam cum Brandeburgicus Elector probet, Augustanæ Confessioni addictus, causam non esse, cur Mauritius tergiuersetur. Ille, non recusare se, inquit, quin recitari librum audiat; quanquam honore salvo nequeat simpliciter assentiri, nisi de suorum Ordinum consensu; quibus de non mutanda religione fidem dederit. Lectus est deinde liber in priuato trium principum cõsessu, & varij sermones inter legendum vltro citroque habiti. Huic rei triduum impẽsum fuit. Cœptum est legi Sabbato ante Dominicam quintam in quadragesima, qui decimusseptimus Martij dies erat, & biduo sequente post Dominicam, decimonono scilicet & vigesimo Martij continuata lectio fuit & absoluta. Mauritius verò, cùm audiuisset omnia, repetijt protestationem initio factã, seque negauit assentiri posse, vel probare ordinationem istam, nisi re cum Ordinibus suis & Theologis communicata.

Mauritius in sua protestatione perseuerat.

Liber' concordiæ lectus.

Repetit, adhibendũ consensum Ordinum suorum.

Cæsar verò, cùm in primo statim congressu, Mauritius ceu diuerticulum quærens, ad subditos suos & concionatores prouocaret, excan-

excanduit nonnihil; quãquam princeps erat omnium longè mitissimus. Videbat enim pro sua prudentia hoc agi per Consiliarios Saxonis, quos istius Consilij autores esse nouerat, vt deliberatio de sopiendis controuersijs, à Comitijs ad conciliabula, vel arbitrium concionatorum Lutheranæ factionis auocaretur. Nec ignorabat, præcipuum inter eos, quorum censuræ liber hic per Mauritium subijciendus erat, futurum Melãchthonem; Quem in actione VVormatiensi & Ratisbonensi duriorem, & præ cæteris turbulentum inuenerat, vt suo loco diximus; Imò à quo non ita pridem honorem suum in scripto quodã publico grauiter læsum intellexerat; per quem recordabatur & Duces Smalcaldici fœderis incitatos, vt in se correptis armis insurgerent. Neque verò Cęsar, quam in Melanchthonem his de causis conceperat indignationem ad Ferdinãdum fratrem, aliosque religioni Catholicæ addictos principes dissimulauit.

ANNO 1548.

Cæsar protestationeoffensus.

Eius causa Melancht.

Ferdinandus igitur, ne Mauritius Elector alijq; Lutherani principes grauius offenderentur, si Cæsar illatam sibi contumeliam seuerius in Melanchthone vindicaret, atq; ita negotium, quod sub manibus erat constituendæ religionis impediretur, duos accersit è Mauritij consiliarijs, ijsque exponit, in quo periculo versetur Melanchthõ: quod Cæsar nimirum grauiter illi succensеat; & metuendum, ne velut hostem illum tradi sibi per

Act. Syn. pag 82.

Ferdinandus Mauritium de periculo Melãchth. admonet.

ANNO 1548. *Ibid. f. 86.*

Mauritium postulet: Itaque consultum videri, vt Elector eum ad tempus secedere iubeat ex hominum conspectu, donec Cæsaris iracundia mitigetur. Mauritius vbi hæc intellexit, Melanchthonem confestim per litteras de Cæsaris indignatione facit certiorem, difficilè sibi futurum asserens vt eum contra tam potentem principem tueatur. Mandat igitur, vt cõsulat saluti suæ, & è luce hominum secedat aliquamdiu, donec tempestas illa transierit, & paulò mitior à Cæsare spiret aura.

Melancht. secedit monitu Mauritij.

CAPVT XVIII.

I. *Actio Cæsaris cum Mauritio de Melanchth. grauiter conquerentis.*
II. *Responsio Mauritij pro Melanchth.*
III. *Censura Protest. de libro Augustano. Cath. examen super doctr. Melanch. cum aliquot consultat. de negotio relig.*
IV. *Replica Cæsaris ad tergiuersationem Mauritij. Melancht. scriptum à Flacianis exagitatum. Cæsaris literæ de Melanchth. ex Saxonia deturbando cum responso Mauritij ad Cæs.*

I. Zvviccauiæ conuẽtus Theologorum.

PER id tẽpus Mauritius Theologos quosdam suos Zwiccauiam euocarat, vt quia de religione colloquium putabat instituendum, essent in procinctu, acceptoque mandato Principis protinus euolarent. Hi fuerunt è VVittenbergensibus Melanchthon, Cru-

Cruciger, Maior; è Lipsiẽsibus verò Pfeffingerus: Cumque Melanchthon cum socijs Altenburgum in itinere peruenisset, nuncium accepit de indignatione Cæsaris, eoq; territus, relictis socijs, alio deflexit, ad locum scilicet designatum mandatu principis, in quo periculi vitandi causa delitesceret. Reliqui Zwiccauiam progressi ad 12. Aprilis vsque mandata sui principis expectarunt. Ipse verò Melanchthon in locum secretum abditus, ad mensem & amplius eo delituit; donec Cæsare per Ferdinandum placato è latebris denuo prorepsit. ANNO 1548. *Camer. in Mel. p. 261.*

Interim Cesar, cùm Mauritium intelligeret à duobus Electoribus permoueri nõ potuisse, vt librum à se propositũ approbaret, ipse principẽ ad vigesimum quartum Martij vocauit, & per Seldum Iureconsultum agere cum eo cœpit in hunc ferè modum: Quod Mauritius in deliberatione principũ de statu religionis constituendo seiunctus, à reliquis Ordinibus in diuersum abeat, id sibi mirum, ait, adeoq; præter expectationem accidere. Recordari Cæsarẽ, quid in hoc genere promiserit, nec ipsum scilicet, nec subditos per vim cogendos, vt religionem deserãt, quam hactenus per annos aliquot sint professi; sed controuersias ordinaria via legitimè dirimendas. Verùm huic promisso nequaquam aduersari actionem hanc, institutam eum in modum, vt Comitiorum decreta postulent, quæ diffida, vel per generale Concilium, vel

Actio Cæsaris cum Mauritio.

Occurritur obiectioni.

ANNO 1548.

per Synodū nationis germanicæ, vel in Comitijs mutuâ principum consensione tollenda statuant. Cùm igitur hæc actio iuxta decreta Comitiorum ad coniungendos nexu quodam diſsidētium animos ſuſcepta ſit, nec pugnet cū facta promiſsione, & reliqui principes aſſentiantur, ęquum eſſe, vt & ipſe coniungat ſe cum cæteris, ijsq; lubens in hoc tam pio negotio aſtipuletur: Quod vt faciat, prę-

Hortatur ad vnionē.

ter æquitatē ipſam, & inſignia Cæſaris in ipſum beneficia poſtulare. Mauritius ad hæc,

Mauritius repetit proteſtationem.

Se iam ante, cùm liber legeretur, cauſas expoſuiſſe, cur aſſentiri nequeat, niſi Theologos ſuos & Ordines in conſilium prius adhibuerit. Fidem à ſe datam ſubditis, quòd ad mutandam religionem cogendi non ſint, donec controuerſiæ per generale Cōcilium definiantur; cuius autoritati ſe quidem iam ante ſubmiſerit; vti Cæſar non ignoret. Cùm igitur Ordinibus & ſubditis ad eum modum deuinctus ſit, admodum rogare, vt poteſtatem ſibi faciat Cæſar redeundi domum, deq; hoc negotio cum ſubditis deliberādi. Se quidem paratum in omnibus obtēperare Cæſari, quę citra diuini numinis offenſam & conſcientiæ læſionē præſtare poſsit: Quem eundem affectum & ſubditos habere certo ſciat.

Petit reditum ad permouē dos Ordines ſuos.

Cæſaris replica.

Cæſar contra, propēſam ipſius & ſubditorum voluntatē ſatis ſibi perſpectam eſſe; vt quam reipſa declararint; nec ſe fuiſſe hactenus, aut futurum porrò deinceps obſequij præſtiti, vel promiſſorum ſuorū immemorē.

Iis

ANNO 1548.

Ijs verò non aduersari hãc vnionis formam, omnium Ordinum cõsensione, tam Electorum, quam Principum institutæ; quàm cum cæteri probent omnes, causam non esse, cur solus ipse tergiuersetur. Præbeat igitur assensum, & lubens ad reliquos se principes adiũgat, ne nouæ cuiusdã distractionis autor esse videatur. Cæterùm quod ad subditos spectet vel Ordines ditionum, cũ quibus existimet deliberandum, Esse hoc moris in Imperio, vt quod Principes & Ordines in Comitijs cõmunibus suffragijs decreuerint, id subditis in dubium vocare non liceat. Iam & parum illi futurum honorificum, si hunc in modum ad subditos regrediatur. Neque verò sibi & reliquis Ordinibus vllo modo tolerandũ, vt huiusmodi cõsuetudo inolescat; nimirum vt deliberationes huiusmodi de statu rerũ cõmuni ab Ordinum cõuentu, vel à Comitijs publicis ad priuatos subditorum conuentus auocẽtur: Quod autẽ Theologos suos in cõsilium adhibere velit, eos esse nimirum, per quos ipse pridẽ atrociter lęsus sit, & hostiliter oppugnatus. Imprimis à Philippo Melanchthone grauẽ sibi cõtumeliam illatam. Hunc eundem & principes illos seduxisse, quorum inobedientia bello germanico causam dederit. Nec aliud ab eo expectandũ, quam vt ipsum quoq; Mauritium eodẽ modo decipiat, atq; seducat. Itaq; mãdare se, vt sibi sistãt virum hunc ad dicendam causam, eumq; in potestatem suã tradat. Interim & hoc postulare denuò,

Ad consessum hortatur.

Prætensam eius obiectionem reijcit.

Conqueritur de illata sibi à Melanchthone iniuria.

Mandat eũ sisti sibi ad dicendum causam.

ANNO 1548
Mel. in ep. ad Camer. pag. 592.

denuò, vt se coniungat cum cæteris Ordinibus, nec à quoquam aliud sibi persuaderi patiatur : Se quidem habere principem ipsum excusatum, quod restitarit hactenus; cùm id non ipsius sponte, sed consiliariorum instinctu, culpaq; factum non ignoret, à quibus in hanc viam dirigatur. Quæ res non iniuria sibi vehementer displiceat. Quod si consiliarij non desistant à suggerendis huiusmodi consilijs, ineundam sibi rationem, deque medijs cogitandum, vt in ordinem redigantur. Erat Mauritius viginti quinq; annorum iuuenis; Et quanquam ingenio prudentiaque valebat plurimum; à consiliarijs tamen ferè in solidũ pendebat. Vnde Melanchthon ante quadriennium inter suos de Mauritio loquens, eum fistulæ comparabat sonum reddentis ad illius arbitrium à quo inflatur : Quod Cæsar, princeps longè prudentissimus etiam in hac actione deprehendisse videtur.

Culpam pertinaciæ in consiliarios reiicit.

Mauritius, fistulæ cõparatus.

II. Eius responsio.

Respondet verò Mauritius ad ea, quæ per Seldum erant proposita; Quod omniũ Ordinum consensu decretum fuerit, id à se mutari non posse: Repetit deinde, quæ de promissione subditis facta prius dixerat: Aliam, inquit, in hoc casu, suam esse conditionem, quã cæterorum principum, qui subditis huiusmodi promissionis vinculo non sint obstricti. Non se per consiliarios aut Theologos seduci, sed habere rationem honoris sui: Subditis seruandam esse fidem, quam dederit. Cæterũ Ordinationẽ à Cæsare propositã,

Cõsiliarios excusat.

& pro-

& probatam à cæteris Ordinibus sibi quidē, &,quos secum habeat consiliarijs non omninò displicere. Interim præter quasdam loquendi formulas quatuor in ea capita inueniri, de quibus cū Theologis ditionum suarum omninò sit consultandum. Excusat deinde concionatores,& Melanchthonem imprimis,quem prolixè commendat,seq; dolēter ferre,ait,quod ad hunc modū sit delatus. Virum esse doctum,pium,pacis & tranquillitatis amantem;qui bonos quosdam ritus in Saxonia conseruarit, & multas sectas atque dissensiones pullulantes oppresserit.

ANNO 1548.

Quatuor capita cōtrouersa in ordinatione.

Melancht. cōmendat.

Atq; hanc fuisse causam, cur eum sibi putarit adiungendum : Quam ad rem non parum,ait,attulisse momenti, quod acceperit ab hominibus fide dignis, ipsum Cæsarē hoc egisse, vt Melanchthonem ad se traduceret, eumque de controuersijs differentē audiret. Non igitur existimasse,offensum iri Cæsarē, si virum hunc patrocinio suo fouēdum atq; defendendum susciperet: Quod cum factum sit anno superiore proximo, non futurum ex honore suo, si nunc eum contra datam fidem præsidio suo destituat. Iam verò & antea se per Ferdinandum Regem de concepta Cæsaris indignatione monitū fuisse : Itaq; cōtinuò mandasse suis, vt ea de re Melanchthonem quam possent maturrimè facerent certiorem ; qui iam proculdubio se periculi vitandi causa subduxerit è ditionibus suis,alioque commigrarit. Itaque rogare demisse

Cur eū sub patrocinio foueat.

Mauritius paulisper secedit.

ANNO 1548.

admodum, vt mandatum de tradendo Melanchthone non vrgeat, seq; habeat, quod ad hoc quidem negotium attinet, excusatum.

Ferdinādi ad Mauritium sermo.

His propositis è cœnaculo Mauritius secedit: Cumq; aliquādiu foris præstolatus esset, prodit Ferdinandus Bohemiæ Rex, & Mauritium cōpellans, Cæsarem ait, per se mitigatum, de iracundiâ in Melanchthonem nōnihil remisisse: Consultum videri, ne quā illius porro faciat mētionem, eumq; nihilominus in ditionibus suis retineat. Ad causam ipsam verò quod spectet, recusare ipsum, vel subterfugere nō posse, quin morem gerat Cæsari, & ratum habeat, quod communibus Ordinum suffragijs sit constituēdum. Post varios vltro citroque sermones habitos acquieuit tandem Mauritius, seq; promisit in Ordinū consessu, cùm liber promulgādus esset nō reclamaturum. Hæc acta sunt 24. Mart. tribus ferè septimanis ante, quam liber hic publicatus fuit. Mauritiꝰ verò cū assensum prębuisset, librū, de quo sæpè diximus, communicari sibi petijt, priusquam publicaretur: Quod cum obtinuisset, confestim eum describi iussit, & ad Theologos suos examinandum misit, quos è duabus Academijs VVittēbergensi, & Lipsiensi Zvviccauiam euocatos suprà diximus.

Ad obedientiam monet.

Mauritius acquiescit.

Petit sibi librum cōmunicari.

III. Tradit Theologis examinandum.

Latitabat id tēporis adhuc Melanchthon. Reliqui verò, Cruciger, Maior, & Pfeffingerus, qui Zvviccauiæ morabātur, librum Augustanum honoris causa Melanchthoni primum offerendum censuerunt; qui, cùm non mul-

multum temporis daretur, breuem scripsit censuram, eamq; collegis Zwiccauiam è latibulo transmisit. Adiunxit litteras ad Crucigerum scriptas ipso die Pascatis; quod festum tum quidem in Calendas Apriles incidit. Paucis diebus post, cum librum Augustanum diligẽtius perlustraret, alteram censuram scripsit ad Mauritium ipsum, quam 13. Aprilis nuncio dedit ad collegas perferendam; qui hanc cum prioribus notis & litteris ipsius Melanchthonis ad Crucigerum, quas diximus, Augustam miserunt. Priusquam id fieret, Elector Mauritius datis Augustâ literis Crucigero, Pfeffingero, & Maiori mãdat, vt Zwiccauiâ Cellam profecti, quæ & ipsa Misniæ ciuitas est ad Muldam sita, iustam de libro Augustano deliberationem instituant: Quam ad rem vigesimum Aprilis diem illis constituit. Eodem & Melanchthon per consiliarium quendã è latibulo suo vocatus fuit Electoris iussu, qui sentẽtiam suorum de singulis libri capitibus scripto comprehensam ad se mitti postulauit. Moniti verò sunt delecti cũm Cellam conuenissent, vt animum adferant ad consultationem hanc pacis & publicæ tranquillitatis amantem, & moderata consilia sequantur, ne si æquo duriores sint & rigidiores, despectui habere Cæsarem, & nouam distractionem inter Ordines machinari videantur. Quo futurum sit, vt Electorẽ ipsum, eiusq; ditiones & subditos in præsentissimum discrimen adducant. Illi, re deliberatâ,

ANNO 1548.

Melanchthonis in eundem censuræ. *Vide consil. Theo. to. 2. p. 105. & seq.*

Melanchthon prodit in publicum.

Delecti ad Concordiã monentur.

ANNO 1548. Censura Theologorum.

ratâ, ſcriptum conficiunt, in quo nonnulla reprehendunt, alia generatim tranſmittunt quidem; ſed velut contractis humeris, vt ſolent ij, qui mallent aliud, ſi tutum eſſet: quædam verò recipiunt; cuiuſmodi ſunt, quæ de ritibus quibuſdam externis & ceremonijs in diuino cultu, de feſtis, de ieiunijs publicis, alijſque de rebus id genus hoc libro continentur. Additum erat initio, cum negotium hoc proponeretur, vt ſi delecti hanc vnionis formam improbarent, aliam conſcriberent ipſorum iudicio cõmodiorem. At neutrum ab illis factum eſt: Nec probarunt Cæſaris conſilium, nec aliud ipſi ſuggeſſerunt. Quâ re ne Princeps grauius offenderetur, Melanchthon datis ad conſiliarium quendam litteris, rationem reddit, cur nec concordiæ formam in ſolidum probarint à Cæſare propoſitam, nec aliam ipſi confecerint: Illam aſſerens vera falſis permixta cõtinere. Si quam ipſi verò conſcriberent, dubium non eſſe, quin Cæſar eam & aduerſarij repudient. Has litteras Cellæ ſcriptas 24. Aprilis, vnà cum iudicio delectorum, conſiliarij ſub finem eiuſdem menſis Auguſtam miſerunt ad Principem: Melanchthon verò cum ſocijs Crucigero & Maiore V Vittenbergam, Pfeffingerus Lipſiam reuerſi ſunt.

Eorum tergiuerſatio.

Melanchthon ſe ſuoſq; excuſat.

Catholicorũ Ordinũ in ſua religione conſtantia.

Dum hæc aguntur in Miſniá, Auguſtæ Catholici Principes vtriuſque ordinis, qui religionem hactenus integram cõſeruarant, oblato ſcripto nullam ſe poſſe mutationem

in

in ditionibus suis admittere protestantur: Quam ipsorum constantiam posteà Cæsar publicè collaudauit, vt paulò infrà dicemus. ANNO 1548.

In eodem scripto Episcopi iurisdictionẽ Ecclesiasticam, & bona per vim ablata sibi restitui postularunt. Id cum Mauritius intelligeret, continuò VVittenbergam misit exemplum illius scripti, deque eo Melãchthonis sententiam exquisiuit. Is igitur vix domum reuersus è Misniâ, vigesimonono Aprilis breui scripto eum in modum respondet, vt instar hominis perplexi tumultuetur, nec quicquam definiat tamẽ. Delabitur interim ad potrita illa cõuitia, mendacia, calumnias, Episcopos esse lupos, sacerdotes & monachos idololatras; non cõfirmandam istorum idolomaniam. Dixerant Episcopi inter cætera, Confessionem Augustanam, quemadmodum anno 1530. Cæsari fuit oblata, nunquam in vsu fuisse. Ille, qui se frequenter eam mutasse nouerat, hac obiectione perculsus, simulat non intelligere se, quid hoc loco sibi velint Episcopi: Et à quæstione diuertens, de consensione Saxonicarum Ecclesiarum in Daniam vsque pauidè satis gloriatur.

Melanchthonis perplexitas.

Eius falsa in Catholicos conuitia.

Dissimulat falsi crimẽ.

Eodem tempore Catholici, cum censuram Melanchthonis & cæterorum legissent, breue scriptum opponunt, in quo Censores istos, aiunt, in doctrinâ de iustificatione contradicendi studio peruertere, quæ rectè dicta sint, & sine causâ mouere litem de verbis, quæ sciẽtes in alienum sensum detorqueant,

Catholicorum censura in cẽsuras Melancht.

ANNO 1548.

queant, atq; eam ob causam tumultuari maximè, quod autores libri Cæsarei nouis ipsorum phrasibus & loquendi formulis de iustificatione nõ vtantur. Scriptum hoc Mauritius, vbi copiam eius habere potuit, continuò misit VVittenbergam, Melanchthonis cæterorumque censuræ subijciendum. Hi pagellas aliquot eueſtigio conscribunt, in quibus hoc agunt tantum, vt Principi demonstrent, aliam esse libri Cæsarei, quam Lutheranorum de iustificatione sententiam. Subscripserunt ordine nomina sua, Pomeranus, Cruciger, Maior, Melanchthon.

Eam Mauritius mittit suis Theologis.

Eorum mala fides.

Subscriptio.

Atque hęc quidem in causâ religionis acta sunt, priusquam liber iste, quem diximus, in Senatu Principum lectus fuit & publicatus: Quod ad decimum quintũ Maij tandẽ factum est; idque hunc quidem in modum: Cæsar conuocatis Ordinibus initio de suo in Germaniam affectu, deque summo religionis pacificandæ desiderio protestatus, Catholicos quidem, qui nihil hactenus immutarant, ob constantiam collaudauit, eosq; grauiter monuit & serio, vt deinceps quoque constanter agerent, nec se paterentur à sanctâ maiorum fide dimoueri. Cæteros autem Augustanæ Cõfessioni addictos hortatus est, vt vel Catholicis se denuò coniungerent, vel saltem ad huius libri præscriptum instituerent Ecclesias suas, donec omnes controuersiæ per Concilium legitimè decidantur. Hæc præfatus, librum ipsum integrum in consessu iussit recita-

Cæsaris oratio.

Constantiam Catholicorum laudat.

Lutheranos ad cõcordiam monet.

Librũ Augustanũ recitari iubet

Act. Syn. VVit p 113. b

recitari: Qui cum absolutus esset, Cæsar quidem & Ferdinandus Rex in Sellis remanent: Ordines verò secedunt ad consultandũ, Electores seorsim, Principes itidem seorsim, & legati ciuitatum ab vtrisq; seiuncti; vt habet Imperij consuetudo, cum de rebus à Cæsare propositis deliberandum est. Consultatũ ad horam integrã ferè: Et Mauritius quidem in Electorũ Senatu de subditis consulendis aliquid mouisse dicitur: sed concordibus reliquorũ suffragijs victus acquieuit, protestatus se, quâ mente esset in hac causâ, postridie vel alias ad Cæsarẽ non dissimulaturum. Tandẽ Ordines à deliberatione rursus cõiuncti, de responso Cæsari dando in eandem sententiã coierunt; quam Moguntinus Archiepiscopus omnium nomine declarauit in hunc ferè modum: Ordines pro studio & charitate in patriam Cæsari magnas habere gratias: Et quoniam hoc ipsius curæ atque fidei iam ante cõmiserint, vt de medijs instaurandæ concordiæ per Germaniam cogitaret, æquũ esse, vt gratis animis agnoscant ipsius labores, & lubẽtes recipiant ordinationem propositam, eamque ratam habeant: Quod se facturos polliceantur: Petere verò, vt eam, quemadmodum in Senatu prælecta sit, omnibus describendam communicet. Respondet Cęsar, per Archiducem Ferdinandi filium, placere sibi Electorum Principum, cæterorumque Ordinum declarationem; seque facturum illis describendi copiam. Ita scriptum hoc Ordi-

ANNO 1548.

Ordines ad Consultandum secedunt.

Ordinum ad libellum concors responsio.

Petunt eũ describi.

Replica Cæsaris.

ANNO 1548. Ordinum omnium assensu, nullo reclamante, probatum fuit; Quod ne describentiũ incuriâ vel improbitate vitiari mutariue posset, Cæsar ipsè, velut decretum publicum, latinè germaniceq; typis excudendum censuit, & per omnes Germaniæ prouincias diuulgandum. Quod & continuò factum est sub hoc titulo: Sacræ Cæsareæ Maiestatis declaratio, quomodo in negotio religionis per Imperium vsque ad definitionem Concilij viuendum sit, &c.

Liber Augustanus latinè germaniceque excuditur.

" "

Mauritius rursum protestatur

Mauritius verò triduo post libri publicationem, decimooctauo Maij scilicet, suorum instinctu Cæsarem adijt, & præsente Atrebatensi Episcopo cum Seldo Iureconsulto, per quendam è cõsiliarijs Ludouicum Fachsium pauca præfatus de superiore actione, scriptã illi protestationem obtulit; In quâ breuiter ea repetit, quæ Cæsar hactenus de Concilio, deque constituendâ interim religione secum egerit. Quia verò in confessu proximo intellexerit, ordinationem, quæ publicata sit, non factam, vt vtramque partem, Catholicos & Protestantes ex æquo, sed alterã tantum obligaret; eamq; acceperit à fide dignis, in quibusdam capitibus nonnihil esse mutatã, graue sibi futurum, & ad subditos inexcusabile, si suo suorumque nomine simpliciter assentiatur priusquam scriptum hoc non ipse modo legerit & expenderit, verum & cum subditis de eo consilia sua communicarit: Quâ de re vt mẽtem suam hac protestatione Cæsari declã-

Causę protestationis.

declararet,omninò neceſſarium fuiſſe.Interim operam ſe daturum pollicetur, eaque fide atque induſtriâ negotium hoc acturum apud ſubditos,vt ſe concordiæ,pacis &tranquillitatis amantem , tum ad obedientiam Cæſari præſtandam paratiſsimum,reipsâ teſtatum faciat. ANNO 1548. Repetit ſuorum ordinum cõſenſum.

IV. Replica Cæſaris.

Cæſar habito cum ijs conſilio,qui præſentes erant,per Seldum reſpondet; Quod Princeps ad actionem ſuperiorem regrediatur, iamque promulgato decreto ſeceſsionem faciat à cæteris Ordinibus, id ſibi non iniuriâ valde mirum videri. Verum,vtut ſe habeant iſta, perlecturum ſe ſcriptum, quod obtulerit,ac deinde,quid mentis ſuæ ſit,declaraturum. Poſt dies aliquot,ad vigeſimumquartum Maij Mauritium vocat, & Ferdinando Rege cum Atrebatenſi prẹſente,per Seldum reſpondet in hanc ſententiam : Quod Mauritius hactenus non ſit dimiſſus,cum non ſemel abeundi facultatẽ petierit,id arduis Imperij negotijs tribuendum, quæ præſentiam ipſius poſtularint. Nunc verò poteſtatem illi fieri,vt ad ſuos reuertatur, relictis tamen conſiliarijs,qui, quod reliquum ſit negotiorum,vnà cum cæteris Ordinibus tranſigant. Ad ſcriptũ vero nuper oblatũ quod ſpectet, veheměter mirari Cæſarem, quod ipſe ſolus à cæteris Electoribus, Principibus & ciuitatibus ſeſe diſiũgere moliatur:Hortari denuò ipſum, vt deſiſtat ab huiuſmodi incepto,& in hac causâ cæteris Ordinibus adhæreſcat.

Miratur inconſtantiam Mauritij.

Mauritio reditum ad ſuos concedit.

Ad vnionẽ eum hortatur.

Nec

ANNO 1548.

Nec aliud expectaturum ab ipso Cæsarem, quã vt missâ protestatione subditos permoueat, vt & ipsi ordinationem hanc publico decreto firmatam amplectantur. Mauritius nihil adhæc, nisi quæ prius de subditis consulendis identidem ad elabendum obiecerat: Atque ita dimissus è Comitijs sub initium Iunij mensis domum redijt.

Mauritius superiora repetit.

Priusquam verò conuentus ageret Ordinum suorum in Misniâ, Melanchthonis aliorumque VVittenbergensium sententiam de libro Augustano sibi putauit certius explorandam. Scripserant illi quidem aliquoties Electoris mãdatu censuras & notas: sed quædam intacta præterierant; de rebus etiam nonnullis dubiè locuti erant, & trepidanter; vt in hac causâ parum firmis vestigijs insistere viderentur. Mauritius igitur neglectis illis, quæ hactenus in isto negotio respondérant, firmum quid & solidum de omnibus libri capitibus postulabat; quod Ordinibus in Conuentu proponeret. Atque eum in finem librum vti publicatus erat, statim à reditu VVittẽbergam misit: Quem cum Melanchthon, cæterique denuò perlegissent, nouum quoddam scriptum conficiunt, secreto tamẽ, & sub fide silentij, ad informandum Principem; quod cum decimosexto Iunij absolutum esset, vigesimoseptimo demum eiusdem mẽsis die ad Mauritium transmiserunt. Huius scripti auctor erat Melanchthon: quemadmodum & cæterorum, quæ pridem in hoc gene-

Explorat Melanchthonis sententiam de libro Augustano.

Petit solidum respõsum.

Scriptum Theologorum pro informando Principe.

genere scripta erant mandatu principis, & Augustam transmissa. Cæterùm nihil ferè nouum adferunt in hoc scripto, sed cramben, quod aiunt, recoctam apponunt. Interim non minus timidè agunt, quam pridem in alijs censuris, & vitabundi velut suspenso gradu incedunt, ne scilicet in hanc illamve partem impingant. Doctrinam libri de Iustificatione, de Missâ, quà Sacrificium est, de oblatione pro vita functis, de priuatâ peccatorum confessione, de inuocatione sanctorum, nequaquam recipiendam definiunt. Vbi verò de Ecclesia & episcopis, de Baptismo, de Confirmatione, de Vnctione, de Pœnitentia, de Satisfactione, de Eucharistia, de Matrimonio, de Ceremonijs loquuntur, vel restitant, nec certum figunt vestigium, vel censent non disputandum. Iurisdictio Ecclesiastica quin Episcopis restituatur non abnuunt; sed addunt conditiones; ne vel opprimant veritatem Episcopi, vel ceremonias rursus instituant cum idolomaniâ coniunctas. Ordinatio sacerdotum vt inter Sacramenta numeretur, aiunt sibi non displicere. Interim mordaces passim & virulentos sermones infarciũt in Catholicos more suo. Sub finem nullum se profitentur nouum doctrinæ genus suscepturos, diuersum ab eo, quòd hactenus in ijs regionibus traditum sit, & à duabus Vniuersitatibus, VVittenbergensi scilicet & Lipsiensi publicis scriptis confirmatum. Et quia cum eo doctrinæ ge-

ANNO 1548.

Capita cõtrouersa.

Camer. in vit. Mel. p. 266.

Iurisdictionem cõditionaliter admittunt.

Sermones eorum virulenti.

Ad prius scriptum prouocãt.

ANNO 1548.

nere liber hic in præcipuis capitibus pugnet, imponi sibi necessitatem aiunt alios admonendi, ne falsis eius dogmatibus assentiantur.

Censura per Flaciũ excusa.

Hæc Cẽsura licet in vsum Electoris Mauritij scripta tantum fuit, idque sub fide silentij, vti diximus; venit tamẽ & in aliorum manus; & paucis septimanis post, mense Iulio nimirum, Flacij Illyrici studio, qui tũ VVittenbergæ Hebraicam linguam profitebatur, sub nomine Melanchthonis Magdeburgi typis excusa fuit, & passim per Germaniam diuulgata. Atq; hoc primum aiunt fuisse scriptum, quo liber Imperij publicè fuit sugillatus: Non diu post, Augusto mense scilicet, & aliud quoddam paulò prolixius ex eadem officinâ prodijt, à Melanchthone consarcinatum, cæterisque ipsius socijs, ad conuentum Misenensem euocatis, vt paulò infrà dicemus. Hæc scripta cum passim volitarent per Germaniam, ad Cæsaris quoque manus peruenerunt.

Liber Augustanus à quibusvis sugillatus.

Camer. vb. supr. & seq.

Cæsaris indignatio.

Erat id temporis Cæsar Spirę; cumque videret Tractatus istos, suscitata denuo fuit illius indignatio, quam Ferdinandus Rex, vt diximus, Augustæ commodis sermonibus nonnihil consopiuerat. Eam verò non parum auxit dicacitas Melanchthonis, cuius sermones deferebantur in librum Augustanum vnaque in Cæsarem ipsum acerbiores, qui forsan illi, æstuante stomacho, per incuriam inter familiares exciderunt. His com-

Melãchth. dicacitas.

Cam. p. 275

commotus Cæsar, in eam iracundiam exarsit, vt pridie Calend. Septembris, datis ad Mauritium litteris, Melanchthonem velut hostem suum è Saxoniæ finibus exturbari præciperet: Qua de re Cæsaris ipsius verba subiungo. ANNO 1548. Eum mandat ex finibus Saxoniæ detúrbari.

Facere non possumus, inquit, quin summo cum animi nostri dolore significemus, per homines fide dignos ad nos delatũ, quòd Philippus Melanchthon, à quo pro temporum istorum conditione consideratis ijs, quę iam antè per ipsum admissa fuerunt, non iniuria longè aliud expectandum nobis erat, malignum & virulentum animum pertinaciter retineat, variaque machinetur contra librum Interim, & quæ prætereà nobis intelligit aduersari: Quod nullo pacto nobis tolerandum venit. Itaque serio tibi mandamus hisce litteris, adeoque volumus, ne Philippum, quem diximus, deinceps foueas aut feras in ditionibus tuis, sed ex ijs proscriptum eijcias, tanquam vnum ex præcipuis proximi motus incentoribus, qui contra nos scriptis suis virulentiam & seditionem spirantibus rebellium animos non parum accenderunt, atque in suscepta rebellione confirmarunt. Itaque inter seditiosos eum censemus: Quod illius crimen nondum est apud nos expiatum. Prætereà liber quidam diebus superioribus peruenit ad manus nostras, quem his litteris adiungimus, vnaque significatum est,

ANNO 1548.

eum per Vniuersitates tuas VVittenbergensem & Lipsiacam compositum esse, & in lucem emissum. Quod si ita est, quin id sine scitu consensuque tuo factum sit, nihil dubitamus. Et hoc igitur à te serio postulamus, vt in autores illius, quemadmodum decet, animaduertas. Hæc Cæsar.

Mauritius nutabundus.

Mauritius verò territus nõnihil hoc nuncio, suorumque leuitatem & petulantiam detestatus, qui spargendis huiusmodi scriptis & contumeliosis sermonibus Cæsarem alioqui satis offensum grauius irritarent, hærebat, quid esset ad has litteras respõdendum. Nouerat Melãchthonis temeritatem in hoc genere, & inconsultam dicacitatem, quam ipse non semel expertus erat. Nam sub initium belli germanici quædã in ipsum Mauritium liberius dixisse ferebatur, quod arma caperet contra Protestantes, & Cæsari militaret, vt isti loquuntur, euangelio bellum inferenti, eiusque mandatu Saxonis agnati Principis ditiones hostiliter occuparet: qua de re Camerarius cũ per litteras admonuit. Iam & ante quadriennium, cùm inter Electorem & Mauritium inopinato bellum exardesceret, in hunc Melanchthon parum benignos sermones habuit; vt tum quidem, si penes Mauritium esset victoria, sese in vitæ periculo futurum existimaret; quemadmodum supra diximus. Meminerat ista Mauritius Elector: Et quãquam satis intelligebat, Cæsarem causas habere grauissimas, cur hãc inso-

Melanchthonis temeritas.

Eius de Mauritio varij sermones.

Mauritius eius defensor.

insolentiam in principes & effrenatam linguæ calamique petulantiam coërceri postularet : defendendum tamen quoquopacto Melanchthonem censuit, cauendumque, ne quid durius in ipsum statueretur: Ne, si secus faceret, suas iniurias vindicare videretur, eaque re non subditorum modo, sed & Lutheranorum omnium animos, qui, Flacianis exceptis, ab ipso pendebant, à se penitus auerteret. Et quidem cum omnino Cæsari respõdendum esset, mensem integrum transire passus est, vt iracundiæ vehementiores illi motus in animo Cæsaris intereà residerent. ANNO 1548.

Tandem vltimo Octobris datis ad Cæsarem litteris, Quæ de Melanchthone scripserit, ea se non sine summo animi sui mœrore legisse dicit. Concepta pridem esse pacificationis capita inter Cæsarem & Saxoniæ Ducem captiuum, qua ministri principis illius omnes, & subditi sint vnà comprehensi, quorum non sit expressis nominibus facta mẽtio. Melanchthonis verò nomen in illa pacificatione scriptum non inueniri. Itaq; se quidem eum inter reconciliatos censuisse. Neq; verò sibi de viro hoc aliud constare, quam quod in actionibus omnibus, quæ quidem ad Cęsaream ipsius Maiestatem spectent, nõ modo pacis & concordiæ studiosus fuerit, sed & alios cohortatus sit ad moderata consilia, & alioquin multum boni fecerit. Quod si virum hunc è ditionibus suis eijciat, facilè videre Cæsarem, quo in odio non apud subRespondet Cæsari.

Melanchthonem excusat.

ANNO 1548.

ditos tantum, sed & apud exteros eam ob causam sit futurus. Rogare igitur, quam possit humillimè, vt deponat conceptam indignationem, nec inclementer ferat, si Melanchthonem ipse tãtisper in ditionibus suis remanere patiatur, dum eum honoris diuini concordiæque promouendæ cupidum, & Cæsarei nominis obseruantem deprehendat. De libro vero, quem à VVittenbergensibus & Lipsiensibus diuulgatum Cæsar existimet, scripsisse se antehac ad Ferdinandum Regem, qui proculdubio de rei veritate Cæsarem informarit. Cæsar accepto responso negotium hoc velut suspensum reliquit, donec intelligeret, quid de libro Augustano Mauritius re cum suis communicata, responsurus esset. Ea enim conditione dimissus erat à Cæsare, vt ordinationem istam de statu religionis in Comitijs promulgatam, insinuaret Ordinibus ditionum suarum, eosque quibus posset argumentis, ad assentiendum permoueret. Atque hinc natæ sunt istæ tam frequentes consultationes, quas Theologorum præsentia vehementer impeditas reddidit. De quibus nobis deinceps nonnihil dicendum erit propter Melanchthonem, qui non interfuit tantum omnibus istis conuentibus; sed & consilia Theologorum moderatus est, ad quorum iudicium in hac causa politici semper prouocarunt.

Rogat Cæsarẽ vt clementior sit in Melãchthonem.

Consultationes variæ Lutheranorum.

CAPVT

CAPVT XVIII.

ANNO 1548.

I. *Conuentus Lutheran. Miſenæ.*
II. *Conſultatio de libro Auguſtano inter Elect. Sax. Maurit. Ord. & Theolog.*
III. *Alius Pegauiæ conuentus, & collatio Cathol. & Proteſt. de relig.*
IV. *Conuentus Torgæ & Cellæ habiti ob librum Auguſtanum.*

I. Conuent^s Theologorum Miſenæ.

IGITVR Mauritius cum ſcriptam à Melanchthone conſultationem accepiſſet, de qua ſuprà diximus, continuò Miſenam delectos Ordinum conuenire iuſsit, de libro Interim, deque reſponſo Cæſari dando cum illis deliberaturus. Cæterùm non omnes promiſcuè, ſed præcipuos tantum ex Ordinum Senatu cenſuit in conſilium adhibendos; vt paucorum expeditior eſſet deliberatio, ne Cæſaris expectationem eludere longiore morâ videretur. Quia verò de doctrina religionis, deq; ritibus eccleſiaſticis conſultandum erat, Theologos quoque primi nominis ad eundem cõuentum euocare placuit: Nec enim dubitauit, quin ad horum iudicium omnis hæc eſſet conſultatio referẽda. Venerunt igitur per litteras acciti Georgius princeps Anhaltinus, Magdeburgenſis præpoſitus, Melanchthon, Cruciger, Maior, VVittenbergenſes; tum Pfeffingerus Superintendens & paſtor Lipſienſis, Ioannes Forſterus, concionator Eccleſiæ Cathedralis

Acta Syno. Luth. n. 4. & ſeq. Camer. in Vita Mel. p. 293.

Theologorum Lutheranorum anteſignani.

ANNO 1548.

Merſeburgenſis, & Daniel Greſerus Superintendens Dreſdenſis: Qui ſeparatim à politicis ſenatum quendam eccleſiaſticum in his actionibus conſtituerunt. Cęterùm, quia varius de hoc conuentu rumor ſpargebatur per zelotas quoſdam Flacianos, quaſi papatus, vt loquuntur iſti, mandatu Cæſaris reſtituẽdus eſſet; multi iſtúc conuolarunt explorãdi gratia, quid rerum ageretur: quorum tantus erat numerus, vt ijs recipiendis diuerſoria vix ſufficerent.

Varius de hoc conuentu rumor.

Cùm delecti conueniſſent, Mauritius ſecundo die Iulij facit actionis initium. Principio reuocat illis in memoriam, quę pridem in cauſa religionis cum illis egerit; tum quid promiſerit in eo negotio Cæſar, quem hoc curaturum ait, vt iuxta Comitiorum decreta controuerſiæ religionis omnes per generale Concilium legitimè decidantur. Quia verò tardior ſit concilij progreſſus, Cæſarem Ordinibus propoſuiſſe conſultationem quandam vel Ordinationem iuxta quam interim conſtituenda ſit in Proteſtantium ditionibus religio, diuinuſque cultus peragendus, dum per Concilium omnia definiantur. Hãc Ordinationem quia cæteri Electores & principes Auguſtanæ Confeſsionis propemodum omnes receperint, Cæſarẽ hoc multis egiſſe ſecum, & vrgenter quidem, vt eandem & ipſe cum ſuis amplecteretur. Cum verò ſe diceret propter datam ſubditis fidem ſimpliciter aſſentiri non poſſe, poſt diuturnam actionem

Mauritius ſermonem inchoat.

Repetita acta Conuentus Cęſarei.

nem mandatum sibi fuisse tandem à Cæsare, vt hac de re cum subditis diligenter ageret, vnaque cum ipsis in recipienda hac ordinatione publica, reliquorum Ordinum instar obedientiam præstare non recusaret. Hunc igitur in finem eos esse conuocatos, qui præcipui sint & seniores in Ordinum senatu, vt diligenter euoluant Ordinationem hanc, & quid super ea Cæsari respõdendum sit, communicatis inter se consilijs definiant: Qua in re ad eum modum agant, vt se concordiæ, pacis ac publicæ tranquillitatis amantes reipsa declarent. ANNO 1548.

Causa cõuentus indicti.

II. Librum Augustanũ proponit.

Hæc vbi de scripto recitata sunt, liber Augustanus vnà propositus fuit; quem delecti statim communibus suffragijs Synedrio Theologorum offerendum censuerunt; vt hi scilicet, quid in eo probandum sit, quid improbandum, scripto declararent: Quod & factum est continuò; verum ita, vt operas inter se diuiderent, & cuilibet designarentur certa quædam capita de quibus censurã scriberet. Melanchthon dogmata sumpsit examinanda, quæ maioris sunt momenti; putà caput de Iustificatione, de bonis operibus, aliaque id genus, in quibus iam decretum habebant ab Augustana Confessione non discedendum. Alij alias libri partes examinarunt: Cumque singuli sua conferrent in medium, ex varijs lacinijs consarcinatum est scriptũ paulo prolixius illo, quod mẽse proximo per Melanchthonem nomine VVittẽ-

Singulæ eius partes à singulis examinantur.

ANNO 1548.

bergensium in vsum Mauritij cõfectum diximus: licet posterius hoc ab illo priore, quod ad sententiam quidem attinet, parum aut nihil omnino discreparet: nisi quod in hoc altero largior erat vberiorq; verborum affluentia.

Flaciani ex insidijs omnia explorant & publicant.

Cæterum erant Misenæ Flaciani quidam, hostes Melanchthonis acerbissimi, qui velut ex insidijs obseruabant omnia, quæ gerebantur. Horum nonnulli scriptum hoc incertum quo artificio consecuti, Magdeburgum miserunt, qui tum Flacianorum nidus erat præcipuus; vbi hoc ipsum vix vno mense post, quam conuentus hic solutus est, autoribus inscijs typis fuit expressum & sparsum in vulgus. Quâ in re non admodum bonâ fide per Flacianos actum VVittenbergenses Adiaphoristæ quiritantur. Deprehensum enim fuit, eos omisisse nonnulla; quædam etiam inseruisse aliena; scripta quidem ab ijsdem Theologis, sed in alium finem; quin & nonnulla malitiosè in alienum sensum detorsisse; nimirum vt Melanchthoni cæterisque, qui huic consultationi interfuerunt, odium inuidiamq; conciliarent.

Act. Syn. p. 152. b.

Atque hic est liber ille, nisi me fallit coniectura, quem Cæsar litteris suis adiunctum Mauritio transmisit, vti iam ante diximus: qui sopitam nonnihil ipsius iracundiam in Melanchthonem denuo suscitauit. Et quidem placuit Ordinibus censura synedrij; seque profesi sunt ab eo doctrinæ genere

In pristina cẽsura collocutores perseuerãt.

non

non discessuros. Sed quid Cæsari respondendum esset, aut quomodo placandus ipsius animus, cum librum hunc non interpolandum censuris, sed assensu probandum dederit, id verò difficile fuit expedire. Placuit post multam deliberationem, vt Melanchthon cæteriqúe, qui præsentes erant, breuem conscriberent vniuersæ doctrinæ summam, quæ in regionibus istis sub Electore Mauritio traderetur; idque iuxta seriem capitum, quæ libro Augustano per ordinem explicantur. Hoc verò scriptum non Mauritius Elector, sed Ordines & Concionatores istarum ditionum nominibus prius subscriptis responsionis loco Cæsari transmitterent: Quem facilè dicebant perspecturum, si hanc doctrinæ summã cum Augustano libro conferat, quid in eo probandum censeant, quid improbandum. Fuit hoc Ordinum consilium, quod Concionatores non improbabant illi quidem; verum ad subscriptionem quod attinet, pro parte suâ tergiuersabantur. Ordines vero in sententiâ persistebant, vrgebantque propositum scilicet, vt sine morâ breuis huiusmodi religionis confessio scriberetur. Itaque Melanchthoni suo suorumque nomine denuo scriptitandum fuit: Et cœpit ille quidem magno conatu; sed cum præfationem opusculi, tum locum de iustificatione, deq; bonis operibus vix absoluisset, quidam è Synedrio aliud consilium suggesserunt, scilicet nec

ANNO 1548.

Dubitatur de responso Cæsari dando.

Breuiculũ doctrinæ cõscribunt offerendũ.

Alia opinio Lutheranorum de libello supplice.

ANNO 1548.

nec disputandũ cum Cæsare, nec Augustano libro summam Lutheranæ fidei, quam diximus, opponendam, sed oblato tantum libello supplice, quam humiliter rogandum Cæsarem, ne subditos istarum ditionum ad dogmatum rituumque mutationem compellat. Itaque libellum supplicem conscribunt offerendum Cęsari, quem ad delectos Ordinũ mittunt, vnà cum breui scripto quodam, in quo nouum hoc consilium proponunt, adiectis rationibus, quibus moti in hanc sententiam descenderint. Ordines verò cum rationes huius instituti maturius expẽdissent, hæsitarunt: Quo factum est, vt & hoc cõsilium in spongiam, quod aiunt, incumberet. Itaq; tertium quiddam in mentem venit, quod vtrique demum, Ordines, inquam, & concionatores probarunt: Rogandum scilicet Electorem Principem, vt is ceu medius interueniat, & datis ad Cæsarem litteris hoc ipsum petat Ordinum nomine, quod libello supplice continebatur. Hac de re mentem suam scripto tandem declarant, cui rationes inserunt, quibus existimant ab Electore permoueri posse Cæsarem, ne ad recipiẽdam, quam Augustæ promulgatam diximus, ordinationem vrgeantur.

Tertia opinio præualet.

Mauritius perlecto scripto respondet, nihil ab ijs nunc in medium adferri, quod non pridem in Comitijs Augustanis prẽsens mouerit; idque frequenter eumque in modum, vt maiore fide atque industria causam hanc agere

Mauritij responsio.

agere nemo posit: nec obtinuisse tamẽ quicquam apud Cæsarem, qui consensum vrgeat cum reliquis Ordinibus, per quos liber ille sit in Comitijs approbatus. Itaque frustra futurum, si speret absentem se per litteras impetrare posse, quod præsens cum esset, summoque studio frequenter niteretur, nequiuerit tamen obtinere. Deliberandum igitur amplius, dispiciendumque, an non sine detrimento religionis in gratiã Cæsaris paulo plus in rebus quibusdam largiri possint atque concedere, quam concedendum hactenus iudicarint. Adhæc Ordines, Quia pauciores essent numero, nec reliquos, si quid ipsi nunc definiant, in potestate sua futuros, suspendendum hoc negotium censuerunt. Atque ita Conuentus iste post octidui actionem ad decimum Iulij re prorsus infecta solutus fuit; Quod cum ex rumore publico per Germaniam innotuisset, Ferdinandus Rex & Archiepiscopus Moguntinus, alijque nonnulli Protestantium, per litteras Mauritium serio cohortati sunt, vt Cæsari tandem morem gereret. Quin & de periculis eum monuerunt, quæ si pertinacius recusset, metuenda videantur. Vrgebat & Cæsar ipse responsum, datis ad Mauritium litteris; quibus & hoc illi mandabatur, vt iurisdictionem ecclesiasticam vicinis Episcopis restitueret.

ANNO 1548.

Petit vt magis concordiæ studio concedatur.

Replica Ordinum.

Soluitur conuẽtus.

Mauritius a Cæsare monetur ad concordiam.

In hoc ancipiti rerum statu Mauritius cõuentum omnium Ordinum indicere decreuit: III.

ANNO 1548

Acta Syn. p. 191. l. 14.

Conuentū indicit Pegauiam Episcopis & Theologis suis.

uit: quod priusquam faceret, tentandum putauit; an vicinis Episcopis Misenensi & Naumburgico satisfacere poss[it], & per eosdem viam sibi sternere ad placandum Cæsarem. Locum igitur Conuentui designat, oppidum Misniæ, quod Pegauiam vocant, rogatq; duos episcopos, quos diximus, vt istuc veniant ad vigesimum tertium Augusti; Esse quædam magni momenti negotia, de quibus in colloquium per legatos cũ illis venire cupiat. Eodem è Theologis suis Georgium Anhaltinum, Melanchthonem, & Crucigerum; è nobilium ordine quatuor primi nominis, & Iureconsultum quendam cum mandatis ablegauit. Verum quia Cruciger ægrotabat, Anhaltinus eius loco Forsterum assumpsit: Melanchthon vero Paulum Eberum VVittenbergâ secum adduxit. Hunc verò conuentum sine magno strepitu, quam fieri posset secreto Elector haberi voluit, sannas, & ludibria, clamoresq; publicos Flacianorum metuens, si palam cum Episcopis pontificijs per legatos congrederetur.

Legatorũ politicorũ postulatũ de articulis.

Actum fuit ad triduum de libro Augustano: Anhaltinus initio solus cum Episcopo Naumburgensi cõtulit, sed sine fructu. Post legati politici declarationem postularunt ab adiunctis sibi Theologis; nimirum quæ capita cessionem aliquam admitterent aut moderationem, quæ verò minimè.

Responsio Melancht.

Responsum est per schedam, quam Melanchthon scripsit, quatuor esse doctrinæ capita, in quib. discedere

dere à ſententiâ nullo modo poſsint: De Iuſtificatione & bonis operibus; de pœnitẽtiâ, eiusq; partib. de Miſsâ & Canone; de Sanctorum inuocatione. Nec temperare ſibi potuit Melanchthon in ſcripto quãtumuis breui, quin petulantiæ laxaret frenos; dũ ſtatim in limine conſecrationem olei atq; chriſmatis, & deportationẽ ſanctæ Euchariſtiæ craſſam vocat atq; ethnicam Idololatriam: Qui ſacrum Canonem, vel ſacrificium nouæ legis tueri inſtituant, eos exercere ludum, inquit, non abſimilem illi, quo Iudæi Chriſto velabant oculos, ac deinde quærebant: Quis eſt, qui te percuſsit? Atque hoc vnius folij ſchediaſma ſpurciſsimis & ſathanicis mendacijs conſpurcatũ nobilibus legatis porrectũ fuit. Cæterum cum peterent ab ijſdẽ legatis Epiſcopi, vt breuiter ea deſignarent in chartam, quæ in Auguſtano libro deſideranda viderẽtur, ſchedam quandam vnius folliculi latinè ſcriptã obtulerunt. Melanchthon verò quędã de iuſtificatione, deq; bonis operibus cõmentatus eſt; de quibus poſtmodũ inter Epiſcopos & ipſum Melanchthonẽ, aliosq; inſtituta fuit collocutio: In quâ Lutherani per Epiſcopos eò rationibus quibuſdam adducti fuerunt adactiq;, vt formã loquendi Catholicã, quæ virtutes & opera bona iuſtitiam aſſerit in fidelibus appellari, ſcripto ſuo inſeri paterentur: Quod cũ factum eſſet, hunc quidem articulum Epiſcopi velut conciliatũ in confeſſu probauerunt, eandem aſſerentes eſſe libri Auguſtani ſententiam. Tum

ANNO 1548.

Capita irreuocabilia.

Melanchthonis in ſermone temeritas.

Cenſura eiuſdem.

Theologi conuincuntur in articulo de bonis operibus.

ANNO 1548.

Leuitas Melanchthonis.

Tum vero Melanchthon ceu palinodiam canens publicè resilijt, aliam esse suam, & huius scripti, quam Augustani libri sententiam protestatus: Quæ leuitas ipsius in causâ fuit, vt hæc actio penitus abrumperetur. Neque enim Episcopi tutum arbitrabantur cum ijs agere, qui quod concederent pridie, idipsum desultoriâ leuitate præcipites postridie reuocarent. Accedebat, quod librum, Interim, in Comitijs publicis omnium Ordinum suffragijs probatum receptumque, & Cæsaris autoritate publicatum dicerent. Itaque non esse positum, aiebant, in potestate suâ, vt quicquam illi demant addantue, vel vllam in eo mutationem instituant. Nec eum in finem ad hoc colloquium se venisse; verum id spectasse tantum, vel inprimis certè, vt in hac collatione ad promouendã concordiam vtrique declararent mentem suam, ne verba scilicet huius aut illius partis in alium sensum ab aduersarijs traherentur, quam cuiusque sententia postularet. Igitur actione per Melanchthonis incõstantiam abruptâ, quod ad vigesimum quintum Augusti diem factum est, nec constitui potuit aut definiri in hoc paucorum conuentu, quid de libro Augustano Cæsari tandem esset respondendũ. Suggerebant quidem episcopi, priusquam discessum fuit, vt Cęsarem Mauritius admoneret de impetrando Pontificis indultu, quo potestas Episcopis concederetur ordinandi sacerdotes coniugatos, qui laicis vtramque

Episcoporum firmitas in libro Augustano retinendo.

Colloquiũ per Melanchthonem abrumpitur.

Sacra-

Sacramenti ſpeciem porrigerent: Deinde, vt faceret in his regionibus aliquod reformationis initium, & ſecundum formam ordinationis per Cæſarem promulgatæ, quãtum quidem eius fieri poſſet, Eccleſias in ditionibus ſuis conſtitueret. Verùm id conſilij repudiatum omnino fuit, velut alienum ab inſtituto Mauritij, qui hoc vnum agebat ſummo ſtudio, vt nec offenderet Cæſarem, ſi nihil concederet; nec ſi nimium multa largiretur, ſubditos à ſe prorſus alienaret. Mediam igitur viam quæſiuit, quam in hoc genere difficillimum fuit inuenire.

ANNO 1548.

Epiſcoporum conſilium.

A proteſtãtibus repudiatur.

Soluto Pegauienſi Conuentu, qui paucorum fuit, vti diximus, Mauritius neceſsitatẽ ſibi vidit impoſitam omnes Ordines cõuocandi; quemadmodum in fine Miſenenſis cõuentus à delectis Ordinum poſtulatum fuerat. Datis igitur de more litteris omnes Ordines ad decimumoctauũ Octob. diem Torgam cõuenire iubet. Theologos verò præter Georgium Anhaltinum eoſdẽ iſtuc euocat, qui Miſenæ ſuperiori tempore fuerant in cõſiliũ adhibiti, Crucigero tamen excepto, quẽ grauis ægritudo domi detinuit; ex quâ paulò poſt trigeſimo Octobris diem ſuũ obijt. Reliqui, vti & nobilitas omnis, ad conſtitutum diẽ Torgæ præſentes fuerunt. Elector, quæ de libro Auguſtano, deq; mandato Cæſaris menſe Iunio ſub initiũ actionis in conuentu Miſenenſi propoſuerat, eadem planè repetit, & quid reſpondendum cenſeant ad poſtulata

IV.

Mauritius indicit Ordinum conuentũ Torgam.

Acta Synodica Pp. 4. & ſeq.

Repetit acta colloquij Miſenenſis.

ANNO 1548. Ordinum responsio.

Cæsaris exquirit. Ordines causam hanc velut Ecclesiasticam ad Theologos reijciunt; Quorum vbi responsum audierint, se porrò deinde sententiã suã dicturos aiunt. Quia verò de rebus alijs quoque deliberandũ erat ad rempublicam pertinentibus, placuit ex vniuerso nobilium cœtu quinq; viros autoritate, prudẽtia, rerumq; vsu cõspicuos deligere, ijsq; duos adiungere è cõsiliarijs, qui negotiũ de libro Augustano cum Georgio Anhaltino, Melãchthone, cæterisq; præsentibus agẽdum susciperent & transigendum. Hi septẽ numero Theologos adierunt, & periculis, in quibus ditiones has, vnaque principem & religionem ipsam versari dicebãt, longo verborum ambitu cõmemoratis, prolixè repetunt ea, quæ pridem in alijs conuentibus acta fuerant, hortanturq; Theologos, vt affectu posito quid hoc tam periculoso tempore in religione mordicus sit retinendum, etiam cum vitæ fortunarumq; dispendio; quid verò publicæ tranquillitatis gratia Cæsari ad summum indulgeri possit, habitâ deliberatione præcisè tandem definiant: Nimirum vt princeps ipsorum consilio quæ Dei sunt, reddat Deo; nec tamen, quæ sunt Cæsaris in hoc negotio, negare Cæsari videatur. Hæc ad oratorum morẽ operosè prælocuti scriptũ offerunt à viris politicis in eum finem contextũ, vt quæ probanda protestantibus esset in libro Augustano, quæ non essent probanda, per singula illius capita ordine demõstrarent.

Delecti Lutheranorum.

Ordinũ ad Theologos delectos sermo.

Petunt Ordinationẽ fieri ad præscriptũ Cæsaris, qua fieri possit.

rent Id scriptum si probetur ipsorum calculo, futurum aiunt, vt ex eo publica quædam ordinatio conficiatur, per omnes principis ditiones promulganda. Rogant interim, vt diligenter examinent consultationem hanc, & corrigant mutentque, quod in eâ minus commodè dictum arbitrentur; adijciant etiam, si quid forsan amplius, quam notatum sit in hoc scripto, Cæsari putent tranquillitatis & pacis gratiâ largiendum. ANNO 1548.

Videbat Melanchthon cæteriq; de Synedrio, rerum agendarum ordinẽ inuerti, dum formam constituẽdæ religionis vel articulos concordiæ scriberent homines politici: Cùm illius rei cura prius ad ipsos ceu viros ecclesiasticos, rerumq; diuinarũ peritos reijci cõsueuerit, vel honoris gratia deferri. Quanquã verò submolestum hoc illis accidit, receperunt tamẽ scriptum illud politicorum; quod hæc ferè capita cõtinebat: principio de iustificatione retinẽdam aiunt docendi formam, de qua Pegauiæ conuẽtum sit vtriusq; partis consensu. Dissérunt deinde de potestate ecclesiastica, de ministris Ecclesiæ, de Cõfirmatione, de Pœnitẽtia, de Vnctione, de Ordinatione ministrorũ Ecclesiæ, de Missâ, de Vigilijs mortuorũ, de festis, de processionibus, de carniũ esu. Quæ verò politici de rebus istis per modũ consultationis proposuerãt, ea per dies aliquot in ecclesiastico senatu examinata fuerunt, & ad cẽsuram reuocata. Post pagellis aliquot per Melanchthonẽ cõscrip-

Ordo rerũ inuersus.

Summaria scripti politicorum.

Ad incudẽ à Melãchthonicis reuocatus.

ANNO 1548. Corrigitur.

scriptis notatũ, quid in ea consultatione probandum videretur, quid improbãdum: Quas cum delecti perlegissent, retexuerunt euestigio scriptum prius, & omnia quæ Theologis intelligebant displicere, ex illorum schediasmate correxerunt. Quod alterum scriptum cum exhibuissent Theologis, rogarunt, an hoc modo correctum placeret? Illi priori se responso dicunt insistere: Interim & alia quædam in mentem venisse, de quibus autores huius nouæ consultationis admonendi videantur; Quę tamen delectis Ordinum non communicanda scripto, sed viua voce suggerenda censuerunt. Eorum hęc ferè summa fuit: Ante omnia ceremonias, & ritus, de quibus restituendis consensum esset, quantum eius fieri posset, expresè designandos: Conferendum cum Episcopis de ordinatione ministrorum ecclesiæ Protestãtiũ: Cantiones Ecclesiasticas antiquitus vsitatas, hymnos scilicet & sequentias, tum historias Sanctorum repurgandas & corrigendas: cogitandum de forma pœnitentiæ publicæ: pastores diligẽter admonendos, vt populum ad preces, ad pœnitẽtiam, ad temperãtiam, ad ieiunium, ad delictorum cõfessionem, ad letanias cohortentur; vt ipsi quoq; cum ministris ecclesiarum à publicis occultisve criminibus, & à scandalis sibi caueant: Imò si secus faciant, deferendos esse ad Episcopos, & pœnis ecclesiasticis censurisque afficiendos: Expendendum etiam, quibus can-

Capita Theologorum ad Ordines prolata. Summaria eorum.

cantionibus vtendum sit in Missa, cùm ea nemine communicante peragitur. Quoniam verò ad hęc omnia ritè cõstituenda, quæ nũc viua voce partim, partim iam ante scripto proposita sint, maturâ sit opus deliberatione, quæ iustum tempus non modo, sed & plurium concionatorum præsentiam requirat, sibi quidem, aiunt, videri non festinandum in hoc tam arduo negotio, sed actionem in aliud tempus suspendendam. ANNO 1548.

Atque ità demũ & hic conuentus re prorsus infecta solut⁹ fuit: Id quod accidit Theologorũ culpa, qui per homines politicos aut seculares, vt loquimur, vsurpari ius alienum, & Theologis præscribi, quid de ritibus ecclesiasticis, deq; controuersijs fidei statuendum sit, ægrè tulisse videntur; licet hanc ægritudinem summo studio dissimularunt. Conuẽtus re infecta soluitur.

Antequam verò discederent actione iam conclusâ, dies nouo Conuentui constitutus fuit, quem huius rei gratiâ decimosexto Nouẽbris in oppido Cellensi Mauritius habendum indixit. Eo igitur præter septẽ delectos Ordinum, & Georgius Anhaltinus, Melãchthon cæteriq́ue, qui Torgæ præsentes erant, conuenire iussi sunt, vt finis huic negotio tãdem imponeretur. Ne verò causam haberẽt denuò tergiuersandi, quod pauciores essent, numerus illorum fere duplicatus fuit. Nam è VVittenbergẽsibus Pomeranus & Maior, è Lipsiensibus Ioachimus Camerarius, è superintendẽtibus verò, quos vocant, duo quidam, Alius conuẽtus Cellã indictus. *Act. Synod. Tit. 3.* Numerus Theologorum duplicatur.

ANNO 1548.

dam, Freibergensis & Pyrnensis illis adiuncti fuerunt. Hi cum Cellam cõueniſſent, initium faciunt actionis: quam vt à scripto politicorum, de quo Torgę fuerat disputatum, ordinationem ecclesiasticã in medium proferri postulant, quæ per Henricum Mauritij parentem, cùm is ab Ecclesiâ Romanâ diuortium faceret, ante annos aliquot de consilio Lutheri promulgata fuit: Hanc augendam censent, & sicubi forsan vsus postulet, mutandam corrigendamque; ex quâ deinde facilè deprehendi possit, quid in Augustano libro recipiendum iudicent, quid reijciendum. Et principio quidem ipsi de libro Saxonico sententiam suam scripto prolixo satis exposuerunt; quod delectis politicis decimosexto Nouembris exhibitum fuit. Hi postridiè vicissim breue scriptum exhibent, in quo repetunt ea, quæ iam ante de periculo religionis & ditionum istarum frequẽter inculcarant. In fine deliberationem hanc omnem ab Ordinatione Saxonicâ rursus ad Torgensem actionem reuocant, & scriptum illud, quod in priore conuentu examinandum proposuerant, auctum emendatumque Theologis denuò censuerunt offerendum. Illi quanquam se non admodum lubentes ad Torgense scriptum retrahi patiebãtur, quod à politicis confectum erat; respondent tamen postridiè, nec aliud ferè in medium adferunt, quam quod pridem ad nauseam vsq; multoties aggesserant.

Ordinatio Henrici parentis in medium profertur.

Ad Torgensem actionem appellant.

Ita

ANNO 1548.

Ita scriptiunculis aliquot hinc inde ceu velitatum fuit, eoque res perducta tandem, vt de ijs, quæ concedenda essent Cæsari, quæ non essent concedenda, Theologi & politici consentire viderentur; duobus tantum capitibus exceptis, de sacro Oleo scilicet, & canone Missæ; In quibus actio ceu vado illisa hæsit. Igitur delecti nobilium & consiliarij, quasi de rebus omnibus in eandem cũ Theologis sententiam descenderint, ex superiore Torgensi & Cellensi actione decretũ quoddam faciunt, in quo per omnia libri Augustani capita, quid probandum sit vel improbandum, autoritate censoriâ definiunt. Hoc vero decretum in proximo conuentu proponendum, ex eoque deinde, vbi communibus Ordinum suffragijs probatum fuerit, responsionem ad Cæsarem formandam decernunt. Atque ita Conuentus iste solutus fuit, & Melanchthon, Pomeranus & Maior exeunte Nouembri VVittenbergam reuersi sunt; nec deinceps vllis de libro Augustano consultationibus interfuerunt. Melanchthonem quidem alioque nonnullos Elector ad Conuentus proximos vocauit, Gutterbocẽsem & Lipsiẽsem, de quibus statim dicemus, verum ad actiones adhibiti non fuerunt. Videbãt politici, dum horum arbitrio res gerebatur, nouas perpetuò subnasci difficultates; nec vnquam, si ex horum iudicio penderent, futurum disputandi finem. Igitur quæ post Cellense decretum in hac causa suscepte

Velitationes vtriusque partis.

Decretum nobilium & consiliariorum.

Conuent⁹ soluitur.

ANNO 1548. Deliberationes inter politicos imposterum habitæ.

sunt deliberationes, eæ Theologis neglectis per politicos tantum habitæ fuerunt: licet impediri non potuit, quin Melanchthon, alijque priuatim à quibusdam consulerentur; quod ante publicationem decreti Cellensis Lipsiæ factum constat.

CAPVT XX.

I. *Conuentus Gutterboci Mauritij & Brandeburgici Electorum, item Lipsica consultatio cum summa magni illius* Interim.

II. *Ordinatio ex Lipsico Interim à Flacianis exagitata, cū cōuent. Merseburg. & Grimme.*

III. *Intentio Cæsaris Lutheran. inquietudine præpedita cum Flacianorum de Melanchthone & libro* Interim *sententia & calumnijs.*

IV. *Schisma inter Lutheranos maximum, vbi breuiter Maioris, Flacianæ & Osiandrinæ hæresum origo & progressus.*

V. *Historia Francisci Stancari, eiusq; errorum & certaminum cum Melanchth. & alijs.*

I. Conuentus Mauritij & Brandeburgici habitus Gutterboci.

MAVRITIVS verò, qui de placādo Cęsare perquam sollicitus erat, priusquā Ordines denuò conuenirent, de rei summā cum Electore Brandeburgico Ioachimo in colloquium venire voluit, quem librū Augustanum probasse non ignorabat. Atq; hic Conuentus duorum Electorū an. 1548. exeunte, 16. Decembr. habitus fuit Gutterboci, quo eodē & Iuliū Naumburgensem Episcopū Mauritius inuitauit. Et quia de libro

Inte-

Interim,deq; religione ad voluntatem Cæsaris constituendâ conferre decreuerat, Georgium Anhaltinũ, Melanchthonem, Pfeffingerum,Camerarium, & Greserum ad dictum diem Gutterboci præsentes esse iussit. ANNO 1548. *Acta Synod. Zz. 1. 2. & seq.*

Hi suspicati,quod res erat,colloquendum de libro Augustano,cum primis de duobus illis capitibus, in quibus hæserat postrema Celensis actio,de chrismate nimirum oleoque sacro,de Canone Missæ, velut ad pugnam instructi veniunt. Et de Canone quidem Melanchthon scriptum quoddam secũ detulit, prolixum satis,nec minus contumelioſum in sacra mysteria, quod è veteribus mendaciorum & calumniarum sutelis ipse consarcinauerat: quanquam frustra sumpsit laborem istum. Principes enim, adhibitis quibusdam consiliarijs, cum Iulio Naumburgensi, neglectis Theologis, familiariter & prolixè de vniuersâ causâ collocuti, tandem ex Anhaltino quęsiuerunt,posítne Canon Missæ ad eum modum interpolari corrigique, vt & is retineatur: Cumque Anhaltinus, Melanchthon, & cæteri,idipsum fieri posse negarẽt, nulla porrò facta est ad Theologos de religione mentio: Nec dubium est, quin Ioachimus Brandenburgicus autor Mauritio fuerit, vt reciperet librum Augustanum, & hoc genus inquietos calcitrones ab hac actione deinceps remoueret. Ita solutus fuit & hic Conuentus, nec Melanchthon & socij, quid inter duos Electores &

Theologi Lutherani eodẽ properant.

Melanchthonis cõtumelioſũ scriptum.

Canõ Missę reijcitur.

Soluitur Conuentus.

ANNO 1548.

Naumburgensem Episcopum actum sit, resciuerunt.

Cõuentus Ordinum Lipsiæ.

Continuo post Mauritius omnes Ordines, & inter eos more maiorum duos Episcopos, Misenensem & Naumburgensem ad vigesimum secundum Decembris Lipsiam conuenire iussit, vt quod per delectos Nobiles atq; Theologos in Cellensi Conuentu decretum erat, communibus omnium suffragijs confirmatum publicaretur. Vocati fuerunt ad hunc Conuentum & Melanchthon alijq; quos Gutterboci præsentes fuisse paulò supra diximus. Cum Ordines conuenissent ad diem constitutum, Mauritius repetitis breuiter ijs, quæ semestri toto fere superiori acta fuerant, Cellense decretum proponit, cui breue præmissum fuit exordium, & concluſio quædam subiuncta, nimirum vt iustam haberet consultationis formam. Quanquam verò consultatio hæc vtrorumque assensu, politicorum, inquam, & Theologorum, Cellæ concluſa fuit; Theologi tamen iniussu principis denuò de rei summâ breuem scripserunt informationem, quam Ordinibus vnà cum decreto simul obtulerunt. Secuta est Ordinum consultatio; qui de ministrorũ ordinatione, de Episcopis, de Missâ, de Confirmatione Oleoque sacro mouerunt aliquid; verum cum his de rebus Theologorum sententiam intelligerent, eorũ secuti iudicium acquieuerunt: hac tamen adiectâ conditione, vt Elector

Acta Synod. Aaa. 2.

Mauritius Cellense decretum proponit.

Informatio ei à Theologis exhibetur.

ctor ageret cum Episcopis, ne quod ab ijs periculum Lutherano ministerio crearetur. ANNO 1548.

Priusquam responsum est, Nobiles & Consiliarij quatuor è suorum numero delectos ad Melanchthonem ablegarunt, quæsitum, an & ipse Cellense decretum & omnia illius capita calculo suo probaret? Respondet ille, Si nobiles & politici consiliarij sententiæ Theologorum in doctrina de adiaphoris acquieuissent, minus disputationum fuisse; Et se quidem id factum optare. Interim articulos oblatos à plenioribus Theologorum declarationibus non discrepare, suo quidem iudicio. Si quid vero sit in ijs impium, quod cum scriptis Theologorum non conueniat, id sibi nullo pacto probandum. Inter cætera politici Lutheri verba quædam inseruerant de extrema Vnctione, quam ille retineri posse iudicat. Ea Melanchthon Theologis repugnantibus inserta dicit; nec dissimulat, habere se in votis, vt in decreto deleantur. Hæc Melanchthon; cuius iudicium secuti politici Lutheri verba induxerunt. Mansit alioqui decretum, vti Cellæ conceptum diximus, & paucis duntaxat vocibus mutatis, nobilium & Ciuitatum assensu promulgatum fuit.

Nobilium delecti ad Melanchthonem.

Eius responsio.

Lutheri iudicium de extrema Vnctione reprobat.

Cellense decretum approbant.

Erant in hoc Conuentu præsentes Episcopi duo Misenensis & Naumburgicus; qui licet antiquitus inter Ordines Misniæ censeantur, à nobilibus tamen & ciuitatibus ad hanc consultationẽ non sunt vocati. Re verò

iam

ANNO 1548. Episcopis Catholicis communicatur. Ab ijsdem illi contradicitur.

iam transacta decretum, quod diximus, communicatum illis fuit: Quo perlecto respondent Episcopi paulo liberius oblato scripto, seque demonstrant illi decreto non assentiri, nisi qua cum Augustano libro conueniat.

Cæterũ quia decretum illud de religione, quod Cellæ conceptum fuit, & Lipsiæ promulgatum, multis postea sannis atque ludibrijs exceptum est, & vehementer exagitatum à Flacianis, qui Lipsicum Interim magnum illud appellabant, & omnem illius editi culpam deriuabant in Melanchthonem; vt quem consultationibus istis, ex quibus tandem natus est hic fœtus, velut moderatorem interfuisse constet, breuiter & punctim summam illius hoc loco duximus inserendam:

Summa magni illius Interim. De Iustificatione. De Ecclesia. De ritibus.

Quæ de statu hominis ante lapsum, & post in Augustano libro differuntur, ea decreti autores velut extra controuersiam posita ne tangunt quidem. De iustificatione hominis, deque bonis operibus retinendam dicunt eam loquendi formam, de qua sit cum duobus Episcopis in Conuentu Pegauiensi conuentum. Quod vera Christi Ecclesia in Spiritu sancto congregata de rebus ad fidẽ pertinentibus decernit, ordinat, docetque, hoc ipsum amplectendum asserunt docendumque: Similiter & in adiaphoris vel ritibus externis seruandum, quod seruarint Doctores Ecclesiæ veteris, & hactenus apud Catholi-

tholicos in vsu praxiq́ue remanserit: Ad beneficia in Collegijs præsentandos ordinandosq́ue viros doctos, rerumq́ue diuinarum peritos, vt idonei sint, qui functionem Episcopalem, officiumq́; atque iurisdictionem Ecclesiasticam, quam habent Archidiaconi, debitè exequantur. Similiter doctos pastores atque Ecclesiarum ministros ordinandos, ad docendum regendumq́ue populum idoneos. Summo præsuli (Pontifici Romano) cæterisq́ue Episcopis, functionem suam iuxta Dei mandatum ad ædificationem Ecclesiæ non ad destructionem exequentibus, ab omnibus Ecclesiarum ministris subiectionem obedientiamq́; præstandam. Hos à patronis præsentatos, ab ijsdem Episcopis ordinandos esse; Et siquidem in doctrinâ vel in moribus exorbitent, puniendos atque excommunicandos. Baptismum cum Exorcismo, fidei professione, cæterisq́ue Ecclesiæ ceremonijs docendum atque seruandum: Confirmationem quoque docendam obseruandamq́; ; cumprimis in ijs, qui venerunt ad annos discretionis: Docendam item vrgendāq́; diligenter pœnitentiam, confessionem peccatorum, absolutionem, & quicquid istuc pertinet; monendumq́ue populum, vt confiteantur sacerdoti, ab eoq́ue suscipiant absolutionem; orationibus etiam diligenter incumbant & ieiunijs, & eleemosynas largiantur. Ad communionem admittendum neminem, nisi prius sacerdoti confessus

ANNO 1548.

De beneficijs Ecclesiasticis.

De Romano Pontifice.

De Pædobaptismo.

De Confirmatione.

De Pœnitentia.

De Communione.

ANNO 1548.

De Vnctione.

De Ordinatione ministrorum.

De matrimonio.

De Missa.

De Imaginibus SS.

De Horis Canonicis.

fessus sit, ab eoq; de peccatis absolutus. Vnctionem infirmorum iuxta D. Iacobi doctrinam Apostolico ritu seruandam, docendumque populum vt verum eius vsum intelligat. Ministros Ecclesiæ præsentatos à patronis, deinceps ab Episcopis legitime functionem suam exequentibus ordinandos, adhibitis pijs ceremonijs, nec vllos admittendos ad obeundas functiones ecclesiasticas, nisi præsentatos à patronis, & ab episcopis ordinatos: examinandos etiam diligenter explorandosque, ne rudes & inidonei ad curam animarum admittantur. Matrimonium in his regionibus iuxta Dei ordinationem omnibus Ordinibus permittendum. Missam deinceps seruandam adhibitis nolis, cereis, vasis sacris, cantionibus, vestitu sacerdotali & ceremonijs: ministrandum etiam sacerdoti, vbi copia personarum est, & præmittendam sacro Confessionem. Omnes deinde Missę partes recensentur ab Introitu vsque ad Collectam vltimam: nec quicquam differt hoc Sacrum Saxonicum à Catholico Romano, nisi quod Epistolæ atque Euangelij contextum, postquam is Latine cantatus est, germanice legendum ordinatur, & loco Canonis ponitur consecratio. Imagines Sanctorum retinendas decernunt, & populum de earum vsu informandum: Horas Canonicas de tempore, deque Dominicis, & festis celebrioribus in Collegijs & Ecclesijs ciuitatum, in quibus anteà can-

cantari consueuerint, seruandas, aliasq; cantiones veteres retinẽdas. Cantiones funerales in memoriam defunctorum, & nostræ resurrectionis in sepulturis & post seruandas. ANNO 1548.

Seruanda per annum festa, Diem Dominicum: Festum Natiuitatis Christi, S. Stephani, S. Ioannis Euangelistę, Circumcisionis, Epiphaniæ, Pascatis cum duobus diebus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus, Corporis Christi: Festa B. Mariæ Virginis, Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, S. Michaelis, Conuersionis S. Pauli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ, feria quinta, sexta & sabbatum in hebdomadá sanctâ: Feria sexta & Sabbato per annũ, item per Quadragesimam abstinendũ à carnibus, idq; ad mandatũ Cæsaris; Pastorib. & Ecclesiasticis ita viuendum ex episcoporũ & consistoriorũ ordinatione, vt & habitu sacerdotali, & morũ honestate discernantur à laicis, & ordini suo populi reuerentiam concilient. De festis totius anni. De Ieiunio Quadragesimæ.

Hæc ferè summa est eorum, quæ Lipsicum illud Interim, Magnum à Flacianis dictum, complectitur: Ex quo statim Elector quædam generalia de ritibus externis breuiter excerpta in folio iussit excudi publicariq́ue; quam schedam Flaciani paruum Interim Lipsiense indigetant. Atque hic exitus fuit illius tam operosæ & diuturnæ consulationis, quæ nobilium ac Iureconsultorum opera nouum hunc fœtum peperit, Augustano libro non quidem absimilem, cuius Generalia Interim Lipsici publicantur.

ANNO 1549.

cuius ordinem Capitum, & verba quoque frequenter retinet; at lubrico quodam verborum apparatu contextum, vt instar cothurni vtrique pedi conueniret, ijsdemque verbis Catholici & Lutherani suam quique sententiam eloquerentur: Quæ causa fuit, vt Flaciani Lipsicum hoc Interim, autores illius fautoresque tam duriter & acerbè flagellarent.

II.

An. 1549. *Act. Syn. p. 277. b.*

Post Conuentum hunc anno 1549. ineunte statim de Ordinatione quâdam ecclesiasticâ ex Lipsiensi decreto formandâ cœptũ est cogitari. Huius vero rei exequendæ curam Mauritius in Georgium Anhaltinum, Melanchthonem, aliosque nonnullos reiecit; quibus mandatum fuit, vt Merseburgi instituto Conuentu recenserent Ordinationem ab Henrico Mauritij patre editam, & ex eâ cum Lipsiensi decreto diligenter collatâ nouum quoddam opus conficerent accommodatum tempori, quod deinde principis autoritate per omnes illius ditiones promulgaretur. Paruerunt isti, magnoque studio volumen quoddã prolixum ex vtroque scripto illo consarcinarunt, quod tandem Martio mense fuit absolutum. Voluit autem Mauritius Elector, vt librum hunc, priusquam is pastoribus proponeretur, autores ipsi delectis Ordinum in Conuentu quodam prælegerent, examinandum publicandumque, siquidem ipsorum iudicio probaretur. Locum huic Conuentui designauit Tor-

Ordinatio ex Lipsico Interim conficitur,

Act. Syn. Ddd. 1.

Prælegitur atque examinatur.

Torgam, quo Georgium Anhaltinum, Melanchthonem, Camerarium, Pfeffingerum, aliosque nonnullos per litteras Mauritius euocauit. Venerunt eodem mandatu principis & Ordinum delecti, vt volumen, quod diximus, audirent prælegi, & suum illi quoque calculum adiungerent. ANNO 1549. Censores libri. *Act. Syn. Ddd. 3.*

Accidit vero præter omnem Theologorum expectationem, vt Zelota quidam Flacianus Theologiæ Lutheranæ Doctor, effrenatæ mentis homo, proiectæque audaciæ Melanchthonem, Anhaltinum, cæterosque Theologos non modo, sed & nobilium delectos importunè aggressus, dictis vehementioribus ab hoc instituto deterreret: Quæ res Melanchthonem cæterosque eum in modum perculit, vt quod mandatum erat à principe negotium exequi non auderent. Et quia Flacianus ille, quem diximus, vniuersam hanc actionem scripto quodam sugillarat, in quo VVittenbergenses & reliquos Adiaphoristas, velut idololatras, desertores veritatis, apostatas & infideles liberè criminatus fuerat, honoris tuendi gratia, scriptum apologeticum opposuerunt à Melanchthone consarcinatum, in quo frigidè satis & trepidanter disserunt de hoc cessionis instituto; obiecta vero crimina dissimulant, atque ita negotio infecto discedunt. Zelotę Flaciani audax rebellio. Ordinatio ab eodem sugiliatur. Apologia Melanchthonis.

Princeps Elector vbi rem intellexit, indignè tulit factum, & eosdem qui Torgæ præsentes fuerant, tum alios præterea Superin- Mauritius suos Theolog. Grimmā euocat.

ANNO 1549. *Act. Syn. Eee. 2.* Causæ cõuentus.

perintendentes atq; pastores ditionum suarum ad Calendas Maij Grimmam per litteras euocauit. Venit istuc & Elector Mauritius, & ipse verba faciens posuit causam, cur hunc conuentum indixerit: nimirum vt Ordinationem quam conscribi iusserit, examinandam illis proponeret; quæ deinde si probaretur ipsorum calculo, per ditiones sibi subditas esset promulganda. Lectum deinde fuit volumen, & omnium suffragijs probatum, additâ conditione, vt Satrapis & ciuitatum magistratibus executio demandetur, si qui se huic ordinationi forsan obijcerent: Quod vt alicubi fieret, propter effrenatam Flacianorum insolentiam expectandum videbatur. Quia verò non omnes superintendentes pastoresq; præsentes erãt, reliqui Lipsiam paulo post vocati sunt; vbi scriptum hoc illis prælectum fuit, & omnium iudicio probatum.

Ordinatio prælegitur.

Edictum Principis.

His peractis Edictum quoddam in Iulio scriptum fuit, ac deinde secundo die Augusti ad omnes magistratus missum, in quo princeps imprimis suspicionem animis subditorum eximere conatur, è sinistris Flacianorum persuasionibus conceptam, qui religionem sub Mauritio paulatim mutandã sparserant: mandat deinde magistratib. vt hanc Ordinationem curent à pastoribus obseruari. Si qui verò recusent aut tergiuersentur, vt eorum nomina vel ad se Consiliarios ue, vel ad consistoria deferantur.

Cæte-

Cæterum liber iſte Flacianis non minus diſplicuit, quam magnum illud paruumque, quod vocant, Interim Lipſicum: Ideoque mordaciter eundem infectati ſunt, & Alcoranum per contumeliam, vel per ludibrium Pontificale Romanum appellabant. Hæc prolixius commemorare placuit de conſultationibus in cauſa decreti, vel Interim Auguſtani ſuſceptis, quas Melanchthon omnes autoritate ſuâ moderabatur, eaque re tantum in ſe Flacianæ gentis odium concitauit vt illius factionis homines nullis deinceps excuſationibus placare poſſet. Conatus quidem eſt delinire quorundam animos; idque per litteras humiliter & perbenignè ſcriptas: ſed odium altius radices egerat, quam vt conceptam de Melanchthone ſuſpicionem vllis rationibus eximi ſibi paterentur. Extant quas de hoc argumento ſcripſit, epiſtolæ ad Franciſcum Burcardum Vinarienſem, ad Hamburgenſes concionatores, ad Francofurtenſes, ad Mansfeldicos; tum ad lectorem apologetica quędam contra Flacium Illyricum; ad alios etiam: In quibus conſilij ſui rationes explicat, cur nimirum in rebus externis quædam ſuaſerit concedenda potius, quam vt princeps Elector, eiuſque ditiones omnes in manifeſtum religionis amittendæ periculum deuenirent: Quin & eorũ argumenta diluit, à quibus eam ob cauſam proditæ veritatis & defectionis à fide tam atrociter accuſabatur.

ANNO 1549.

Ordinatio comparatur Alcorano, Melanchthon conatur à ſe remouere ſuſpicionem.

In ep. Sel. Eius de hoc argumento variæ litteræ.

Act. Syn. vbi ſupr. & ſeq.

Flacianorum obiectiones diluit.

ANNO 1549.

Verum frustrà laborauit, vti diximus: nullus erat excusationi locus; imprimis apud Flacium, qui præter cæteros acerbè Melanchthonem exagitabat. Per hunc vociferabatur, non modo ritus abususq; veteres restitui, sed & mutari doctrinam ipsam, & papatum, vt isti loquuntur, rursus induci. Itaque non illum modo Flacius, sed & alia quoque atrociora, imo & gladios atque mortem illi minabatur; vastitatem asserens in templis faciendam fuisse potius, & metu seditionis terrendos principes, quam vt quicquam in rebus etiam licitis publicæ tranquillitatis gratiâ concederetur. Ita tumultuabatur ille velut æstro Lutherano percitus, & Melanchthonem, quem gladio non poterat, calamo configebat.

Act Syn. Kkk. 1.

Ab ijs omnibus exponitur periculis.

Ibid pag. 454. & 457

Liber Augustanus ab omnibus legitur.

Iam vero per idem tempus & liber Augustanus in manibus hominum versabatur, autoritate Cæsaris publicatus in eum finem, vt Lutherani ad normam huius ordinationis ecclesias suas constituerent, donec Concilium fineretur: nimirum vt vno gradu facti propinquiores, deinde facilius ad Communionem orbis Christiani per Concilium rursus adiungerentur.

III. Cæsaris intentio.

Interea Cæsar eos hac ordinatione ceu nexu quodam astringere voluit, vt consisterent tandem in hac fœdâ religionum perturbatione, nec quibusuis errorum flatibus ab Ecclesiæ portu longius in procellosum hæreseon mare proueherentur. Atque hoc Cæsa-

Cęsaris fuisse consilium minimè latuit Concionatores Lutheranos: Itaque cum liber in publicum prodijsset, vrgeretque Cæsar, vt omnes illum, velut probatum communibus Ordinum suffragijs, & Imperij decreto publicatum reciperent, totis castris cœptum est inter Lutheranos tumultuari. Quidam non cedendum Cæsari clamabant vel latum vnguem, nec restituendum quicquam, quod esset semel abolitum; ne eas quidem ceremonias, quas diffiteri non poterant vtiles esse, & ad promouendam in hominibus pietatem oportunas. Horum verò tanta erat insania, vt si cathedram ascensuri stolam lineam induerent Catholico ritu, Christum amitti censerent, & verbi puritatem horrendum in modum contaminari. Aiunt dixisse quendam ex istis palam, minus piaculum fore, si committeret homicidium, quam si concionem habiturus togæ vestem lineam superindueret. Alius quidam huius gregis Lutheranæ Theologiæ Doctor in litteris ad amicum hæc verba eblaterat: Liberè dico, inquit, omnes eos, qui in minimâ ceremoniolâ obsequuntur Cæsari vulpi, imo lupo, eos ipsos quouis scelesto, sacrilego, & latrone conscientiarum atrociores. Atque hoc genus zelotæ Flaciani dicebantur à Matthiâ Flacio quodam homine Illyrico, quem primum factionis istius autorẽ fuisse constat. Hunc veluti ducem sequebantur Ambsdorffius, Gallus, Iudex, VVi-

ANNO 1549.

Lutheranorum inquietudo.

Eorundem insania.

In lib. VVit. Grundtlicher Bericht p. 64.

In ep. de Adiap. per Illyricum editis. E. b. a.

" "

" "

" "

" "

" "

Flacius dux rigidorum Lutheranorum.

ANNO 1549.

gandus, Morlinus, alijque per Germaniam, qui se genuinos esse Lutheri discipulos, eiusque doctrinam sequi gloriabantur à corruptelis pontificijs fermentoq; veteri penitus expurgatum: Quorum nonnulli cum hanc Cæsaris ordinationem linguâ calamoq; petulanter exsibilarent & contumelioſis verbis exploderent, velut turbatores publicæ tranquillitatis sedibus suis expulsi fuerunt.

Melanchthon ab omnibus infestatur.

In horũ verò numero Cæsar & Melanchthonem censuit, qui licet à turbulentis Flacianorum machinationibus abhorreret; impediuit tamen, quanto studio potuit, ne liber Augustanus à Mauritio simpliciter reciperetur. Ita factum est, vt & domesticorum virulentos sentiret morsus, quod ritus quosdam Catholicos pacis causâ restitui pateretur; & grauissimam Cæsaris indignationem sustineret, qui Mauritium Electorem quo minus Augustano decreto subscriberet, persuasum habebat à solo Melanchthone distineri. Huic igitur quemadmodum & consiliarijs grauiter hanc ob causam succensebat: imprimis cum Mauritium cum subditis intelligeret nouam ecclesiæ constituendæ formam procudisse, repudiatâ ordinatione, quam ipse decreto Comitiorum publico firmatam in lucem emiserat. Omnem verò culpam huius rei conferebat in Melanchthonem, qui hanc ob causam in in periculo versabatur.

Cæsari quare inuisus.

In resp. ad calum. Fla. B. 2. a.

Hunc

Hunc enim (vtar verbis VVittenbergensium) tanquam hostem publicæ pacis ac tranquillitatis Germaniæ, & omnium illorum Consiliorum, quæ ad pacem spectarent, turbatorem atque elisorem, edictis conscriptis, & satellitibus huc illuc missis cum mandatis Imperator quæri & sisti ad dicendam causam, & ad supplicium; si occultaretur, explorari; si repugnaret inuitum vi abripi; si defenderetur, cum comminatione atrocissimarũ pœnarum flagitari ac deposci iussit. ANNO 1549.

Iudicium eius de ritibus.

Hæc illi de Melanchthone: Quanquam is longe moderatius in hoc negotio censuit agendum, quam qui Flacium ductorem sequebantur. Licet enim dogmata libri pleraque velut papistica repudiabat, à ritibus tamen quibusdam & ceremonijs pacis causâ restituendis sese professus est non alienum: nec autor esse cuiquam voluit, vt propter ritus externos, qui non officerent pietati, vel moueret turbas, vel à statione sua discederet.

Eius asserclæ.

Hoc ipsius iudicium probarunt Lutherani moderatiores, Pomeranus, Maior, Pfeffingerus, Menius, Greserus, Camerarius, Zieglerus, alijq; qui per ditiones Mauritij Saxonis & Ioachimi Brandenburgici scholas ecclesiasq; moderabantur: quos eam ob causam Flaciani velut Papistas ac desertores euangelij criminationibus, mendacijs, & calumnijs propemodũ obrutos, in scriptis, in concioni-

ANNO 1549.

bus vehementer sunt insectati. Hi præcipuis Augustanæ Confessionis dogmatibus sese profitebantur in solidum adhærere. Interim ceremonias quasdam restituebant pridem abrogatas, atque ita peragebant diuinum cultum, vt si spectes ea tantum, quæ in oculos incurrunt, Catholicos esse nihil dubites. At reuerà externis Catholicorum ritibus ceu laruâ quadam aut velamine Lutheranismum operiebant: vt mixtum quoddam religionis genus exercere viderentur, è Catholicis ceremonijs, dogmatibus Lutheranis conflatum: Vnde Flaciani Melanchthonis sectatores Adiaphoristas, vel Interimistas cum Samaritanis comparabant. Interim satis misera erat Melanchthonis conditio, cum non minus socios in hac causâ, quam aduersarios offenderet; hos duritie quadam in repudiandis Augustani libri dogmatibus; illos vero leuitate atque mollitie in ceremonijs recipiendis; quarum vehiculo papatum, vt loquuntur isti, reducendum successu temporis clamitabant.

Eorum mixtum religionis genus.

Melanchthonis status miserabilis.

Quâ in re Flacij cæterorumque factionis istius insignem petulantiam & tumultuandi libidinem detestabantur ij, qui Melanchthoni adhærebant. Nam quod per eum dogmata restitui clamitabant Ecclesiæ Romanæ, id mendacium erat malitiâ fultum & virulentis calumnijs; quemadmodum Cæsaris indignatio testatur; de quâ iam ante diximus: Ad Ceremonias vero quod atti-

Flacianorũ petulantia.

Cam. in vit Mel. pag. 294.

attinet, eaſdem ferè continebat liber à Cæſare promulgatus, quas pridem Ioachimus Elector Brandeburgicus, Henricus Saxoniæ Dux, eiuſque filius Mauritius, tum Georgius Anhaltinus in diuino cultu retinendas decreuerant; idque ordinatione publica, libris etiam eâ de re diuulgatis. Neque tum reclamauit quiſquam; ne Lutherus ipſe quidem, quo viuente principes iſti, quos diximus, deſertâ maiorum fide ab Eccleſiâ deſciuerunt. Imò cum omnium applauſu recepta fuit illa diuini cultus & rituum cõformatio, quam nunc, cùm Cæſar ex Imperij decreto reſtitui vellet, tanta per Illyricum eiuſque gregales in Germaniâ tempeſtas fuit excitata; quæ cumprimis in Melanchthonem velut autorẽ adiophoriſticæ factionis horrendum in modum deſæuijt. Quoque magis mireris inſolentiam iſtorum, & peruerſum contrà nitendi ſtudium; erant adhuc in vſu Catholicæ ceremoniæ quædam ad illud vſque tempus, quæ tum primum abolitæ de induſtria fuerunt. Salis vſus in adminiſtrando baptiſmate manſerat inter Lutheranos quoſdam hucuſque, etiam in eccleſia VVittenbergenſi, quem ann. 1548. primum ſuſtulerunt poſt Auguſtana Comitia, in quibus liber Interim Ordinum conſenſu decretoque publico promulgatus fuit. Placuit ritus iſte Lutheranis ab exortu Lutheraniſmi annis penè triginta: Verum cùm Cæſar eum retineri cuperet, vel hanc ob cauſam omiſſus primum fuit & reie-

ANNO 1549.

Ceremoniæ apud Lutheranos tẽpore Lutheri.

Poſtmodũ abrogati.

ANNO 1549.

ctus ; vt homines istos in hoc negotio non affectu duci religionis, sed odio in Cesarem, & contrà nitendi studio præcipites ferri nihil dubites.

IV. Lutheranismus in duas factiones abit.

Dum Flaciani cũ Melanchthonicis Adiaphoristis hunc in modum de ritibus & ceremonijs altercantur, præter fœdam, quæ ex illo certamine nata est, distractionem, & alias duas factiones aut sectas Lutheranismus peperit, quæ Melanchthonem nouis exagitationibus exercuerunt. Harum altera, quam Maioristarum vocant, VVittenbergæ per Georgium Maiorem suscitata fuit: Altera vero, quæ anno 1549. Regiomonte in Borussiâ nata est, Andream Osiandrum parentem agnoscit; à quo & Osiandrinorum secta nominatur.

Maioristarum & Osiandrinorum. Vtriusque dogmata.

Cæterùm vterque, Maior, inquam, & Osiander, doctrinam suam de Iustificatione, quam non minus à se mutuo, quam à cæteris Lutheranis diuersam profitebantur, è Lutheri scriptis haustam asserebant. Maior obedientiam & mandatorum obseruationem docebat ad salutem esse necessariam, nec posse saluari quenquam, nisi charitatis igne succensus, per Dei gratiam bonum operetur: Quod dogma velut papisticum Flaciani magnis clamoribus exsibilarunt. Sententiam Maioris VVittenbergenses & Lipsienses tuebantur, alijque per Germaniam Lutherani moderatiores: Quos mordaciter insectabatur Flacius Illyricus,

Wittebergẽses Maioristæ.

ricus, & qui se Flacio contra Melanchthonem eiusque discipulos adiungebant, Ienenses scilicet, tum Nicolaus Gallus, Nicolaus Ambsdorffius, qui Episcopatu Naumburgensi, quem Saxonis Electoris auxilio per vim inuaserat, à Cæsare deturbatus Magdeburgum profugerat ad nidum veterem; alijque factionis istius homines turbulenti; quos Melanchthon, quoad vixit, velut hostes pacis publicæ & Ecclesiæ Lutheranæ perduelles vehementer detestatus est. ANNO 1549. à Flacio & assecl. cõuitijs expositi.

Disputabatur verò non modo de bonis operibus, eorumq; valore, sed & de euangelij proprietate atq; naturâ, de libero arbitrio, eiusque viribus & facultate in rebus ad salutem pertinẽtibus, de conuersione mentis ad Deum. Et quia VVittenbergenses ex disciplinâ Melanchthonis humano arbitrio plus tribuebant, quam vellent Flaciani; virtutem quandam cooperandi scilicet in conuersione, propterea Synergistæ per contumeliam ab aduersarijs sunt appellati. Hos verò Maioristas & Synergistas bonorum operum defensores, isti velut degeneres ingratosque Lutheri discipulos, vt Iudæi Samaritanos quondam, abominabantur; eosque hæreticos, hostes euangelij, & corruptores doctrinæ purioris appellabant; quos abiectâ veritatis professione è Lutheranorum castris ad papistas transfugisse vociferabantur. Cæterùm eousque virulentia Flacianorum incruduit, vt in conuẽtibus suis de pro-

Cam. in vit. Mel. p. 266. Capita cõtrouersa.

Defectionis, transfugij à Lutheranismo accusantur.

Flacianorũ impetus.

ANNO 1549. *Cam. ibid.*

prohibendis quibusdam libris Melanchthonis deliberarint; ijs scilicet, ex quibus Maior & Synergistæ sententiæ suæ fundamenta hausisse videbantur : Quanquam, ne quid huiusmodi in contumeliam Melanchthonis statueretur, per quosdam moderatiores fuit impeditum. Hæc & id genus alia Flaciani; quibus Maioristæ, vt obiectum hęreseos crimen & defectionis infamiam diluerent, non segniter occurrebant: Vnde atrox & diuturnum certamen inter Lutheranos exarsit,

Melãchth. perpetuò à Flacianis affligitur.

quod nec Melanchthonis, Maioris, Flacijq; morte, nec vllis conciliationibus in hunc vsque diem extingui potuit: Quæ res Melãchthonem, dum in humanis esset, grauiter afflixit; quod variæ ipsius querelæ de Flacianorum improbitate atque malitiâ testantur. Flacium certè odit infestissimè, quem Cyclopis filium appellat, & γαλάτην quendam, imò δραπέτην σλαβὸν. Flacianos verò Sycophantas vocat, à quibus cum propter moderata consilia petulanter exagitaretur, ceu vitæ pertæsus, Si fatalis mihi hæc calamitas est, inquit, vt talibus calumnijs opprimar, libenter profectò non modo ex Germaniâ, sed etiam ex hac vita discedam.

Flacij Cicoplis filij Melancht. vitæ pertæsus. *In epist. ad Cam. p. 625*

Ad Osiandrum verò quod attinet, is nouum commentus est & prius inauditum dogma de Iustificatione, quod velut purum putum euangelij nucleum orbi vẽditauit, haustum, vt ipse dicebat, è Lutheri scriptis: Ne qua scilicet esset hæresis extremis temporibus,

Hæresis Osiandri.

Schluss. in catalog. hæret. de Osiand.

bus, quæ aliunde, quam ex Lutheri pectore dimanarit. Summa dogmatis est, Hominem iustificari per essentialem Dei iustitiam habitantis in nobis, & ad bene operandum nos impellentis: Eam verò iustitiam, tametsi nihil sit aliud, quam vnus Dei Patris, Filij & sancti Spiritus in nobis habitantis essentialis iustitia, non alibi tamen quærendam asserit, quam in Christo incarnato; cuius non mortem & sanguinem, vt hominis, sed essentialem iustitiam, vt Dei, nostram iustitiam esse statuit: Quæ tametsi non verè in nos transfundatur, sed per quendam imputandi modum nostra fiat, tamen reuera nostram esse contendit non secus, ac si ex nobis haberet originem. Hoc commentum quemadmodum hæreticis in more positum est, plurimis S. Scripturæ cumulatis testimonijs stabilire nititur: Nec aliud sensisse Lutherum asserit, quamuis sententiam suam non apertè satis & luculenter explicarit: quod è scriptis ipsius, productis itidem non paucis testimonijs, persuadere conatur. Itaque Melanchthonem, ait, à Lutheri sententia discessisse, & imputationem mortis Christi quandam cõmentum, quam verbis nonnihil obscuris in Augustanam quoque Confessionem intulerit. Atque hæc causa fuit, quod Osiander, postquam hæresin suam libris editis in publicum referre cœpit, vix quenquam exagitauit durius, atque inclementius tractauit, quam Melanchthonem, quem noui dogmatis

ANNO 1549.

Dogmata Osiandri de Iustificatione.

E Lutheri scriptis hausta.

Melancht. ab Osiandro insectatur.

Dogma Melãchth. de imputatiua iustitia.

ANNO 1549.

tis de imputatiuâ iuſtitia primum autorem arbitrabatur. Interim viuente Luthero publicè nihil machinatus eſt ; tametſi per occaſionem ſubinde proderet conceptum animo virus. At poſtquam ille ſublatus fuit , dixiſſe ferunt Oſiandrum , Leone mortuo ſe reliquas feras (Melanchthonem cæteroſque Lutheranos) facilè ſuperaturum.

Oſiandri arrogantia in Lutheranos.

Erat Oſiander homo ruſticus, ferox , eruditionis fiducià tumidus , & prorſus ex eo genere ferarum , inquit Caluinus, quæ non cicurantur. Quanquam igitur laboratum fuit à concionatoribus cæteris, vt intra cancellos conſiſteret à præceptoribus conſtitutos, nec Eccleſiam Lutherânam inteſtinis diſſidijs alioqui ſatis laborantem , excitato nouo certamine grauius affligeret; fruſtrà tamen admonitiones iſtæ fuerunt. Melanchthon certè , cùm adhuc in fomite gliſceret aut ſcintillaret diſſidium , imprimis hoc egit, vt ſopiret malum , ne ſcilicet in publicum incendium erumperet. Itaque cum anno 1548. theſes quaſdam Oſiandri vidiſſet , eas non improbauit ; futurum ſperans , vt ille viciſsim tractabilem ſeſe atque manſuetum præberet. Ea de re cum ſcribit ad amicum quendam ex intimis, Mitto, inquit, Oſiandri propoſitiones, quas probo. Sed certamen in παρέργοις exortum eſt , quod ſedabimus. Sed hanc arbitror velitationem eſſe , ſequentur maiorà

Eius habitus & diſpoſitio. *In ep. & ſeq. pag.*

In eo compeſcendo Lutheranorum labores.

Melancht. diſſimulatio.

In epiſt. ad Cam. p. 596

iora prœlia. Hæc Melanchthon ad Camerarium, quasi tempestatem præsagiens, quæ anno sequente proximo è Borussiâ in caput ipsius horrendum in modum sæuire cœpit. Osiander enim, cùm propter Augustani decreti contemptum Cæsaris iram metuens in Borussiam è Germaniâ profugisset, eiusque prouinciæ principem Albertum Brandeburgicum adiunxisset partibus suis, tandem anno 1549. prodijt in publicum, ac deinceps libris editis hostem se Melanchthonis & VVittenbergensium est professus: Quos in confessione sua petulanter & acerbè verbis ad contumeliam compositis exagitauit.

ANNO 1549.

Osiander exul Albertum Prussiæ Ducem in-ficit.

Ann. 1549. Melancht. & VVittenb. publicè exagitat.

Ea res Melanchthonem reddidit perplexum, & terruit nonnihil, præsertim cum Osiandrum intelligeret sibi cumprimis infensum esse, ac dira minitari. Qua de re scribens ad Camerarium, A Baltico littore, inquit, flatus horridi nos feriunt. Audio minas, ὅτι δημήγορος ταμεῖ φλέβα μοι, ὅθεν τὸ αἷμα ἐς ὅλην γερμανίαν ἀβράξει: Quod concionator populi illius (Osiander) incisurus sit mihi venam, vnde sanguis ebulliat in totam Germaniam. Igitur cum honoris causa prodeundum esset in pugnam pauentis instar & restitantis in arenam descendit; & tardius quidem, quàm pleriqúe cæteri. Scripsit sanè libellum germanicum valdè tenuem, quem Ioannes Pomeranus Pastor, & Ioannes Forsterus

Melãchth. perplexitas.

In epist. ad Cam. p. 631.

Eius trepidatio in refellendo Osiandro.

ANNO 1549.

Forsterus Hebraicæ linguæ professor subscriptis nominibus approbarunt: Sed nec animum satis præsentem, nec vigorem illum attulit ad causam hanc, quem ipsa negotij magnitudo, & aduersarij conditio postulabat. Interim quibus potest præsidijs tuetur opinionem suam de imputatiua iustitia contra Osiandrum, cuius rationes ita diluit, vt vitabundo similis multa dissimulet; quod se pacis studio facere dicit, ne certamen grauius increscat.

Osiandri scriptum atrox in Melanchthonem.

Osiander vbi vidit libellum hunc, ex Melãchthonis pusillanimitate maiores ipse sumpsit spiritus, correptoq; calamo eum in modum respondit, vt nec vllum daret resipiscentiæ signum, & priores contumelias additamento quodam cumularet. Inter cætera Melanchthonis discipulos, ait, dissidere sententijs inter se de iustificatione, deque hoc vno dogmate è libris ipsius opiniones diuersas ferè quatuordecim hausisse: Quod obiectum probrum, vt & alia quędam Melanchthon dissimulauit. Quanquam verò nõ Melanchthonici modo, sed & Flaciani Osiandrum oppugnabant, inuenit tamen ille suos assecłas inter Lutheranos, qui partes ipsius sequebantur. Et contagio quidem è Borussiâ maturè serpsit in Pomeraniam, vbi Lutheranus quidam Artopæus non infimæ sortis homo, qui Stetini concionatorem agebat, Osiandri dogma cum zelo tuebatur. Quæ causa fuit, vt à Paulo Rodio superintendente, cæte-

Probrum dissidij obijcit Melãchthoni.

Dogma Osiandri inficit Prussiam & Pomeraniam.

Artopæus ob dogma Osiandri oppressus.

cæterisq; verbi Lutherani ministris oppressus, autoritate principis de statione sua deijceretur. Erat Artopæus ætate prouectior, cumq; Stetino discedendum esset, V Vittenbergam profugit; vbi cum Melãchthoni miseriam suam exposuisset, seq; paratũ diceret idem sentire cum V Vittenbergensibus,& ab Osiãdro discedere, litteras obtinuit ad Paulum Rodium Superintendentem, quem diximus,eiusq; collegas. Quos rogat Melanchthon,vt principem ærumnoso seni conciliẽt, eiq; potestatem impetrent ad vxorem liberosq; redeundi. Interim vt Pomeraniæ princeps Philippus Osiãdrinos,ita Borussiæ Dux Albertus Lutheranos,siue Melãchthonicos, siue Flacianos in exilium pepulit: Inter quos & Ioachimus Morlinus Regiomonte cedere fuit coactus, homo prodigiosè Lutheranus, cuius in Osiandrum scripta extant Flaciano felle conspersa. Quanquam hic idem Morlinus multis annis post, cũ princeps iã decrepitus noui dogmatis tædium cepisset, in Borussiam reuocatus Osiandrinũ fermentũ expurgauit,& Sãbiensis episcopus creatus fuit.

ANNO 1549.

V Vittẽbergam fugit ad Melãchthonem.

Conatur impetrare restitutionem.

Melanchthonicorũ & Osiãdrinorum exilia.

Morlini, expulsio ob Lutheranismum.

Cæterũ Osiandri controuersia,& alij cuidam nouo certamini inter Lutheranos occasionem dedit, quòd per Franciscum Stancarum Mantuanum excitatũ est. Erat hic Stancarus in academia Regiomontana Theologiæ Lutheranæ professor, Osiandri collega: cuius errorem de iustificatione dum oppugnaret,accidit homini, quod vulgo dicitur:

V.

Nouus Osiandri partus error Stancari. *Schlusselb. de stanc. catalog. hæret.*

ANNO 1549.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Dogma Stancari de Iustificatione.

Osiander diuinæ naturæ tantũ tribuebat iustificationem; quam Stancarus humanæ naturæ tantum tribuẽdam asseruit. Ita factum, vt saltum faceret ab extremo vno ad alterum, & à via regia, quæ veritatis est, turpiter exorbitaret. Legerat diligẽter, cùm adhuc in monasterio viueret (nam & hic de excucullatorum grege fuit) Petrum Lombardum, qui vulgò Magister sententiarum appellatur, & Scholasticos Theologos: quorum si phrasin tenuisset, loquendique formam de Christo Saluatore, vti sententiam illorum se tueri profitebatur, in has salebras non incidisset. Verùm quia non ad sobrietatem, sed plus sapere voluit, quam oportet, ita de Christo Saluatore locutus est, vt ad Nestorium inclinare videretur. Christum hominem passum & mortuum esse, fudisse sanguinem, eoque sanguine & morte liberasse genus humanum, ac meruisse iustificationem; sanè & rectè dicitur: At Christum, vel vt Deum modo, vel tantum vt hominem operari salutem hominum, eosve iustificare, & è statu damnationis in sortem filiorum Dei transferre, non rectè dicitur; cùm id vtriusque naturæ sit opus. Prius illud Osiandrum docuisse, posterius Stancarum Lutherani testantur: Quorum nonnulli dum refellunt errorem Stancari, vicissim ad extremum resiliunt, dum Christum asse-

Stancarus monachus excucullatus.

Ad Nestorianam hẽresin descendit.

Eius falsi canones.

runt

runt Deum & hominem ita secundum vtranque naturam esse Saluatorem; vt diuinam quoque ipsius naturam passioni mortique subijciant. Sunt vicissim è Lutheranis alij, qui quod est proprium diuinæ naturæ tantum, scilicet omnipotentem esse, & vbique præsentem, humanitati quoque asscribant: Quâ de re non est hic docendi locus. ANNO 1549.

Stancarum oppugnarunt non modo Lutherani omnes, licet inter se magnâ animorum virulentiâ dissiderent; Osiandrini scilicet, Melanchthonici, Flaciani, Maioristæ; sed & Tigurini Zvvingliani & Caluinistæ; Quibus ille velitabundus occurrit, & magno animo quidem: Quanquam vbi pugnam sensit ingruere cum aduersarijs Lutheranis, abdicatâ professione, Regiomonte discessit in Poloniam: Vbi cum sibi nonnullos adiunxisset, varijs scriptis Lutheranos simul & Tigurinos lacessiuit. Inter primos autem, qui Stancaro sese obiecerunt, fuit Andreas Musculus, Francofurtensis academiæ ad Oderam Lutheranus Theologus; cui Stancarus animosè satis obuiam processit. Inter hos igitur cum certaminis factum esset initium, Melanchthon à quibusdam interpellatus, vt & ipse descenderet in arenam, deque causa iudicium suum interponeret, prodijt ille quidem, sed cunctabundus, nec lubens admodum, & scriptum diuulgauit sub hoc titulo:

Stancarus à Lutheranis & Caluinistis oppugnatur.

In Polonia fugit.

Stancari & Lutheranorum altercationes.

Melanchthonis tergiuersatio & scriptum in Stancarum.

ANNO 1549. Responsio Philippi Melanchthonis de controuersijs Stancari; in quo sententiam Andreæ Musculi probat, tueturq;. Hanc respónsionem fatetur alibi Melanchthon ipse multo breuiorem esse ac summissiorem, quàm postulet magnitudo causæ. Sed hominem, inquit, iracundum ac bilioſum non volui accendere. Scripsit verò Cẽsuram hanc Dessauiæ oppido Principum Anhaltinorum, quam mense Iunio in festo S. Ioannis Baptistæ absoluit an. 1553.

In. epist. ad Cam. p. 670

Stancari replica & scriptum contumelioſum in Melanchthonem.

Stancarus, cùm & Melanchthonem aduersarijs accedere videret, vt erat ingenij vehementis & impotentis animi, continuò scriptum opposuit, in quo contumeliosè tractauit Melanchthonem grammaticum illum, & Theologiæ ignarum, adeoque antichristũ appellans. Melanchthon vero, quem huiusmodi certaminum vehementer tædebat, cùm sententiam suam publicè declarasset, sese officio suo perfunctum ratus, ictu dissimulato discessit è pugna, nec deinceps in Stancarum arma sumpsit. Paulò ante quam Stancariani certaminis fœtor in publicum erupit, anno scilicet 1550. Melanchthon in Angliam vocatus fuit, quo ante biennium Petrus Martyr, & Bernardinus Ochimus Itali; & anno superiore proximo Martinus Bucerus, & Paulus Fagius germani, Sacramentarij vtrique ad euertendam religionem Catholicam acciti conuolarant. Et quidem hoc anno Ioannes à Lasco Polonus

Melancht. in certamine occumbit.

Ann. 1550. Melancht. in Angliã vocatur.

eodem

eodem profectus fuit: Melanchthon vero, quanquam & is desiderabatur, domi remansit. ANNO 1550.

CAPVT XXI.

I. *Comitia Augustæ ob Concil. Trident. scripta Luther. ad Concil. cum obsidione Magdeburg.*

II. *Delecti Lutheran. ad Concil. Trid. per Mauritium Elect. eiusq; Credentiales.*

III. *Mauritij fœdus cum Gallo tres Episcopatus ab Imperio detruncante contra Cæsarem, eius & Alberti Brandenb. mors concilijq; Trid. absolutio.*

IV. *VVittenbergæ & Lipsiæ pestis grassatur dum Melanchthon in Angliam euocatur, controuersia inter Ioãnem Fridericum Saxoniæ Ducem & Augustum Electorem. mors Anhaltini & Sturmij.*

CAESAR eodem anno Comitia rursus I. Comitia Augustæ.
egit Augustæ, quo Principes & Ordines mense Iulio conuenire iussit. In ijs Comitijs Ordines Concilij futuri decretis se denuò submiserunt, quemadmodum ante triennium, cùm eodem loco conuentus haberetur, factum quoque diximus. Itaque Cæsar quanto potuit studio laborauit, vt Synodus propter terrores bellicos hactenus suspensa rursus instauraretur: Effecitque tandem, vt Iulius Tertius Pontifex, qui

Sur. in cõm. ad hunc an.

Synodus restauratur.

Sleid. l. 22. pag. 636.

ANNO 1550. Tridentū trāsfertur.

qui circa tempus hoc Paulo tertio defuncto surrogatus fuit, Synodum Bononiâ Tridentum reuocaret. Quod cum impetrasset Ordines enixè cohortatus est, magnoque cum affectu, vt pium hoc, & Germaniæ perneceſſarium atque ſalutare negotium ſummis viribus promouerent: Quæ res nouam Lutheranis ſollicitudinem iniecit.

Camer. in vit. Mel. pag. 310.

Melanchthon ſummā doctrinæ conſarcinat offerendam Concilio.

Et Mauritius quidem in mandatis dedit Melanchthoni, vt ſcriptum quoddam componeret offerendum Synodo Tridentinæ, ſi res ita ferret, quod ſummam doctrinæ breuiter explicatam complecteretur. Paruit ille, & huiuſmodi ſcriptum confecit; quod vbi fuit abſolutum, princeps calculo præcipuorum concionatorum ditionis ſuæ voluit approbari. Eos igitur Lipſiam conuenire iuſsit, vbi ſcriptum Melanchthonis prælectum illis fuit, & communibus ſuffragijs comprobatum: Quanquam inter concionatores erant nonnulli Flaciana labe infecti, qui nonnihil oggannirent, & ſuperiorum temporum actiones de libro Interim liuido dente arroderent; quos reliqui ſuffragijs & numero ſuperatos facilè repreſſerunt.

Cam. in vi. Mel. p. 310.

Cæterùm cū de ſcripto hoc per Melanchthonem conſarcinato rumor ſparſus eſſet, principes aliquot & ciuitates Lutheranæ copiam eius ſibi fieri vehementer expetebant: At Mauritius id cuiquam communicari noluit.

Impri-

ANNO 1550.

Imprimis VVirtébergicus princeps Christophorus Vlrici filius, qui patri non ita pridem vita functo succesſerat, & Senatus Argentinenſis quoſdam miſerunt è concionatoribus ſuis, qui cum Saxonicis de rebus conferrent in Concilio proponendis; ante omnia verò Melanchthonis iudicium in hoc genere certius explorarent. Atque illi quidem, VVirtenbergici inquam, ſecum deferebant ſimile quoddam Brentij ſcriptum; quod anno ſequente principis illius nomine Tridentini Concilij Patribus oblatum fuit; & hoc agebant magno ſtudio, vt eſſet eorum, qui Confeſsionem Auguſtanam profitebantur, in hac actione conſenſio quædam & dogmatum conformitas. Erant enim annis proximis in ſectas atque factiones fœdè diuulſi: Quæ res prudentioribus Lutheranis magnas curas peperit, metuentibus nimirum, ne domeſticæ concertationes in causa communi plurimum obeſſent. Itaque vel conſenſum qualemcunque, vel ſyncretiſmum aliquem inſtitutum cupiebant; ne ſi diſtracti à ſe mutuo, & in turmas hoſtiliter diuiſi, prodirent in hoc Chriſtiani theatrum, ludibrio ſeipſos exponerent, & cauſam, quam tuebantur, vel his ipſis diſſenſionibus ſuſpectam redderent. Quanquam verò nonnulli Synodum in Saxonia ſuaderent conuocandam; in qua conſultandum putabant de rebus communibus, & domeſticas Lutheranorum diſſen-

Wirtenbergici & Argentinenſium ſtudium in tentanda concordia.

Syncretiſmum machinantur.

ANNO 1550.

Melāchth. opinio.

siones quoquo pacto sopiendas, priusquam Tridentum Theologi Lutherani mitterentur. Melanchthon tamen, alijque circumspectiores consilium illud minimè probabant; cùm quod Cæsar huiusmodi conuentus ad perturbandam Reip. tranquillitatem pertinere arbitrabatur; tum verò, quod non ignorabant, eius generis esse domesticas concertationes, vt de ijs componendis frustrà deliberationem susciperent. Obtinuerunt tamen VVittenbergici demum, vt quod Melanchthonem confeciſſe diximus scriptum, perlegendum illis exhiberetur. Nō diu post VVittenbergæ, quemadmodum Lipsiæ pridem, habitus est conuentus, in quo reliquis istarum partium concionatoribus propositū fuit hoc ipsum scriptum Melanchthonis; cumque & isthic præsentium assensu probatum esset, placuit, vt sub titulo repetitæ Cōfessionis Augustanæ typis procusum in vulgus emitteretur: Quemadmodum & alter ille tractatus, quem à Brentio conscriptum suprà diximus, à legatorum reditu diuulgatus fuit.

Eius scriptum exhibetur.

Conuentº Wittenb. & Lipsiæ.

Titulus scripti Melanchth.

Pomar. in Chron. Sax. Cythr. & alii ad hunc ann.

Obsidebatur per hoc tempus Magdeburgum, vrbs Saxoniæ ad Albim sita, quam Mauritius Elector oppugnabat mandatu Cæsaris, quod magistratus illius ciuitatis & incolæ Augustano decreto parere recusarent, per Flacium Illyricum, Ambsdorffium, aliosque tribunitios istius factionis concionatores ad rebellandum incitati:

Magdeburgū à Mauritio obsidetur.

Erat

ANNO 1550. Nidus Flacianorum.

Erat hæc ciuitas nidus Flacianorum præcipuus; è quo magno numero prouolabant seditiosi tractatus, picturæ, famosique libelli, quibus in Cæsarem, in Mauritium ipsum, aliosque moderatiores Lutheranæ professionis principes vulgus & multitudo promiscua concitabatur: Quam ob causam ciuitas illa tandem ductu Mauritij ab exercitu Imperij nomine circumsessa fuit & oppugnata. Quanquam verò Mauritius oderat inquietos & turbulentos id genus homines; tamen quia iam tum alijs cogitationibus intentus erat, paulò remissius, quam pro Cæsaris Imperijque dignitate, bellum illud administrabatur.

II. Principes monentur de mittendis legatis ad Concilium.

Interea Calendis Septembris rursus instaurata fuit Tridentina Synodus, & principes admoniti, vt suos isthuc mitterent: Quibus idoneè cautum fuit non per Cæsarem modo, sed & per Synodum ipsam, ne quam tergiuersandi causam haberent. Mauritius igitur tametsi iam bellum meditabatur in Cæsarem, quo Synodum indubitatus turbandam nouerat; dissimulato tamen Consilio, quosdam è suis designauit, qui Tridentum profecti Concilio interessent. Horum primus fuit Melanchthon, quem huius rei gratia sub finem anni 1551. VVittenbergâ per litteras euocauit; ne scilicet omnino ignarus esset secretarum machinationũ, quas ad opprimendum inopinatò Cæsarem, & turbandam Synodum animo coquebat. Me-

ANNO 1551. Delecti Lutheranorũ ad Concilium.

ANNO 1551. Mauritius dissimulatio.

lanchthoni socios adiunxit Erasmum Sarcerium, & Valentinum quendam Pacæum, Lutheranæ sectæ Theologos. Vt vero duceret tempus, & non minus Patribus Tridentinis, quam Cæsari glaucomã obijceret, duos pridem Tridentum miserat è Consiliarijs, quorũm alter Leonardus Padhornus Iureconsultus erat. Hi scriptum Melanchthonis, de quo iam ante diximus, velut Symbolum cõfessionis Saxonicæ, detulerunt secũ in Concilio Patribus exhibendum: Quanquam cũ in confessu verba facerent, scriptum hoc retinuerunt; quod an consulto factum sit, an vero casu, non satis est compertum. Interim Mauritius ne serio non agere videretur, Melanchthoni, duobusq; socijs mandauit, vt se darent itineri; quanquam additum fuit, vt Augustam vsque progressi subsisterent, donec quid porro vellet fieri princeps per litteras significaret. Illi verò, qui secretas principis machinationes non ignorabant, Noribergæ potius subsistendum censuerunt, loco nimirum viciniore, & periculis minus exposito. Quâ de re Melanchthõ ad Camerarium scribens, Nos, inquit, Noribergæ adhuc ex-

Mel. tom. 2. ep. p. 246.

Camer. in vita Mel. pag. 319.

Melanchthon cum socijs ad iter se cõparat.

Noribergæ subsistunt.

In ep. ad Cam. p. 656.

„ pectamus litteras, vel aulicas, vel padhornia-
„ nas. Scripsi enim ad aulam, & ad Padhornũ,
„ vt nobis significent, quid fieri velint. Quæ
„ stultitia esset, progredi ad Synodum, moto
„ bello, & inter arma disputare? Quâ de re &
„ in aula antea ostendi, quid mihi videretur.
„ Augustã eo non properauimus, quia in tanta male-

maledicentia & vanitate hominũ locus ille, vbi de religione plus est dissensionum, plus flabellarũ peperisset. Hic nihil fuit contentionum cum vllo. Et aliquantulum conticescunt sermones de hyperborei Oratoris (Osiandrum dicit) ὑψαλήχοφια. Hactenus Melanchthon. Interim qui Tridentũ præcesserãt, legati principis huiusmodi cõditiones Patribus proposuerunt, quib. Melanchthonẽ dicebant,& socios ad Concilium mittendos, vt eas probari nec posse nec debere satis haberent perspectum: Itaque in actione hac temporis extrahendi gratiâ lusisse potius, quam rem seriam egisse videntur. ANNO 1551.

ANNO 1552. Conditiones à Lutheranis propositæ ridiculæ.

Postularunt siquidem, vt quiescerent ab actione Patres, nec progrederentur, donec venirent, quos supra diximus per Mauritium designatos; vt quæ hactenus definita sint, habeantur irrita; & vbi Tridentum venerint Mauritiani, superiora omnia retractentur; vt Concilium celebretur, ad quod omnes nationes & populi cõueniant; vt in eo non præsit Romanus Pontifex, sed subdere se Concilio compellatur; vt Episcopis iusiurandum remittat, quo deuincti sunt Ecclesię Sediq; Romanæ. De his capitibus responderi sibi postulabant, & quidem sine longiore morâ. Theologos enim, dicebant, esse in via Tridentum versus, iamque ad quadraginta pene milliaria processisse. Hæc in priuato quorundam consessu per Mauritianos vndecimo Ianuar. proposita fuerunt anno 1552.

Camer. in Melancht. pag. 320.

Cæte-

ANNO 1552. Credentiales Mauritij offerendæ Cõcilio Tridentino. *Cam. in vit. Mel. in fine.*

Cæterum Mauritius cum Melanchthonem eiusque socios ab se dimitteret, litteras illis dedit ab ipso Melanchthone compositas, ad Synodum Tridentinam, (credentiales vulgò nominant) quas hoc loco duximus inserendas.

Reuerendissimi Domini, & Reuerendi Patres: cum Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus voluerit, vt ex ecclesijs nostræ ditionis aliqui ad Synodum mit-
" terentur, noluimus eius voluntati deesse:
" præsertim, cum & nos optemus veritatem il-
" lustrari propter gloriam Dei, & piam ac per-
" petuam in Ecclesiam totius orbis terrarum
" concordiam constitui. Quæ duæ res omni-
" bus hominibus maximè expetendæ sunt;
" præcipuè vero ijs, quibus Deus gubernatio-
" nem commendauit. Misimus igitur ad Sy-
" nodum hos tres viros, Erasmum Sarcerium,
" Valentinum Pacæum, & Philippũ Melanch-
" thonem, quorum & mores honestos esse, &
" studium pacis & publicæ concordiæ prædi-
" cari intelligimus. Hos vt benignè audiatis
" publicè exponentes, quid de omnibus con-
" trouersijs communi consensu ecclesiæ no-
" stræ doceant, petimus. Ipsis etiam mandata
" dedimus, vt piè, placidè, & sine priuatis af-
" fectibus recitent & declarent doctrinam,
" quam existimant vniuersæ Ecclesiæ necessa-
" riam. Scitis autem pro vestra excellenti sa-
" pientia, hos vestros confessus intueri Deum
" iudicem, & vniuersam Ecclesiam in cœlo &
in ter-

in terra expetere; primum, vt gloria filij Dei verè illustretur, & sauciæ conscientiæ sanentur, & vera eis inuocatio monstretur: Deinde vt talis concordia constituatur, in qua non stabiliantur veteres abusus. Neque enim grata Deo, neq; durabilis esse tranquillitas sine veritate potest. Negari autem non potest, manifestos quosdam errores, & non leuia in Ecclesiam irrepsisse, quæ disidijs horum temporum occasionem præbuerunt. De his tantis rebus, & audire vos ecclesiarum querelas, & remedia salutaria quærere, sapientia vestra dignum est. Oramus autem Filium Dei Dominum nostrũ Iesum Christum, vt vulneribus Ecclesiæ veteribus & recentibus medeatur ipse, sicut Samaritanum illum, ait, saucio viatori opem tulisse: Qua imagine cum sese exprimeret, ostendit se affici nostris calamitatibus, & velle se nobis opitulari. Benè valete. Datæ Dresdæ Idib. Ian. anno M. D. LII. ANNO 1552.

III. Mauritij fœdus cum rege Galliæ contra Cæsarem.

Cum his litteris Mauritius eo tempore Melanchthonem & socios dimisit, velut Tridentum ituros, cum facto iam fœdere, quod inter Galliæ Regem & quosdam Germaniæ principes contra Cæsarem secreto coaluit, & pace cum Magdeburgensibus inita bellum inferre Cæsari, ac Synodum Tridentinam turbare decreuisset. Interim Melanchthonem cum socijs Noribergæ detinebat: de se verò famam excitari passus est, & publicè spargi, quasi profecturus esset ad Cæsarem,

Eius dolosa machinatio.

ANNO 1552.

sarem, qui tum OEnoponti morabatur: in qua ciuitate per suos hospitium sibi parari iussit; ne quisquam de fide ipsius & affectu in Cæsarem dubitaret. Imo tandem initio anni 1552. in viam se dedit cum honesto comitatu, velut ad Cæsarem profecturus: verum cum aliquousque processisset, itinere conuerso, redijt inopinato domum, & Melanchthonem cum socijs, qui non ignari machinationum istarum Noribergæ mandata principis expectabant, exeunte februario reuocauit. Atq; tum demum prodere cœpit mentis arcanum, & delectus militum habuit. Tanto vero astu rem hanc antea texit, tantaque celeritate postmodum vsus est, vbi palam agere cœpit, vt famam anteueret aduentu suo, eductoque exercitu Calendis Aprilis Augustam Vindelicorum obsideret; quam tertio die post deditam occupauit.

Itineri se accingit.

Camerar in vita Mel: pag. 322.

Melanchthonem reuocat. *Sleid. Sur. Chytr.*

Augustam capit.

Huius rei fama cum OEnipontem delata esset ad Cæsarem, & ad Patres, qui Tridenti conuenerant, ingens est vtrobique exorta trepidatio: atque ita Concilium denuo dissipatum fuit, Patribus ingruentis belli metu dilapsis. Cæsar autem, vt excitatam inopinato procellam declinaret, Saxone atque Landgrauio, quos quadriennio iam & amplius in vinculis habuerat, prius libertati restitutis in Italiam profectus est. Interim bellum hoc, quod propter Mauritij vehementes impetus & Galliæ Regis potentiam, qui con-

Concilium Tridentinum dissipatur.

Cæsar in Italiam vadit.

confœderatus vindicem se profitebatur germanicæ libertatis, atrox futurum putabatur, post paucos menses sopitum est. Gallus enim tribus Episcopatibus ab Imperio detruncatis, Verdunensi, Tullensi & Metensi, quasi præclarũ se Germaniæ vindicem præstitisset, exercitum reduxit. Mauritius vero, cum Landgrauium socerum è vinculis dimissum intelligeret (nam de Saxone cognato non admodum laborabat) quasi iam factus voti compos non inuitus ad pacis cõsilia descendit. ANNO 1552. Episcopatuum Lotharingiæ ad Gallum defectio. Transactio Mauritij cum Cæsareanis.

Conuenerunt itaq; Passauij Ferdinandus Rex alijq; principes, quorum industria res inter Cæsarem & fœderatos circa medium Iulij transactione quadam composita fuit. Hac pacificatione publicata, quod secundo Augusti die conscriptis, subsignatisque diplomatis tandem factum est, Mauritius copias omnes, quibus ipse cum Imperio præfuit, Donauertum duxit, easq; secundo flumine misit in Vngariam, Ferdinando Regi militaturos contra Turcam. *Camer. vbi supr. Sur. Sleid. &c.* Eius exercitus in Vngariam proficiscitur.

Verum Albertus Brandeburgicus Casimiri Ansbachici filius, qui & ipse ex confœderatis erat, cumprimum pacis intelligeret mentionem fieri, iam ante à fœderatis ad Vlmam discesserat cum exercitu, quem stipendijs gallicis conscriptum ducebat, & non Episcopos tantum Bambergensem & Herbipolensem; sed & Noribergenses magnis damnis affectos grauiter afflixit. Albertus Borussiæ Dux à pace alienus, *Camer. pag. 229.*

ANNO 1552.

flixit. Atque hæc principis illius sæuitia nouum in Germania peperit incendium; quod cum anno sequente 1553. Mauritius extinguere conaretur, in conflictu cum Alberto Germaniæ vastatore tormento manuario lethaliter vulneratus paulò post decessit. Ita factum est, vt qui fœdere coniuncti anno superiore proximo arma ceperant, ad opprimendum inopinato Cæsarem, & Synodum turbandam, ijdem ipsi nunc animis hostiliter diuulsi sese mutuis armis conficerent; scilicet vt secreto Dei iudicio illatam summo magistratui contumeliam alter in altero vindicaret. Quod dum faciunt, Mauritius quidem in ipso virilis ætatis robore globo læsus occubuit, vti diximus: Alter vero Albertus Brandeburgicus prælio superatus aufugit, & postquam ferro flammáq; in ipsis Germaniæ visceribus horrendum in modum sæuijsset, multumque hausisset innocentis sanguinis, tandem ditionibus suis eiectus, & profugus extorris, desertus ab omnibus in aliena regione vitam finiuit.

Eius Sæuitia.

Mauritij mors ex vulnere.

Iustum Dei iudicium.

Camer. pag. 331.

Albertus extorris.

Interea Cæsar, vt erat heros inuictus, impetum hunc fœderatorum excelso infractoque animo sustinuit: & Tridentina Synodus, quam oppressam penitus, & in perpetuum disipatam volebant isti, sublato Mauritio rursus coaluit, & tandem magno Ecclesiæ bono, frendentibus licet aduersarijs, feliciter absoluta fuit.

Cæsaris magnanimitas.

Concilium Trident. restauratur & absoluitur.

IV. Verum hæc obiter per occasionem: Ad vitam

vitam Melanchthonis, quam scribimus, pertexendam oratio reuertatur: Qui cum instituti sui principis nõ ignoraret, sub finem Februarij mensis, vti supra diximus VVittenbergã reuersus est, in sinu gaudens, quod ab itinere Tridentino liberatus esset. Non multo post, quam Synodus Tridentina Lutheranorum machinationibus dissipata fuit, pestis VVittenbergæ serpens & Lipsiæ, in vtraq; Vniuersitate cœtum academicum dissipauit. Melanchthon periculi vitandi causa Torgam concessit multis eum comitantibus; quo loco tantisper commoratus fuit, donec VVittenbergæ non esset à contagione periculum.

ANNO 1553. Melanchthon VVittenbergam reuertit. *Mel. tom. 2. epist. p. 258. Cam. in Vit. Mel.* Pestis Wittenbergæ grassatur.

Anno sequente proximo, qui fuit à Christo nato 1553. denuo vocatus est in Angliam, idque Regis ipsius Eduardi Sexti litteris, quæ Maio mense scriptæ fuerunt. Id cõsilio factum est quorundam, qui, dum Rex puer esset, pro arbitratu Rempublicam administrabant: quorum facilè primus erat Thomas Cranmerus, Archiepiscopus Cantuariensis, hostis Catholicæ religionis, & omnium, qui eam profitebantur, acerrimus; cuius studio schisma, quo sese Henricus Octauus ab Ecclesia Romana præciderat, in hæresin Zvvinglianam transformatum est, externæ cuiusdam hierarchiæ larua fraudulenter obuolutam. Quia vero Melanchthon ecclesiasticam hierarchiam à multis annis retinendam, atque in huiusmodi negotijs

ANNO 1553. Melanchthon vocatur in Angliam.

Th. Cranmerus autor schismatis Anglicani.

Causæ vocationis Melanch.

ANNO 1553.

tijs magnum habebat vſum, quomodo nimirum nouitia dogmata plauſibili rituum Catholicorum operimento velanda eſſent; hunc imprimis è Saxonia cenſuerunt in Angliam euocandum.

Eduardi regis Angliæ mors.

Verum paulo poſt, quam ad Melanchthonẽ litteræ peruenerunt, nempe ſexto die Iulij, Rex Eduardus ſedecim annorũ puer, adoleſcentiam vix dum ingreſſus è viuis exceſſit:

Maria Catholica ſuccedit.

Poſt cuius mortem per Mariam Henrici Octaui filiam, Cæſaris è ſorore Catharina neptem, religio Catholica per Angliam reſtituta fuit, & Regnum ipſum ad Romani Pontificis obedientiam reuocatum. Iam & in Saxonia triduo poſt, quam Eduardus deceſſit, nono die Iulij ſcilicet, Mauritius Elector globo tactus in conflictu vulnus accepit, ex quo biduo poſt mortuus eſt, vti iam ante diximus.

Mauritio ſuccedit frater Auguſtus.

V.

Cæterum quia non reliquit prolem maſculam, Auguſtus frater ipſius, qui tum apud ſocerum Daniæ regem morabatur, hæres Mauritij fuit, eiq́ue non in principatu modo, ſed & in Electorali dignitate ſucceſſit.

Io. Friderici machinę in recuperando Electoratu & eius ditionibus.

Priuſquam verò è Dania reuerſus hæreditatis fraternæ poſſeſſionem adijt, Ioannes Fridericus miſsis legatis ad Ordines, Electoratum ſibi, oblataſq́ue poſſeſſiones reſtitui poſtulabat: Nec deerant inter ſubditos, qui animis iſtuc ſatis inclinarent. Interim Auguſtus ſub initium Auguſti redijt domum, & re cum ſuis deliberata, ſubditos ditionum omnium,

mnium, quas frater moriens reliquerat, certis conditionibus in fidem suam adegit. Vbi VVittenbergam venit, Theologos & Concionatores, à quibus populum pendere non ignorabat, sibi putauit conciliandos; quod & fratrem Mauritium initio fecisse meminerat. Eos igitur perhumaniter compellat & benigne, Melanchthonem imprimis, ad quem de tuenda religione, quam hactenus essent professi, commodos sermones habuit, & ad permulcendum ipsius animum idoneos; quos Melanchthon postmodum ad alios deprædicauit. Subsecuta est inter Ioannem Fridericum, & Augustum grauis admodum & multis difficultatibus impedita disceptatio. Daniæ Rex, cuius filiam Augustus habebat in matrimonio, generi sui causam per legatos diligenter egit, cuius autoritate post diuturnam actionem eo res tandem redacta fuit, vt Ioannes Fridericus cum filijs Electoratui non modo, sed & Misniæ, atque oppidis metallicis in perpetuum renunciaret. Quo negotio confecto ipse quidem anno 1554. sub initium Martij, cum aliquamdiu decubuisset catharro suffocatus obiit: Augustus vero pacificam hæreditatis fraternæ possessionem est consecutus.

ANNO 1553. Augusti studium in deuiuciendis cõcionatoribus & præsertim Melanchthone.

Controuersia inter Io. Fredericum & Augustum Electorẽ.

Componitur.

ANNO 1554

Eodem anno, quo sublatus est Mauritius, Melanchthon quendam ex intimis amisit, Georgium Anhaltinum, præpositum Magdeburgensem, Dessauiæ mortuum ad deci-

Mors Georg. Anhaltini.

ANNO 1554.

mumoctauum Octobris; quo nullum ferè discipulum habuit obsequentiorem. Erat is ex insigni veteriq́ue principum Anhaltinorum familia natus, princeps humanus admodum, probus, & ad modestiam à natura formatus; qui Melanchthonis ductum exactè sequebatur in rebus omnibus, nec ipso inconsulto, vel in negotijs exigui momenti facere quicquam consueuerat. Administrabat ante bellum germanicum velut Episcopus diœcesim Merseburgensem in rebus ad sacra pertinentibus, Augusto Mauritij fratre politicę gubernationis curam gerente. Interim orationes, q̀uas habebat in Synodis, tum conciones ad populum maximam partem à Melanchthone præscriptas recitabat: vt Melanchthon, quanquam is nec sacris vnquam initiatus fuit apud Catholicos, nec Lutherano ritu ad Ecclesiasticas functiones ordinatus, diœcesin istam per hunc principem administrare videretur. Consultationibus de libro Augustano Georgius per Mauritium rogatus interfuit, ceu primi nominis inter Theologos; verum adiunctus illi fuit præceptor Melanchthon, qui suo nutu actiones illas omnes moderabatur. Atque hunc ille mirificè coluit per omnem vitam; & Melanchthon vicissim illum amauit plurimum, dum in humanis esset, & ex illius morte non exiguum cœpit dolorem: quem auxit obitus Iacobi Sturmij viri præstantis, & in Argentoratensi Republi-

Eius stemma.

Mancipiũ Melanchthonis.

Mors Iac. Sturmij Argentinẽsis.

publica prȩcipui, cum quo multis annis Melanchthoni necesitudo non vulgaris interceſſerat; qui cum & in Comitijs quibuſdam, vbi de religione ſuſcepta fuit deliberatio, frequenter, & ob ſententiarum conuenientiam non inſuauiter fuerat collocutus. Antecedebat ætate Melanchthonem annis fere ſeptem; & totidem annis eundem anteceſsit, communem vniuerſæ carnis viam ingreſſurus. Nam ſeptennio poſt Anhaltinum & Sturmium Melanchthon rebus humanis exemptus eſt, vt ſuo loco referemus. ANNO 1554.

CAPVT XXII.

I. *Mortuo Oſiandro, exorta inter Lutheran. certamina. conuentus Naumburgi & ſcriptum. Melanchthon in Pruſsiam vocatur obſeruans varia hoc tempore prodigia.*

II. *Melanchthonis ad aulam acciti negotia, odium in Flacian. in Lauter vvaltinum dogma & Oſiandrin. eiusq; acta in diſputatione Norinberg.*

III. *Pax religionis per Imperium. Flacian. & Melanchthonic. diſsidia.*

IV. *Melanchthonic. & Flacian. conuentus, odia, certamina, eorumq; cauſæ & origines ad longum.*

I. Mors Oſiandri.

OBIIT anno ſuperiore proximo Regiomonte Andreas Oſiander, noui dogmatis inuentor de iuſtificatione, quemadmodum ſupra diximus. At hæreſis cum illo mortua non eſt: Imo poſt autoris obitũ vi-

ANNO 1554.

Osiandrinorum in disputan- vehementia.

res sumpsit & incrementa; non in Borussia tantum, vbi princeps Albertus patrocinium præstabat Osiandrinis, sed & in Germania. Disputabatur studio partium non modo vehementer, sed & alicubi tumultuosè: Cæterum quod in eam audaciam Osiandrini proruperunt, vt liberius propugnarent nouum illud dogma, & contra Lutheranos effrenatius insurgerent, id nonnulli VVittenbergensium culpa factũ asserebant; quos sub initium, priusquam error hic in publicum prodiret, nõ considerate satis & prudenter ad interrogata quædam respondisse dicebant, & hæreseos autori plusculum concessisse: quem si paulò seuerius infrenarint atq; repressérint, caueri potuisse, ne malum illud in tantam se diffunderet amplitudinẽ. His spargendis Melanchthonem notabant imprimis, à quo constat Osiandrum initio paulo mollius habitum, vti supra diximus. Quæ causa fuit, vt cum postmodum in pugnam esset prodeundum, paulo timidius, & plane restitantis instar in aduersarium tela torqueret. Nunc vero cum malum serpsisset longius, & passim incrementa sumpsisset, visum fuit anno sequente 1554. vt ad sedandos motus domesticos, maximè vero ad sopiendum disidium, quod in Borussia per Osiandrum erat excitatum, Naumburgi Synodus haberetur: ad quam ex pleriscq; Germaniæ prouinciis Lutherani doctiores conuocati fuerunt.

Camer. pag. 336.

Eius culpa in Wittenbergenses reiecta.

Mel. ep. ad Cam. p. 626

Naumburgum conuentus indicitur.

Dis-

Displicuit institutum hoc Melanchthoni, quod metueret, ne Flacius Illyricus istuc accederet, aliique factionis istius rigidiores Lutherani, quos vehementer oderat: quam rem ad amicos non dissimulauit. Proficiscendum tamen fuit ad Synodum hanc, quia nouus Elector Augustus ita voluit mandauitque. Venit itaque mense Maio Naumburgum, Ioanne Forstero Theologo Lutherano Hebraicæ linguæ professore comitatus. Lipsiâ venit Alexander Mesius Scotus, charus imprimis Melanchthoni: ex Hassia Adamus Crafftus; alij aliunde. Argentoratenses Ioannem Sleidanum miserunt, historiæ scriptorem, hominẽ sacramentarium. Misit & VVirtenbergicus Princeps quosdã, qui cum Gotham vsque peruenissent, quod est Thuringię oppidum, regressi domum reuerterunt, incertum quam ob causam; nisi quod forte reuocarentur à principe, vel ipsi de dissidiis Lutheranorum componendis desperarent; vel quod Osiandrum forsan intelligerent in ea conuentione damnandum; cui Brentius secreto patrocinabatur: Vbi Naumburgum cæteri conuenerunt, res tentata quidem fuit; sed euentus conatui nõ respondit. Consarcinarunt scriptum quoddã, in quo breuiter tractata fuerunt ea, de quibus tum maximè controuersabatur. Hoc chartaceo glutine dissidentium animos coniungere nitebantur. Verum nihil effectum est, fuitque conatus hic omnis frustra.

ANNO 1554.

Melanchthon. trepidatio.

Eius aduentus Naumburgum.

Camer. pag. 338.

Item Mesij.

Crafti.

Io. Sleidani historici.

Brentius Osiandri assecla.

Scriptum Naumburgicum.

In ep. ad Cam. p. 686.

ANNO 1554. Melanchthon in Prussiam euocatur.

Vocauit eodem anno Melanchthonem Borussiæ Dux Albertus, Osiandrini certaminis gratia: cumq; ille non veniret, idem princeps Augustum Electorem nouum per litteras interpellat, rogatque, ne per suos Osiandrini dogmatis in concionibus scriptisq; publicis odiosam deinceps mentionem fieri patiatur.

Prodigia.

Camerar. in vita Mel. pag. 339.

Nunciata sunt hoc tempore multa prodigia, quæ Melanchthonem non parum terruerunt. Cœlum in Silesiâ visum ardere: exercitus alicubi conspecti fuerunt in aëre, velut parati ad conflictum; pluit multis locis sanguine: Ad Ansbachium in Francônia vir supra Solem apparuit, effundens cruorem in Solem ipsum, & in aquilam conantem altius volare, & in virum astantem equo. Haud procul VVittenberga ceruus apparuit in excelso monte, è regione Sol cruentus per medium visus diuidi, partesque eius dilabi ad diuersa loca; & postea exercituum dimicantium species visa: In oppido Thuringiæ, quod Nebram vocant, puellam natam aiunt, quam flamma ex vtero materno erumpens, interemerit.

In ep. ad Cam. p. 339.

II. Melanchthon ad aulam vocatur. Tria capita deliberationis.

Eodem anno Melanchthon cum quibusdam alijs ab Electore vocatus est ad aulam, vbi tria quædam illis ad deliberandum proposita fuerunt; de instituenda nimirum Visitatione, de Consistorijs; & de Scholæ Misenensis augmento. Ad Visita-

sitationem quod attinet, de eius forma modoque Melanchthon quædam commentari iussus, confecit scriptum; quod in consessu lectum fuit, & præsentium assensu comprobatum. Quanquam ipse ab huiusmodi negotio totus erat alienus; quod non ignoraret, Flacianos passim inter pastores inueniri; quos vt odio satis acerbo prosequebatur, ita vicissim ab ijs, velut hostibus suis acerbissimis vehementer sibi metuebat. Fugit itaque congressum illorum, quantum potuit, nec quicquam cum illis habere voluit commune. Cum verò sub initium anni sequentis vrgeretur, impositа fuit illi necessitas, vt iret: Quanquam fecit hoc inuitus, & repugnante genio, nihil dubitans, quin nouum sibi crearet negotium, & crabrones Flacianos irritaret. Qua de re mentis arcanum prodit ad amicum quendam ex intimis: Cohorresco, inquit, cogitans de illa toties flagitata inspectione, de qua accidit nobis, quod dicitur: ἀνδρὶ λυδῷ οὐκ ἦν πραγματα, ἀλλ' αὐτὸς ἐξελθων ἐπριατω. Homini Lydo non erant negotia; at ille egressus hæc est mercatus. Hæc Melanchthon ad Camerarium pridie Idus Ianuarij.

ANNO 1554.

Melancht. odium erga Flacianos.

Ann. 1555.

Ibid. p. 688.

In ep. sel. pag. 424.

Erat in Pannoniâ quidam inter Lutheranos concionatores, Matthias Lautervvaldt (Holylum græco nomine Melanchthon appellat) qui disidere cœpit à reliquis in doctrinâ de Iustificatione: Quanquam interim nec Osiandri, nec Stancari sententiam seque-

Matthiæ Lautervvaldt dogma.

ANNO 1555.

batur. Asserebat veram contritionem, & renouationem spiritus, adeoque nouam obedientiam ad iustificationem hominis requiri: Axioma verò Lutheranum, quo dicitur hominem iustificari sola fide, non repudiabat modo, ceu falsum, sed & contumeliosis vocibus explodebat, cloacam appellans Antichristi. Erat is homo felici quidem argutoque ingenio, sed pugnaci: cumque sententiam suam in ciuitate Eperiensi publicè profiteretur, à vicinis quibusdam concionatoribus reclamatum fuit: quæstio verò ipsa, de qua disputabatur, ad VVittenbergensis academię iudicium reiecta: Cuius nomine Melanchthon hoc anno breue confecit scriptum; in quo sententiam Holyti damnat velut repugnantem doctrinæ VVittenbergensium, & à monachorum corruptelis, vt loquitur, (à doctrina Catholicorũ) re ipsa nihil differentem: autorem verò, nisi resipiscat, per Senatum Eperiensem decernit ab euangelico ministerio remouendum. Ita censuit Melanchthon; qui vt viuentem Holytum oderat, ita paulò post mortuum venenato sarcasmo prosecutus est, Matthias Holytus, inquit, nuper mortuus, fortasis iam in cymba cum Charonte disputat.

Axioma Luth. de iustificatione, cloaca Antichristi.

A Melãchthone exagitatur.

In epist. ad Cam. p. 690

Cæterùm huiusmodi controuersiæ plures per hoc tempus inter Lutheranos passim suppullularunt; vt fit, adeoque fieri necesse est inter eos, qui contempta Ecclesiæ veteris

Fœcunditas hæresum inter Lutheran.

ris autoritate, ruptisque obedientiæ vinculis genij sui Sathanæque ductum sequuntur. Non de ijs loquimur disceptationibus intestinis, quas Adiaphoristæ, Flaciani, Maioristæ, Osiandrini, Synergistæ, Stancariani scriptis aduersarijs publicè fouebant; sed de disputationibus quibusdam alijs concionatorum petulantia passim emergentibus, quas Melanchthon in fomite scintillantes extinguere conatus est, priusquam in publicum incendium erumperent: Cuius generis fuerunt controuersiæ, quæ in Academiâ Pomeranica, in ciuitate Gottingensi, Northusana, Ratisbonensi, Stetinensi & alibi per concionatores excitatæ sunt, quas politici ciuitatum magistratus ad Melanchthonis iudicium retulerũt. Ea verò res summas illi molestias magnosque labores peperit; non raro etiam odium atque inuidiam conciliauit. Itaq; cum aliquando post multas huiusmodi scriptiones de quadã, quæ Stetini mota erat controuersia iudicium suum perscripsisset, quasi tædio victus altercationum istarum ad Camerarium suum in hæc verba prorumpit: Non poeticæ carnificinæ apud inferos pares sunt meæ carnificinæ, qua excrucior scribendis disputationibus, legibus, præfationibus, epistolis.

ANNO 1555.

Molestiarũ Melancht. acerbitas.

In epist. ad Cam. p. 702

Post Synodum Naumburgensem, in qua Melanchthonem cæterosque, qui conuenerant, de componendis Lutheranorum dissidijs intestinis frustra laborasse diximus,

Osian-

ANNO 1555.

Dogma Osiandri recrudescit Noribergę.

Osiandrinum certamen Noribergæ cumprimis vehementer recruduit. Vixerat in hac vrbe multis annis Osiander, priusquam in Borussiam aufugeret, & semē hæreseos quorundam animis inseruerat, qui præceptoris iam mortui sententiam magna contentione, summoque cum feruore tuebantur. Nec deerant è Lutheranis, qui se fortiter illis obijcerent. Atque hæc contentio in tantum ardorem efferbuit, vt ad gladiatorum morem inter se dimicare viderentur: Quam pugnam cum Senatus in Republica sua nequaquam diutius ferendam putaret, Melanchthonem aliosque nonnullos, quorum erat inter Lutheranos insignis autoritas, Noribergam euocat, vt dissidentes concionatores ad concordiam redigerent, sopirentque fœdum illud certamen. Venit istuc Melanchthon Augusti principis Electoris permissu; qui & ipse sopiendi dissidij erat cupidissimus. Adduxit secum Alexandrum Alesium Scotum, & Ioachimum Camerarium, academiæ Lipsiensis professores; tum Iacobum quendam Rungium Pomeranum, qui tum fortè domi ipsius hospitabatur. Expectatus fuit & Ioannes Brentius: Verū is excusauit sese datis litteris, quibus de controuersia mentem suam exposuit.

Certamen vtriusque partis vehemens.

Melancht. Noribergā venit, ratione certaminis.

Cōsil. Theolog. Mel. pag. 208.

Brentius consulto renuit venire Noribergam.

Fauebat Osiandro Brentius; quem affectum biennio post in Colloquio VVormatiensi non obscuris indicijs declarauit; vt infra dicemus. Itaq; cōsulto abstinuisse videtur

ab hoc

ab hoc conuentu, ne vel offendere Melanchthonem, vel Osiandrum non tueri cogeretur: Alterutrum enim in illo congressu faciendum videbat. Vbi Melanchthon cum socijs Norinbergam venit, actum est cum concionatoribus, & prolixè varieq; disputatum de Iustificatione; nec vna fuit omnium sententia. Inuentus inter concionatores senex quidam, qui Christum asserebat iustificare per accidens. ANNO 1555.

Post multam disceptationem Melanchthon more suo scriptum cõfecit stilo ad eum modum temperato, vt Osiandrinos verbis acrioribus non irritaret; vt erat molliendi sermonis stiliq́ue cum vellet ad lenitatem temperandi magnus artifex. In hoc scripto suam & VVittenbergensium sententiam exposuit de iustificatione, quam contra Osiandrum pridem defenderat; & argumenta partis aduersæ diluit. Deinde concionatoribus mandatum fuit à Senatu, vt probarent scriptum hoc, & assensum subiectis nominibus testarentur. Paruerunt plerique: Duo tamen ex Osiandrinis concionatoribus, qui se profitebantur à sententia non discessuros, detrectarunt subscribere: quam ob causam solum vertere iussi Norinbergâ discesserunt. Itaq; Melanchthon præsidio magistratus politici de reliquijs Osiandrinis in ea ciuitate triumphauit, is ipse, quem Osiander, dum viueret, ante paucos annos miserandum in modum protriuerat & conculcarat.

Disputatio Theologorum Norimbergæ.

Melancht. scriptum cudit.

Ei subscribitur.

Hæc

ANNO 1555. III.

Pax Religionis per Imperium. *Cam. in v. Mel. p. 351.*

Hæc acta fuerunt Norinbergæ ann. 1555. quo eodem in Comitijs Augustanis factum est decretum illud, quo pax per Imperium certis conditionibus inter Catholicos & Lutheranæ professionis Ordines sancita fuit, quam Pacem religionis appellamus. Vbi domum redijt Melanchthon, sæua denuò tempestas per Flacianos in ipsum concitata fuit.

Flacianorũ machinæ in Melãchthonem. *Cõsil. Theol. to. 2. p. 257.*

Erant hi proximis annis facti potẽtiores, nec vulgus modo partibus suis habebant addictum, sed & principum quorundam animos fraudulenter occuparant: Quæ res Spiritus illis maiores addidit, fecitq; ad quiduis moliendum audaciores. Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, quem Cæsar electorali dignitate spoliatum de gradu deiecit, huic factioni vehementer erat addictus. Itaq; cum libertati restitutus ad filios redijsset; quod an. 1553. factum diximus, patrociniũ Flacianis deinceps præstitit; cuius iudicium multorum animos illis conciliauit. Tantus verò principis illius affectus erat in huius farinæ Lutheranos, vt decumbens an. 1554. quo mortuus est, Nicolaum Ambsdorffium, qui post Flacium inter huius sectæ coryphæos præcipuus erat euocaret, ab eoq; viam sibi demõstrari vellet in extremis, cum esset è corpore migrandũ. Audaciores igitur facti Flaciani Synodũ flagitabant, in qua Melãchthonem cæterosq; molliores Lutheranos, qui sese in consultationibus de libro Augustano paulò moderatiores exhibuerãt; ad cẽsuram reuocatos in ordiné redi-

Ioan. Frid. Saxo mancipium Flacij.

Flaciani Synodum flagitant.

Ad castigãdos Melanchthonicos.

redigerent: Quæ causa fuit cur Melanchthon ad eum modũ cõtremisceret ad synodi mentionẽ, & Flaciũ eiusq; gregales odio perquã acerbo prosequeretur. Illi vero magnis importunisq; clamoribus vrgebant Synodũ, ad quã conuocari volebãt oẽs, qui cõfessionem Augustanã, vel doctrinã à Luthero traditam profitebãtur. Ab his verò Synodicâ cẽsoriaque autoritate cõtrouersiã aiebãt discutiẽdã, quæ inter Melãchthonem & Flacium agitabatur, & sententiam auditis vtriusq; rationibus pronunciandam: Quod si fieret, Flaciani de Melãchthonicis Adiaphoristis certam victoriam magna cũ fiducia sibi pollicebãtur. ANNO 1555.

Actum verò fuit hoc negotium non apud eos modo principes, qui Flacium eiusq; gregales tuebantur, sed & apud Augustum Electorem Saxoniæ, qui licet magni faciebat Melanchthonem, non alienus tamen ab indicendâ huiusmodi Synodo videbatur; vt semper princeps ille pacis atque concordiæ fuit amantissimus; cumque eam inter Lutheranos per Synodum instaurari posse desperaret, rem per colloquia paucorum sequentibus annis tentandam censuit. Verùm cum nec ista via negotium succederet, tandem scribendæ concordiæ, perque Germaniam circumferendæ consultor fuit: Quod consilium quomodo cesserit, posteriorum temporum historia testatur. Varia principum Lutheranorũ consilia in sedandis tumultib⁹ doctrinæ suæ.

IV. Melãchth. conatur Synodum dissuadere.

Intereà terruit Melãchthonem Flacianorũ ardor, Synodum tanto studio flagitantiũ: Ideoq;

ANNO 1555.

Ideoque tergiuersatus est, quantum potuit, & negotium iniectâ morâ suspendit. Atque id dissimulanter quidem. Neque enim quod Synodi iudicium defugeret, publicè fuit ausus profiteri: Quanquam rogatus aliquando sententiam, an scilicet conuocandam censeret Synodum ad quam docētes in Saxonicis alijsque Lutheranorum ecclesijs omnes conuenirent, apertè dissuasit; quod hæc ipsius verba testantur: In aulâ deliberationes sunt, inquit, εἰσύνοδος πάντων διδάσκαλων ἐν σαξονικαῖς ϗ ἄλλαις ἐκκλησίαις συγκροτητέα! An Synodus omnium docentium in Saxonicis & alijs Ecclesijs conuocanda sit? Idque petit dux Charitinorum & Palatini; & arbitror τὸν λάσκιον autorem esse huius consilij. Ego Laconicum illud ὄυ respōdi. Hæc Melanchthon non ignorans de capite suo futura comitia, si coiret Synodus. Intereà Flaciani feruebant, adeoque æstuabant in hoc negotium, & quos in manibus habebant principes, in eam partem incitabant. Cumque rem viderent diutius extrahi, quam ferret ipsorum ardor summumque desiderium, ipsi cōuentum habuerunt, ijs tantum vocatis, qui contra Melanchthonem eiusque socios Flacium ducem sequebantur.

In epist. ad Cam. p. 679

In epist. ad Cam. p. 712

Ann. 1556. Conuentº Flacianorum.

Innotuit hoc statim Melanchthoni, qui nutus & actiones istius omnes lynceis oculis obseruabat; nec quid de hoc conuentu cogitaretur, ad suos dissimulauit. Dū aulæ de Synodis deliberant, inquit, iam συγκροτήθηκά βλα-

Ibid. p. 700 Melancht. opinio.

βλακικὴ σύνοδος, coacta est Flacica Synodus: In qua, quid decretum sit, nondum scio, nec curiosè inquiro. Existimo enim κεφάλαιον τιμωνικὸν caput timonicum esse: Quicquid agent alij, cõiurabunt se turbaturos esse; nec tamen de vlla re magna differunt, sed de licentia vulgi amplificanda excitabunt χροτοθορύβους, plausibiles tumultus. Hæc tristissima confusio Ecclesiæ tantum mihi dolorem affert, vt libenter ex hac vita discessurus sim: Ac video me non procul à meta abesse. Perferuntur ad me etiam atroces sermones magnatum quorundam, qui etsi à Sycophãtis incenduntur, tamen suo fortasse etiam odio ardent. ANNO 1556.

Melancht. monetur de resipiscentia à Flacianis.

Hæc Melanchthon 7. Februarij an. 1556. ad Camerarium. Ne verò Flaciani vel minus humani viderentur in præceptores suos, vel erga illos parum grati, Melanchthoni velut in errorem prolapso gratiam offerebant & reconciliationem, si modo resipiceret, seque deliquisse grauiter ex ipsorum præscripto fateretur. Et Flacius quidem, vt Melanchthonem ad pœnitentiam adduceret, postulauit colloquium, accessitque propius, & Cosvvicum eum euocauit; quod est oppidum Saxoniæ non procul VVittenberga distans. Ille verò cum Flacio solus in colloquium venire recusauit; quod homini parum fideret, eumque putaret occasionem captare, vt post collationem hanc nouas theatro suo fabellas venditaret. Ventum tamen

Cosvvicũ à Flacio euocatur, ad priuatum congressũ.

ANNO 1556. *Schlusselb. in catal. haeret. li. 13.*

est ad colloquium, cuius acta postmodum typis diuulgata fuerunt. Interim nihil effectum est; nisi quod Flacius eiusque gregales in Melanchthonem & reliquos Adiaphoristas euangelij desertores, vt loquebantur, grauiter exarserunt.

Ad disputationem publicam inuitatur.

Cùm hac via nihil efficerent, ad publicam disputationem prouocarunt; A qua Melanchthon propter iniquas cõditiones à Flacianis propositas, vt dicebat, non minus, quam à Synodo abhorruit. Imò fractus animo elanguit, cùm hoc dirimendæ controuersiæ medium aduersarij proponerent; quod hæc ipsius ad Camerarium verba testantur: Languefacit me cupientem vobiscum proficiscí metus disputationum περὶ διαλλαγῆς cum Polyphemi filijs (Flacianis) qui eas mihi leges ferunt, quas Deo iuuante non accepturus essem, etiamsi in latomias eundum esset. Non recuso ex hac regione discedere, quandocunque Deus volet &c.

In epist. ad Cam. pag. 708.

Igitur cum Flaciani se reijci viderent atque contemni, quascunque demum proponerent diffidij componendi rationes, ad arma denuò conclamatum fuit in Melanchthonem, & Melanchthonicos Adiaphoristas, Interimistas, Maioristas, Synergistas; in quos Flaciani calamo simul & lingua vehementer debachati sunt, eosque plaustris conuitiorum obruerunt: Nec aliter cum illis actum fuit, ac si fide penitus abnegata

Cum suis exagitatur à Flacianis.

causam

causam euangelij prodidissent, & portenta nebulonum essent in vltimas terras deportanda. ANNO 1556.

Ominatus hanc tempestatem fuerat Melanchthon sub initium huius anni, quem ob domesticas concionatorum rixas atq; cõtentiones infaustum omninò futurum prędixerat. Ego, inquit, & magnos principum motus, & docentium rabiem maiorem metuo: Nec solum positu astrorum moueor, sed etiam ipsis παρασκευάς. Hæc Melanchthon: Quem hanc ob causam potissimum Flaciani tam crudeliter flagellabant, & acerbis criminationibus insectabantur, quod an. 1548. & 1549. consultationibus interfuit de libro Augustano per Mauritium institutis, quas isti nihil aliud, quam defectionem ab euangelio, & papatus, vt loquuntur, restitutionem integram fuisse clamitabant. Id Flacius odiosè passim inculcat, & prolixo quidem verborum ambitu, eadem frequenter repetens ad fastidium vsque. Vt vero probet, quod de restitutione papatus asserit, varijs ad persuadẽdum rationibus vtitur; quarum nonnullas, & præcipuas quidem subiũgimus ex ipsius libello depromptas, quem Narrationem actionum certaminumq; suorum inscribit.

In epist. ad Cam. p. 698

“
“
“
“

Causæ odij.

Variæ rationes Flacij de restituto papatu.

Principio religionis articulos omnes in actionibus per Mauritium institutis, cum Episcopis Catholicis tandem cõciliatos fuisse dicit, Canone tantum excepto; Neque verò

1.

ANNO 1556. Episcopos Theologis Lutheranis, sed hos illis in omnibus dogmatibus cessisse; quemadmodum ex actione Gutterbocensi notum sit, tum ex Lipsiensi decreto, quod post varias deliberationes loco conclusionis promulgatum constat. Deinde quatuor Canones facit, ex ipso Missicarum actionum progressu serieque formatos, ex quibus hoc ipsum dicit euidenter demonstrari posse.

2. Canones quatuor ex Missica actione collecti.

1. Primus est, cùm Mauritius Ordinibus in conuentu proponeret libellum Augustanum, deque eo recipiendo mandatum Cæsaris adiungeret, Melanchthonem cæterosque sententiam rogatos respondisse, morem gerendum Cæsari, quantum eius fieri posset, atque ita agendum in hac causa, vt Cæsar intelligat, & innotescat publicè, principem cum suis omnibus esse pacis atque concordiæ & tranquillitatis amantem: nec se quidem hac in parte officio defuturos.

2. Secundus Canon est, Restituendos esse ritus omnes vsitatos in Ecclesia veteri,

3. quos hactenus Catholici retinuerint. Tertius, Theologos, ait, in fine decreti vel Interim Lipsiensis polliceri, quod vnà cum Episcopis scrutari velint scripta Sanctorum Patrum, & ex eorum sententia negotium hoc transigere. Atque inde natam ait Ordinationem ecclesiasticam, totum chaos (vtor verbis Flacij) papisticorum rituum continentem, quæ concionatoribus anno 1549. in autumno Lipsiam euocatis prælecta fuerit.

rit. Quartus Canon est, Episcopos Lipsiæ de recipiendo decreto interpellatos respondisse, imò publicè protestatos esse, se decretum illud & declarationem Ordinum in eam partem accipere, quod obtemperare velint Cæsari, & librum Augustanum recipere; quodque ea, quæ in decreto Lipsiensi breuiter & obscurè dicta sint, iuxta librum Augustanum sint declaranda. ANNO 1556. 4.

Hos quatuor Canones ex actis publicis formatos, velut axiomata Flacius ponit, ex quibus hanc infert conclusionem, quam ipsius verbis eloquar: Hæ quatuor regulæ "totum papatum, quantus quantus est recipiunt & comprobant. Vnde porrò concludit Melanchthonem, cæterosque qui actionibus istis interfuerunt, factos apostatas, euangelioque deserto ad papistarum castra transfugisse. Quanquam conclusio hæc paulò laxior est, & plus comprehendit, quam ex actionibus per Mauritium susceptis inferendum erat. Nec enim Melanchthon omnia Ecclesiæ Romanæ dogmata probauit, canone tantum excepto: Imò ne id facere videretur, non semel protestatus est, sese ab Augustanę Confessionis doctrina nequaquam discessurum. Flacij ex his canonibus illatio. *Schlusselb. li. 13. hær. pag. 822.* Flacij mẽdacium.

Atque hæc causa fuit, cur repudiato, quem recipiendum vrgebat Cæsar, Augustano libro, nouum quendam eiusdem argumenti conficerent, quem Flaciani Lipsicum Interim nominatur. Augustanꝰ liber à Flacianis, Lipsicum Interim nominatur.

ANNO 1556.

ſicum Interim per contumeliam appellant: Is verò non per Theologos, ſed per politicos conſiliarios quoſdam, Carlouitium imprimis & Cimmerſtadium viros doctos, conſarcinatus fuit, eodem capitum ordine ſeruato, quem ſequitur liber Auguſtanus; verbis autem & phraſibus eo temperamento concinnatis, vt de dogmatibus, Canone tantum excepto, nihil diuerſum ab Auguſtano libro continere videretur. Atque is liber cum probaretur in Conuentu Lipſienſi (in quo nobiles & ciuitatum incolas ad mille præſentes fuiſſe dicuntur) Melanchthon, cæteriqúe concionatores proteſtati ſunt ſcripto quodam exhibito, probare ſe decretum, vel ſcriptum Lipſicum non in alio ſenſu, quam pridem à ſe declarato. Epiſcopi contra eidem decreto ſe dicunt aſſentiri, non alia conditione, quam vt iuxta mentem Cæſaris in Auguſtano libro declaratam, intelligatur. Igitur decretum Lipſienſe cothurno ſimile fuit; cuius verbis vtrique mentem ſuam eloqui ſe profitebantur; cùm interim ſententijs inter ſe toto cœlo diſſiderẽt. Melanchthon verò, quem apoſtaſiæ Flaciani reum faciunt, atque transfugij ad Eccleſiam Romanam, eam ob cauſam probrum illud & calumniam pertulit, quod de dogmatibus loquendi formam admitteret apud Lutheranos inuſitatam, tametſi ſenſum Auguſtanæ Confeſsionis retinebat; & ritus Catholicos recipi pacis ſtudio, periculique vitan-

Proteſtatio Melãchth.

Lipſienſe decretum cothurno ſimile.

Melancht. quare proditæ veritatis reus.

vitandi gratia non dissuaderet. Atq; hoc certamen durauit, quam diu Melanchthon vixit; quem Flaciani, velut canes in rabiem acti continuis conuitiorum latratibus ad sepulcrum vsque sunt prosecuti; nec aliter tractarũt miserum Melanchthonem, quam Lutherus Pontificem Romanum, omnesq; põtificios sibi tractandos decreuit, quos se conuitiorum cõtinuo strepitu, velut sono campanarum, ad sepulcrum vsque prosecuturum minatur. Imprimis autem Flaciani rerum suarum satagebant in Thuringia, ijs locis, quæ Saxonię ducibus Ioannis Friderici filijs parebant. Vbi hoc ann. 1556. de libris VVittenbergensiũ prohibendis in conuentu concionatorum deliberatum fuit. Qua de re, tum de intolerabili Flacianorum petulantia, Melanchthonis ipsius verba subiungo: Deliberandum tandem nobis erit de reprimenda istorum infinita petulantia: Etsi crucior alijs longè maioribus doloribus. Et paulò infra: Fortassis tandem & harum calumniarum seu ineptiarum satietas veniet. Ante inspectionem Ecclesiarum in Tyrigetis lex rogata est, vt mandaretur, ne libri hic editi legerentur: Sed intercessione duorum veterum amicorum abolita est. Sneppius & Menius responderunt se non assentiri, & potius discessuros esse ex tota ditione.

ANNO 1556.

Flacianorũ machinatio de prohibendis libris Wittenbergẽsium.

In epist. ad Cam. p. 710.

ANNO 1557.

CAPVT XXIII.

I. *Comitia Ratisbonæ. conuentus Francofurtensis Lutheran. itemq; VVormatiensis.*

II. *Colloquium inter Cath. & Lutheran. dissidia inter Lutheranos VVormatiæ.*

III. *Melanchth. Heidelbergam abit, vxore paulò post orbatus.*

V. *Acta VVormat. inter Flacian. & Melanchthon. itemq; staphylum. miseriæ Melanchthonis perpetuæ.*

V. *Odia & dissidia inter Flac. & Melanchthon.*

I. Comitia Ratisbonę, Ann. 1557. Decretum.

ANNO hoc exeunte conuentus Imperij Ratisbonæ fuit; qui in sequentem vsq; 1557. protractus tandem sub æquinoctium vernum finem habuit. In eo decretum inter cætera, vt ad 14. Augusti VVormatiæ colloquium inter Catholicos & Lutheranos ad dirimendas religionis controuersias haberetur. Quia verò Lutherani fœdè distracti grauissimis inter se disidijs laborabant, ante congressum publicum domesticas primum concertationes sopiendas censuerunt: Nesi VVormatiæ manipulatim disiuncti prodirent in scenam, ludibrijs & sannis ab aduersarijs exciperentur.

Chyt. in Sax. p. 553. Conuentꝰ Lutheranorũ Francofurti ad Mœnum.

Itaque concionatores aliquot principum & ciuitatum Lutheranæ professionis in Germania superiore Francofurtum conuenerunt ad Mœnum; vbi duabus de rebus

rebus potiſsimum inſtituta fuit conſultatio : De Colloquio nimirum; quod VVormatiæ cum Catholicis habendum erat; quomodo ſcilicet aduerſarijs in eo congreſſu ſit occurrendum : tum de generali Lutheranorum Synodo poſt Colloquium indicenda, in qua de controuerſiijs domeſticis, de diſciplina, deque inſtituenda rituum eccleſiaſticorum conformitate deliberatio ſuciperetur. ANNO 1557.

Lutheranorum ſtudium in ſopiendis diſſidijs domeſticis.

Cæterum quia non ignorabant, quam turpiter inter ſe diſiderent ij, qui Confeſsionis Auguſtanæ doctrinam profitebantur, duabus ferè ſeptimanis ante diem inchoando colloquio deſtinatum VVormatiæ conueniendum ſtatuunt, tentandumque an ſopire poſſent domeſticas concertationes, vel eaſdem inſtituto ſyncretiſmo tegere ſaltem ad tempus, priuſquam cum Catholicis congrederentur. Videbant enim, niſi diſsidia quæ gliſcebant, quoquo pacto vel in ſpeciem cõponerentur, ſeſe non Catholicis modo, ſed & vniuerſæ Germaniæ ludibrio futuros : quod & poſtmodum euenit, vbi per Flacianos detecta fuit ipſorum turpitudo.

Conuentus Lutheranorum VVormatiæ.

Conuenerunt igitur plerique VVormatiam maturè ſatis, ad Calendas Auguſti ſcilicet; quemadmodum Francofurti fuerat cõſtitutum. At Melanchthon & ſocij, quos Elector Saxo ad hunc congreſſum miſit, integro menſe poſt, ſub initium Sept. ſcilicet, VVormatiam primum appulerunt. Detentum aiunt ab Electore Principe, qui profe-

Surius in com. pag. 500. 501.

ANNO 1557.

fecturus dicebatur in Daniam ad Regem socerum, & Melanchthonem secum ducturus. Quanquam & ipse totus abhorrebat ab huiusmodi congressibus: Imprimis, quia nouerat ad Colloquium hoc è Flacianis venturos quosdam, futurumque, vt non ipse modo reuocaretur ad censurã, sed & fœda Lutherani corporis carcinomata tangerentur: quæ sciebat exasperari posse si tangerentur; sanari tamen non posse. Itaque tergiuersatus est, quamdiu potuit, iter in Daniam causatus; ad quod cum non assumeretur, tandem mandatu Principis VVormatiam fuit eundum: quo per Ludouicum Neogardensem Comitem deductus est, quem Elector ad hæc Comitia legatum misit.

Nomina Flacianorum.

Inuenit istuc præsentes, quos Saxoniæ Duces Ioannis Friderici filij miserant, Erardum Sneppium, Victorinum Strigelium; Ioannem Stösselium, & his coniunctos Ioachimum Morlinum, & Erasmum Sarcerium, Illyricanæ factionis homines; tum Ioannem Brentium à Duce VVirtenbergico missum, vt actioni interesset. Et quia tardius venit Melanchthon, vti diximus, de componendis altercationibus domesticis ad eum modum agi non potuit, vti res ipsa postulabat. Priusquam tamen factum est actionis initium, legati principum Lutheranorum politici conuocarunt omnes illius partis concionatores, qui VVormatiam conuenerant, eosque monuerunt paucis, vt parati essent ad Congressum;

ſum; vtq; in Colloquio modeſtè cumprimis & perſpicuè ſententiam ſuam explicarent. Deinde Ducum Saxoniæ fratrum legatus Baſilius Monnerus, Flacij mancipium oratione prolixa de varijs erroribus diſſeruit poſt bellum Smalcaldicum ſubintroductis, quibus Auguſtanæ Confeſsionis puritas cõtaminata ſit, & doctrina corrupta. Hos autem errores primum damnandos eſſe, atque anathematis falce reſecandos, reſtituendãq; domi concordiam, priuſquã cum aduerſarijs congrediantur. Hæc cũ longo verborũ ambitu peroraſſet principum ſuorum nomine, ſurgit Sneppius, ſeque dicit ab ijſdem principibus in mandatis habere, vt communibus ſuffragijs anathemate feriantur damnenturque ſectarij quidam, Zvvingliani ſcilicet, Oſiandrini, Maioriſtæ & Adiaphoriſtæ.

ANNO 1557.

Monneri diſſertatio.

Sneppij poſtulatũ de anathematizandis hæreticis.

Perculit hic ſermo Melanchthonem, qui cum Adiaphoriſtarum caput eſſet, quorſum ſpectarent iſta, facile videbat. Itaque cum ſociis tergiuerſari cœpit, iniquum eſſe dicens, vt damnentur diſſentientes, cauſa non prius cognita. Cum vero Saxonici Vinarienſes principum ſuorum mandato ſibi dicerent inſiſtendum, reſpondit Melanchthon, ſi damnandi ſint errores, articulos condendos eſſe, in quibus quid probandum ſit, quid improbandum præcisè definiatur. Nec Zvvinglianos tantum notandos anathemate, ſed & papiſtas, Antinomos alioſque: quin & Flacianorum mendacia damnanda. Addit ſi per Fla-

Melanchthon perculſus tergiuerſatur.

Eius opinio de anathemate.

ANNO 1557.

Flacianos ipſe reijciatur, ſe lubentem ab ipſorum congreſsibus abfuturum. Interim pauciores nunc ait eſſe præſentes, quam vt huiuſmodi articuli cum inſertis damnationibus ſcribi poſsint. Rem hanc magno cum periculo coniunctam videri, cum tanta ſit multorum rabies in reprehendendis alijs.

Sneppij replica.

Hæc Melanchthon. Sneppius vero probauit iſta quidem, quæ de periculo Melanchthon dixerat, ſi articuli ſcriberentur. Interim mandatum eſſe dicit ſuorum principũ, ne cum Pontificijs in arenam deſcendant, niſi ſectarijs, quos antè diximus, anathemate prius ab Auguſtana Confeſsione reſectis.

Brentius reijcit anathema latũ in Oſiandrum.

Brentius vero prorſus aſſentiri noluit, vt Oſiander damnaretur; quod ſcripta hominis in alienum ſenſum à mente ipſius torqueri diceret. Legati politici cum turbas oriri cernerent, re deliberata controuerſias ad futuram Lutheranorum Synodum reijciendas cenſuerunt: Interim nunc coaleſcendum quoquo pacto, cauſamque contra pontificios communi ſtudio concorditer agendam, cauendumque ne qua fiat diſtractio; alioquin futurum, vt ſe deridendos aduerſarijs, & anathemate feriendos obijcerent. Idem per litteras monuit Elector Palatinus: Interim legati Ducum Saxoniæ Vinarienſium, qui Flacianæ factionis erant, & principum eorundem Theologi, congreſſum cum aduerſarijs omnino recuſabant, niſi mandatis ſatisfieret ſuorum principum, & anathemata ſcri-

Politicoruu interuentus.

Flacianorũ acerbitas in anathematis ſcriptione.

beren-

berentur; Sneppio interim ob distractionem hanc vbertim lacrymante. Post longam & turbulentam altercationem placuit tandē, vt scriptæ condemnationes, & anathemata sectarum, quas Sneppius reijci postularat, non præsidi, nec Catholicis ludibrij vitandi gratia, sed legatis Lutheranorum principum exhiberentur. Hoc pacto futurum putabant, vt & mandatis satisfieret ducum Vinarienſium; nec vulnera domestica tamen aduersarijs detegerentur.

ANNO 1557. Anathemata scribuntur.

His ad eum modum peractis, ventum tandem est ad Colloquium. Principio de iudice controuersiarum instituta fuit disputatio. Et Catholici quidem autoritatem iudicandi de controuersijs Ecclesiæ vindicabant; cuius sententiam in generalibus Cōcilijs, & perpetuo de dogmatibus orbis Christiani, sanctorumque Patrum consensu audiendam dicebant. Melanchthon contra ad sacras litteras, & triâ symbola prouocabat: Addebat Confessionem Augustanam, à qua sese cum sociis nequaquam discessurū profitebatur. Hic disceptatum fuit acriter, neutris de sententia discedentibus: In quo certamine Catholici Lutheranis arrogantiam obiecerunt, quod nimirum seipsos sanctissimis omnium seculorum patribus, suasque opiniones vniuersalis Ecclesiæ iudicio, & cōsensu totius antiquitatis anteponerent: Cū interim sententiis inter seipsos discrepent, & in varias factiones turpissimè distrahantur.

II. Colloquiū inter Catholicos & Lutheranos. Controuersia de iudice disputationis. *Camerar. in vita Mel. pag. 361. & seq.*

Lutheranorum arrogantia.

Controuersia de peccato originis,

Dispu-

ANNO 1557.

Obiectio defectionis à Confessione Augnstana turbas inter Lutheranos excitat.

Disputatum quoq; fuit de peccato originis; sed breuiter. Imprimis verò cum aduersarij consensum antiquitatis proteruè reiicerent, Catholici dissensiones ipsorum de summis fidei dogmatibus, & sententiarum discrepantiam, velut certum falsitatis argumentũ, identidem obiecerunt. Accidit hoc Lutheranis permolestum; imprimis cum vrgerent Catholici, vt qui verum sese germanumque sensum Augustanæ Confessionis habere crederent, seipsos in vnum redigerent cœtum, & subreptitios sectarum autores anathemate notatos reiicerent, eosque à consortio suo autoritate publica remouerent. Datam esse pacem huic Confessioni decreto publico: Id verò beneficium ad sectas non pertinere ab hac Confessione alienas. Itaque mandatum esse Cæsaris, vt cum iis tantum agatur de conciliandis dogmatibus, qui sine fuco profiteantur doctrinam illam, cuius summa in Augustanis Comitiis anno 1530. Carolo Quinto sit oblata. Hæc & id genus alia cum dicerentur, satis intellexit Melanchthon, detectum iri, quam tanto studio velarat, domesticam Lutheranorum turpitudinem. Itaque consternatus demisse respondet: Postulare rem ipsam, vt exortæ controuersiæ prius explicentur. Quod cum factum fuerit, condemnationes errorum singulis articulis adiungi posse. Verũ Catholici in sententia perstiterunt, vrgentes, vt quos errores agnoscerent Augustanæ Confessioni sub-

Melanchthonis de Missa responsio.

ANNO 1557.

subrepisse, ijs anathema dicerent. Hic verò Lutherani, qui cum diuersæ factionis essent, & syncretismi larua fraudulenter obuoluti concordiam simulabant, in partes disilierunt. Flaciani parendum censuerunt, & offerendas præsidi condemnationes domesticarum hæreseon, quas antea priuatim legatis Lutheranorum principum exhibuerant. Melanchthon cum hac ratione fulmen anathematis in suum quoque caput vibrandum cerneret, socios ab hoc instituto dehortatus est. Verum id frustra fuit: Flaciani siquidem à sententia de vibrando damnationis fulmine nullis potuerunt rationibus dimoueri.

Lutherani in diuersas partes abeunt.

Quod cum Melanchthon animaduerteret, vt placaret zelotas istos, Flacianos inquam, ac tempori seruiret, & ipse conscripsit anathemata quædam, in quibus inter alios, quos notandos censuit, adiaphoristas etiam condemnauit; eam nimirũ sectam inter Lutheranos, cuius ipse primus autor, caput, & præcipuus ductor habebatur. Ita factũ est, vt condemnationis fulmen, & dirũ anathema, quod à Flacianis sibi paratum nouerat, in Comitijs publicis Melanchthon ipse diuino iudicio quodam in suum ipsius caput intorqueret. Interim protestatus est de mendaciis Illyrici, quibus se querebatur, aliosque viros innocentes præter meritum grauari. Brentius vero, quemadmodũ & paulò supra diximus, Osiandrum cum reliquis sectarijs in com-

Melanchthon seipsum ferit anathemate.

Eius de iniurijs protestatio.

ANNO 1557. in communem trahi culpam, diriſque deuoueri noluit: Qua in re non à Melanchthone tantum & cæteris Adiaphoriſtis, verum à Flacianis etiam diuerſum indicauit.

Proteſtatio Flacianorum Præſidi oblata.

In hac perturbatione rerum & voluntatũ diſcrepantia Flaciani Iulium Pflugium adeunt Colloquij præſidem, eique proteſtationem offerunt, in qua Zvvinglianos, Oſiandrinos, Maioriſtas, Synergiſtas & Aiaphoriſtas damnant velut alienos ab Auguſtana Confeſsione, cui ſe conſtanter aiunt & in ſolidum adhærere; Ideoque quod ad religionem attinet, nihil ſibi commune futurum cum ſectariis iſtis profitentur. Ita Melanchthon, qui Confeſsionem hanc ante annos 27. ipſe conſarcinarat, ab ea nunc per diſcipulos exploſus, velut è ciuitate Lutherano proſcriptus fuit. Flaciani vero proteſtatione, quam diximus, exhibita, confeſtim iter ingreſsi domum reuerterunt: quorum abitu colloquium initio ſuſpenſum fuit; poſt etiam planè diſſolutum. Neque enim Catholici cum aduerſarijs inter ſe tam fœdè diſsidentibus progrediendũ iudicarunt, niſi conſulto primum Ferdinando Rege. Ad hunc igitur rem omnem perſcribit præſes, & quid hoc rerum ſtatu porro ſit faciendũ, exquirit.

Conſil. Theolog. Mel. fol. 751. 752.

Flaciani re infecta abeunt.

III. Melanchthon Heidelbergam euocatur.

Interim vero, dum reſponſum expectatur, Palatinus Elector Otho Henricus Melanchthonem per litteras Heidelbergam euocat, vt eius opera conſilioque ad ſtatum acade-

academiæ constituendum vteretur. Inuenit istic Melanchthon Iacobum Mycillum amicum veterem, quo cum suauiter ad dies aliquot vixit. Hunc aliosq; nonnullos è Professoribus Melanchthoni princeps adiunxit; inter quos instituta fuit de studiis instaurandis deliberatio. Melanchthon verò moderabatur consultationem istam; cuius autoritate consilioque potissimum ea, quæ princeps voluit, de rerum administratione constituta fuerunt. ANNO 1557. *Camer. pag.* 367. Ad scholas dirigendas.

Dum Heidelbergæ moratur, vxorem, quam decumbentem domi reliquerat, rebus humanis exemptam intelligit, nunciante Camerario, qui hanc ob causàm istuc excurrit, vt triste nuncium amico suauiter insinuaret. Eius vxor moritur. *Camer. pag.* 369.

VI. Melanchthonici iubentur redire in gratiam cum Flacianis.

Interea Ferdinandus Rex de discordia Lutheranorum, deque Flacianorum abitu factus certior, per litteras hortatur præsidem, vt necessitas ita postulet, alij surrogentur in eorũ locum, qui discesserant, & si quâ ratione fieri possit actio resumatur. Catholici verò mente Regis intellectâ, monuerunt aduersarios, qui VVormatiæ remanserant, vt cum sociis redirent in gratiam, à quibus erant anathemate notati, seque rursus coniungerent in vnum corpus. Alioquin nescire se protestabantur, quibus cum actionẽ resumere debeant; cum vtrique prouocent ad Confessionem Augustanam; de cuius dogmatibus atque sensu tamen eum in modum

ANNO 1554.

inter se disideant, vt alterutros necesse sit ad eam non pertinere. Ipsos quidem, qui VVormatiæ remanserint, Confessionem hanc verbo profiteri: verum interim à socijs Saxoniæ Ducum Theologis abeuntibus damnatos esse, velut sectarios, & eiusdem Confessionis desertores, quibus nullum cum ea sit commercium. Igitur vel conueniendum illis denuo, vel certè statuendum, illine, qui protestatione facta discesserint, an vero Melanchthon cum cæteris præsentibus Augustanæ Confessionis dogmata ritè profiteantur. Priusquam alterutrum fiat, non esse Catholicis integrum, vt actionem in incertum prosequantur. Atq; hic velut in vado negotium hæsit: Cumq; frustra videretur expectandũ, vt Saxoniæ duces alios submitterent in eorum locum, quos auocarant, tandẽ re prorsus infectâ dissolutus fuit conuentus iste: in quo ferè nihil actum est aliud, nisi quod detectâ Lutheranorũ tupitudine, quã laruâ quadam syncretismi velarant, Melanchthon alijq; VVittenbergẽses à Flacianis Lutheri discipulis anathemate notati fuerũt, & ab Augustana Cõfessione reiecti: quę causa fuit, vt Catholici cũ illis in actione ingredi recusarẽt; præsertim ijs absentibus, qui protestati fuerant, se solos Confessionem istam, quemadmodum oblata Cęsari fuit in Comitijs Augustanis, integram puramq; sine fuco profiteri.

Camer. à fol. 371. ad longum.

Cõuentus Wormatiensis re infecta soluitur.

Frid. Staphyli scriptum de eadem.

Fuit inter Catholicos, qui VVormatiæ con-

conuenerant, & Fridericus Staphylus Iure- ANNO
consultus, Ferdinandi Cæsaris, & Bauariæ 1557.
Ducis Consiliarius, vir doctissimus, qui cum
omnia nosset, & secretissima quidem Luthe-
ranæ sectæ mysteria, totam eius turpitudi-
nem detexit edito libello, cui titulum fecit:
Trimembris epitome Theologiæ Luthera- "
næ: in cuius parte tertia, de varijs eorum se- "
ctis differit, qui Confessionis Augustanę no- "
men profitentur. Et quia fœdum hoc Lu-
therani corporis hulcus seueriore manu pres-
sius contrectauit, iracundiam ipsorum, adeo-
que furorē in se vehementer incendit. Gra- Odium
uius imprimis exarsit Melanchthon, quem hæreticorū
Staphylus caput & ducem constituit tertiæ in se con-
phalangis euangelicorum, quam in varias fa- citat.
ctiones turpiter distractā suis coloribus de-
pingit. Eam iniuriam vlturus Melanchthon ANNO 1558.
anno sequente proximo respondit ad libellū Imprimis
hunc, & scriptum quoddam contra Staphylū Melanch-
emisit nō atramento, sed atro felle potius ex- thonis.
aratum; in quo Staphylum acerbissimis cri-
minationibus infectatur, iam & alij quidam
præter Melanchthonem eundem Sthaphylū
allatrarunt scriptis publicis; Flacius Illyri- Flacij Illy-
cus scilicet, Andreas Musculus, Iacobus Smi- rici.
delinus, & Longinus quidam Schvvenck- Musculi.
feldianus, diuersarum sectarum homines: Smidelini.
Quibus omnibus vnam responsionem op- Longini.
posuit eleganter neruoseq; scriptam sub hoc "
titulo: Contra ædificatores turris Baby- "
lonicæ Friderici Staphyli responsio. Vbi "

ANNO 1558.

prodijt ſcriptum hoc, retraxit ſe Melanchthon, nec poſthac Staphylum amplius impetiuit.

Staphili contra eoſdem reſponſio.

Cum verò Lutheraniſmus ob inteſtina diſsidia malè paſsim audiret, & libri Catholicorum in manibus hominum verſarentur, quibus illa turpitudo detegitur, cœptum eſt inter Lutheranos cogitari, quâ ratione tandé medicina fieret huic malo, & concertationes iſtæ domeſticæ ſopirentur. Melanchthon nó improbauit, ille quidem pacis ſanciendę ſtudium: at rem ipſam difficilem effectu, imo prorſus impoſsibilem iudicauit; malum illud hæreſeon domeſticarum hydræ comparans, cui vno præciſo capite plura ſubnaſcátur. Quod noſtri principes, inquit, tolli cótrouerſias cupiunt, voluntas laudanda eſt: ſed conantur hydræ caput præcidere hoc ſycophantico ſeculo. Hæc Melanchthon; Et veriſsimè quidem, ſi quid aliàs vnquam. Eſt enim hydra multorum capitum hæreſis Lutherana; cuius ſi caput vnum ſuccidatur, plura ſuccreſcunt. Quod Lutherus vaticinat' eſt futurum, cum prima ſectæ fundamenta poneret; quemadmodum hæc ipſius verba teſtantur in præludio Babylonico: Quia video illis otium & chartas abundare, dabo operam, vt negotium ſcribendi habeant copioſum. Præcurram enim, vt dum glorioſiſsimi victores de vna aliqua mea hæreſi, vt eis videtur, triumphant, ego interim nouam moliar.

Melanchthonis ſententia. *In ep. ad Cam. p. 732*

Lutheraniſmus hydra multorum capitum. *In cap. Bab. A. 2. b.*

In-

ANNO 1558.

Interea prudentiores vehementer tædebat factionum istarum & disidiorum; ideoque quod anno superiore Francofurti decretum erat, vt Synodus indiceretur ad sopiendas controuersias, id nunc tandem exequendum iudicabant. Vrgebant hoc imprimis viri quidam principes, qui spem omnẽ instaurandæ concordiæ in Synodo repositam arbitrabantur. Melanchthon verò perpetuo restitabat in consultationibus istis, cum in Synodo, propter Flacianorum potentiam, nihil aliud sibi videret expectandũ, quam vt anathema istud, quod VVormatiæ vibratum erat, multorum suffragijs & autoritate quidem Synodicâ confirmaretur. Cæterum quanto Melanchthon alienior erat ab hoc instituto, tanto feruentius idipsum vrgebant Flaciani, quorum in eo studium omne vertebatur, vt Melanchthonem autoritate Synodi de gradu deiectum opprimerent. Itaq; nõ minus illi periculum à Flacianis in Synodum coëuntibus, quam à Tridentinis patribus imminere videbatur. Atq; in huiusmodi trepidatione, perpetuoq; metu, quod reliquum erat vitæ transigendum illi fuit; vt sibi ne VVittenbergæ quidem tutus esse videretur: Nec aliud postremis aliquot annis expectauit, quam vt Flacianorum machinationibus loco submotus in exilium pelleretur. Si Flaciana rabies (inquit ad Camerarium scribens) me fugere coget, ostendet Deus alicubi hospitium. Et

Principes vrgent Synedrion.

Melanchthon contra resistit.

Flacianorũ æstus & vehemenria in cogendo Synedrio.

In ep. ad Cam. p. 718. 719. 753.

ANNO 1558. in alio quodam epistolio: Ego quoque, si possem, fugerem, non, vt in carmine dicitur,
„ vltra Sauromatas & glacialem Oceanum,
„ sed certe in aliquas latebras quascunque De-
„ us offerret. Et si viuam diutius, expecto
„ exilium. Et paucis mensibus ante mortem:
„ Reuersus litteras accepi, quæ narrant, mira-
„ bilibus technis hoc agi à Flacio, vt hinc ex-
ANNO 1559. pellar. Hæc Melanchthon ipse: Et certe in votis illi fuisse videtur, annis posterioribus, vt alibi, quam VVittenbergæ vitam ageret; nimirum vt laxare frenos iracundiæ posset, & ad vindicandas Flacianorum iniurias liberius prouehi. Imo venit illi aliquando in mentem hanc ob causam ab aula missionem petere; quemadmodũ ad Camerarium ipse scribit sub initium anni 1559. Scribam aulæ, inquit, vt me dimittant, vt in alio loco re-
„ spondeam. Sed frustrà huiusmodi cogita-
„ tiones suscepit: manendum fuit in ergastu-
„ lo hoc, vt VVittenbergam aliquando nomi-
„ nauit, donec per mortem illis difficultatibus
„ fuit expeditus.

Cogitat Wittenbergâ discedere. *Ibid. p. 479.*

V. Flacij consilium in scripto cõsarcinando contra sectas, &c.

Dissoluto Colloquio VVormatiensi, cum Theologi ducum Saxoniæ domum redijssent, & Synodus toties flagitata suspenderetur; Flacius Illyricus autor fuit principibus istis, vt libro quodam edito sectas omnes anathemate configerent, quæ præter Augustanam Confessionem annis superioribus erant exortæ; mandarentque subditis, vt ab earundem sectarum inquinamento sibi cauerent.

uerent. Placuit consilium Flacij; fuitq; liber iste mandatu Principum per Ienenses quosdã Theologos cõscriptus: Qui cum examinandus esset à Flacio cæterisq; concionatoribus varię sunt & acerbè cõtentiones inter autores ipsius libri, & censores exortæ. Atq; ea res in causa fuit, vt scriptũ illud tum quidẽ seponeretur: quod tamen anno sequente proximo 1558. Coburgi per Flacianos quosdã Simonẽ Musæum, Maximilianum Morlinum, Ioannem Stöſſelium, Flacium ipsum, alioſque nonnullos ita concinnatum fuit, vt autoritate principum sub titulo Confutationum Nouembri mense publicaretur. Additum fuit edictum, ne quisquam de controuersis fidei capitibus aliam credendi normam sequeretur quam istic constitutam videret. Atque ita κριτήρια Flacianorum vel principia, quibus in dijudicandis fidei controuersijs vtuntur, accessione huius voluminis aucta fuerunt; In quo decem sectis anathema dicitur, inter quas recensentur & illæ, quas iam ante concionatores horum principum VVormatiæ condemnarant; hæreses inquam Sacramentariorum, Osiandrinorum, Adiaphoristarum, Maioristarum & Synergystarum. Atque ita Melanchthon & VVittenbergenses publico decreto principum illorum, qui soli fere purum putum Lutheranæ doctrinæ nucleum retinuisse putabantur, ceu putrida membra ab Augustana Confessione resecti fuerunt.

ANNO 1559.

Controuersiæ exortæ in examine scripti.

Anathema decem sectis in libro Flaciano dicitur.

ANNO 1559. Melanchthon totã Academiã Wittenberg. in Flacium concitat. Eius scriptum maledicum.

Melanchthon, qui Flacium huius consilij autorem fuisse nouerat, vt illatam contumeliam insigniter vindicaret, in caput illius vniuersum Academiæ VVittẽbergensis gregem scholasticum concitauit, cuius nomine scriptum quoddam anno 1559. diuulgatum prodijt, adeo virulentum & maledicum, vt in hoc genere post Lutheri scripta nihil magis asperum, ac venenatum in lucem prodiisse videatur.

CAPVT XXIV.

I. *Noua hæresis Lutheran. Hamburgi per AEpinum excitata.*
II. *Palatinatus calũnizat autore Melanchthone Lipsiam ad examen alumnorum euocato.*
III. *Melanchton febri correptus.*
IV. *Decumbens grauiter de varijs sermocinatur.*
V. *Mors eius, sepultura & orationes in funere habitæ.*

Hæresis Lutheranorũ Hamburgi.

SVB hoc tempus Hamburgi nouum inter Lutheranos certamen exarsit, de descensu Christi ad inferos; quod eousque studio dissidentium incruduit, vt Senatus istius vrbis academiam VVittenbergensem putarit super hac controuersia consulendã.

Dogma Io. Æpini de Christi descensu ad inferos.

Erat Hamburgensis Ecclesię Lutherano ritu Superintendens Ioannes AEpinus, qui Christum asserebat nõ modo descendisse ad inferos, sed & pœnas ac tormenta damnatorum

torum istic in anima sustinuisse. Huic plerique se concionatores opposuerunt, qui dogma illud, velut horrendam blasphemiam detestabantur. Cumque res magno animorum ardore ageretur, Consules & Senatus negotio componendo manum admouerunt, conditis quibusdam aphorismis, vel articulis de hoc argumento, quos velut normam credendi concionatoribus proponẽdos censuerunt, eorumque sententiam inquirẽdam. Ne quid autem inconsultò facere viderentur, datis ad VVittenbergenses litteris tria quædam ad deliberandum propósuerunt: Primum fuit, An Theologi probandam censeant inchoatam agendi rationem in proponendis articulis? Alterum, quæ sit ipsorum sententia de dogmate controuerso? Tertium, Si qui forsan institutam inquisitionem defugiant, quid in eos sit statuendum? aut quid aliud agendum in hoc negotio videatur.

ANNO 1559.

Aphorismi Hamburgensium.

Eorum ad Wittẽbergenses litteræ.

Tria capita deliberationis.

Respondit Vniuersitatis nomine Melãchthon in hanc ferè sentẽtiam: Pertinere prorsus ad curam senatus, vt Ecclesia rectè doceatur, & ne dissidia serantur. Ideoque piè rectéque factum, quod instituta sit de restituenda concordia deliberatio. Interim optare se dicunt, non tam multos esse propositos articulos, quorum nõnulli, si agitentur, magnas sint disputationes parituri. Ad controuersiam ipsam quod spectet, expectare se sententiam aliorum, ad quos de ea scripserint, scilicet vt collatis iudicijs certum quid

In ep. sel. p. 491.

Wittenbergensiũ respõsio ad primum caput.

Ad secundum caput de dogmate controuerso.

ANNO 1559.

respondere posint; ne postea diuersitas opinionum dissidium inflammaret. Lutherum cunctanter ad hunc articulum explicandum accessisse; quem tantum ad Christi victoriam accommodarit. Interim dolores inferorum, de quibus psalmi loquuntur, non restringendos esse tantum ad tempus post animæ separationem: Quosdam etiam in hac vita degustare sensum iræ diuinæ: Qui dolor singularis in filio Dei fuerit, & maior quam in vllis vnquam sanctis; cùm integrè magnitudinẽ irę Dei aduersus nostra peccata senserit tuleritque; nec illius doloris magnitudinẽ ab hominibus aut angelis comprehẽdi posse, vel sustineri. Demum consilij sui summam explicant in hunc ferè modum: Cùm cõstet, dissensionem tantum esse de cruciatibus animæ Christi post separationem à corpore, rogare se, dicunt, ne deinceps inquisitio particularis ad conscriptos articulos vrgeatur, vel occasio quæratur alterutros eijciendi. Censuisse Lutherum, quæstionem hanc de pœnis animæ Christi post mortem non esse mouendam. Itaq; mandandum vtriq́ue parti, vt expectent aliorum etiam iudicia, ac interea in concionibus, in scholis, aut alijs publicis congressibus omittant mentionem huius quæstionis in vtraq; parte. Interim non aboleri articulum de descensu Christi ad inferos; sed omitti tantum inquisitionem eius particulæ, de animæ Christi separatæ cruciatibus apud inferos: de qua Lutherus non inqui-

Lutheri sententia de descensu Christi ad inferos.

inquirendum iudicarit. Hæc Melanchthon.

ANNO 1559.

Initio huius eiusdem anni 1559. ad 12. Feb. obijt Ottho Henricus Elector Palatinus, qui Fridericum Tertium decimo gradu agnatum in Electoratu successorẽ habuit. Atque hic non diu post exploso Lutheranismo Caluinismum in Palatinatũ induxit: Quod imprimis Melanchthonis culpa cõsilioq; factum Lutherani quiritantur. Ea verò res ad hũc modũ gesta est. Irrepserant sub Otthone Henrico Caluinistæ quidã, vel Sacramẽtarię factionis homines in Academiã Heidelbergensem; inter quos primi nominis fuerũt Petrus Boquinus, & Gulielmus Clebitius. Hi cũ proderent Sacramẽtarium Spiritum, ab Heshusio cæterisq; Lutheranis reprehensi atque oppugnati fuerunt. Vnde certamen exarsit inter vtrosque, & satis acre quidem, quod nouum Electorem vehementer sollicitum habuit. Igitur vt sedaret motus istos, litteras dedit ad Melanchthonem, eiusque iudicium de hac cõtrouersia, & quomodo componendum sit dissidium, exquisiuit; vnaque scriptam Heshusij Clebitijq; confessionem de cœna Domini transmisit.

Mors Otthonis Hẽrici Palatini.

Frider. III. succedit.

Caluinistæ in Palatinatum irrepunt.

Palatini ad Melancht. litteræ de controuersia.

Sur. in com. pag. 539.

Melanchthon eum in modum respondit, vt Sacramentarijs potius, quam Lutheranis addictum sese non obscuris indicijs ostenderet. Lutheri sententiam de Eucharistia iampridem animo repudiauerat, & secretò transfugerat ad castra Sacramentariorum, quos anno 1530. in Augustana Con-

Melancht. pro Caluinistis respondet.

Peuc. apud Reut. narrat. de Mel. pag. 33.

ANNO 1559.

na Confeſsione verbis expreſsis anathemate notarat. Itaque totus nunc eam in partem inclinauit, & in hac epiſtola ſatis apertè prodidit Sacramentarium virus, quod multis annis publica Lutheraniſmi profeſsione velatũ occultauerat. Iam verò & Heſshuſium, cæteroſque Lutheranos, qui Heidelbergæ cum Sacramentarijs dimicabant, vehementer oderat, quod de grege Flacianorum eſſent; à quibus per annos decem continuos & amplius, petulanter ſeſe, & acerbè ſummaque cum cõtumelia meminerat exagitatum. Hanc igitur iniuriam vindicandæ nactus occaſionem, in Flacianos cõcitauit principem, qui conſilium illius ſecutus, Heſshuſium & Clebitium, vtriuſque factionis capita loco mouit, & Caluiniſtas deinde fouendos ſuſcepit. Ita Melanchthon iam morti vicinus (nam paucis menſibus ſuperuixit) vnis litteris inſignem hanc Germaniæ prouinciam ab Auguſtana Confeſsione diuulſit, eamque Sacramentarijs dedit occupandam. Nam Elector princeps ipſius autoritate permotus, homines iſtius factionis in academiam Heidelbergenſem inſeruit; ex qua deinde contagio hæc poſt Melanchthonis obitum, in Palatini ditiones omnes dimanauit, Lutheranis fruſtrà calcitrantibus, qui non dubitanter aſſerunt, ſanguinem eorum, qui hauſto Sacramentariorum veneno in Palatinatu pereunt, de Melanchthonis manibus in die iudicij requirendum.

Sacramentarium virus prodit.

Flacianos odio habet.

Palatinum in eoſdem concitat.

Melancht. causã dat hæreſi Caluinianæ in Palatinatu.

Agebat

ANNO 1560.

Agebat Melanchthon cum ad Palatinum scriberet, annum ætatis sexagesimum tertiũ, quem vulgo climactericum appellant. Hunc cum paulò post, anno sequente scilicet 1560. 16. Februarij compleuisset, iamque pericula climacteris istius omnium in vita periculosissimi superasse videretur, attenuari deinceps corpus, & vires paulatim deficere cœperunt. Exeunte Martio, mandatu principis Electoris Lipsiam euocatus fuit ad examen alumnorum, quos in Vniuersitate sustentabat Princeps. Huic examini Melanchthon ab annis aliquot præesse consueuerat: Itaque VVittenberga profectus trigesimo Martij venit Lipsiam, & negotium sibi commissum vnà cum alijs de more peregit. Quanquam verò tenui iam erat valetudine, cùm iter ingrederetur, paulo debilior tamen ad suos redijt, quam exierat; idque ex aëris intemperie forsan, & vectatione, quæ solito illi molestior accidit.

Ann. 1560. Annus 63. climactericus.

In Narrat. VVitt. de obitu Philippi c. 1.

Melancht. Lipsiã euocatur ad examen alumnorũ.

III.

Redijt verò VVittenbergam Aprilis die quinto, & biduo post ad languorem accessit febris tertiana, vel hemitritæa potius, vt postea deprehensum est, cuius septimo paroxismo tandem ad 19. Aprilis extinctus fuit. Ab initio morbi mortem illi præsagiuit animus, quemadmodum Lutherani commemorant; Imprimis eum terruit eclypsis in æquinoctio istius anni; tum Saturni Martisque coniunctio, quam imminere nouerat, de qua sequentibus diebus frequenter loquebatur, stultè

VVittenbergam redit, vbi tertiana febri laborat.

Terriculamenta Melanchth.

ANNO 1559.

stultè facere dictitans, qui eam contemnerent. Quanquã huiusmodi coniunctiones nõ tam corporibus, quam rebus communibus portendere quippiam iudicabat. Itaq; sterilitatem ex his signis ominabatur, & autor erat Academiæ, vt ad necessarios suorum vsus frumentum coëmeret: Quod ex ipsius consilio factum est. Iam & de Flacianorum turbulentis consilijs,& machinationibus vehementer erat sollicitus,& crebros sermones habebat. Eos enim nouerat magnis clamoribus adhuc vrgere Synodum, à qua Melanchthon, vti diximus, totus abhorrebat; Huius igitur rei cogitatio sollicitum eum habuit: cumque sub initium morbi litteras exararet ad amicum quendam in littore Baltico, inter cætera, se fortasis eripiendum ait ex Synodo Lystricâ, quam Flaciani moliantur. Quanquam verò languor indies augebatur, professionem tamen publicam intermittere noluit, licet omnes quietem illi suaderent. In lectione, quam nono die ante mortem habuit, cùm verba quædam Ioannis explicaret, Christum ait, tria quædam precatum, vt Ecclesia conseruetur in mundo; deinde vt eadem sit vna, concors nimirum & consentiens; demum, vt in ea quidam electi sint & saluentur. Quæ eadem patrem suum, aiebat, meditatum fuisse, cùm decumberet, triduò ante mortem. Subiecit cõtinuo: Hæc tria vota, moriturus ego etiam meis liberis, & filiolis relinquam, vt sint in ecclesia, Deumq;

Sterilitatẽ præominatur.

A Flacianis vexatur.

Verba eius in lectione vltima quã VVittenbergæ habuit.

Tria quædam suis filiis precatur.

In Narrat. VVitt. de ob. Phil. B.iiij. b.

Deumque rectè inuocent ; vt sint vnum in ipso & concordes , vt sint hæredes vitæ æternæ. ANNO 1559.

Hæc Melanchthon vndecima Aprilis in lectione: nec ineptè quidem , si Ecclesiæ nomine non aliquam ex factionibus nuper exortis intelligas , sed Ecclesiam quam ædificauit Christus propagandam toto terrarum orbe , nec vnquam interituram : de qua parens Melanchthonis iam moriturus proculdubiò locutus fuit , qui cum Catholicus esset, anno 1508. quemadmodum initio diximus , peste sublatus ad Dominum migrauit. Paulò post Ioachimus Camerarius , quò nullum inter amicos chariorem habuit , de Melanchthonis inualetudine per amicos admonitus , VVittenbergam aduolauit pridie sacri Pascatis ; quod festum hoc anno in decimumquartum Aprilis diem incidit. Fuit illi longè gratissimus Camerarij aduentus, quem vsque ad decimumseptimum Aprilis apud se detinuit ; atque interim suauiter cum illo contulit de rebus multis : Cumque meliusculè iam habere videretur , decimoseptimo Aprilis Camerarius discessit,rediturus quamprimum per occupationes liceret.

Melancht. pater Catholicus.

Visitatur à Camerar.

At Melanchthon non expectato ipsius reditu , decimonono Aprilis paulò ante septimam vespertinam in septimo paroxismo vitam cum morte commutauit. Pridie quam moreretur , cùm circa nonam matu-

In septimũ paroxismũ cadit.

ANNO 1560.

matutinam Peucerum generum videret astantem, qui professione medicus erat, iudicium eius de morbo, tum quid spei haberet, exquisiuit; hortatus, vt liberè proderet sententiam suam, nec quicquam dissimularet. Respondet ille, non abesse periculum, si causæ physicæ considerentur: Imbecillitatem esse magnam, quæ & in momenta augeatur. Hoc sermone permotus de condendo testamento, rebusq; suis disponendis cogitationem suscepit. Cæperat in hoc genere iampridem commentari quippiam, & pagellas aliquot conscriptas reposuerat, in quibus non longè tamen progressus erat; Eas nunc ad se deferri postulat, vt cœptum opus absolueret. Et quæsitæ quidem fuerunt diligenter in omnibus Musæi scrinijs: verum cũ non inuenirentur, orta fuit suspicio sublatas esse pagellas istas ab homine curioso: quod illi non rarò in alijs etiam rebus acciderat: Itaque nouum scribere testamentum exorsus est; quod tamen ob virium defectionem absoluere non potuit. Tandem 19. April. hora 6. matutina, cùm septimus morbi paroxismus immineret, capillos sibi præcidi voluit, qui paulo longiores videbantur. Eam ad rem Peuceri generi ministerio vti cõsueuerat, quem rogauit, vt comam præcideret. Deinde & indusia mutauit, quæ à multis annis triplicia gestauerat, ita vt aliud alio super indueret. Pileum quoque nocturnum mundum imponi sibi iussit, eumque in modum tonsus,

Iudicium Peuceri generi de morbo exquirit.

Eius respõsum.

Testamẽtũ instituere conatur.

Peucer. vbi supr. à pag. 43. ad 49.

Capillos sibi pręcidi iubet.

Indusia & pileum mutat.

tonsus, comptusque & ornatus varijs de rebus sermones cum suis habuit: Imprimis verò fœdam ecclesiæ Lutheranæ distractionem deplorauit; quod ipsum iam antea quoque frequenter fecerat durante morbo, petulantiam eorum malitiamque detestatus, quorum culpa dissensiones exarserant. Atq; hoc sermone Flacianos notabat, quos diebus superioribus grauiter excandescens homines nequam appellarat, cùm distractionum inferrent causas & his malis, quæ iam inuexerant, tetriora quotidie molirentur. ANNO 1560. Sermocinatur de varijs imprimis, de fœda Lutheranismi diuulsione.

Verum vt reuertamur, ad 19. Aprilis, adstabant horis matutinis extranei quidam, quos abitum parantes rogabat, vt prandèrent secum, futurum asserens, vt ad gustandum quippiam præsentia ipsorum & sermonibus inuitaretur. Et condixerunt isti quidem prandium: at Melanchthonem tantus languor corripuit, vt sub id tempus, quo septimus paroxismus imminebat, animi deliquium pateretur; ex quo cum restitutus esset, atque nonnihil recreatus, quieuit paululum. Deinde chartas ad se deferri postulat, in quibus de testamento suo nonnihil fuerat machinatus. Sed ea virium erat imbecillitas, vt ab opere fuerit desistendum. Extraneos rogat ad prandium. Animi deliquium patitur. Testamẽtũ conatur absoluere sed frustra.

Ego, inquit, festinatione excludor; “
insinuans se præter expectationem morte “

ANNO 1560. præueniri, quo minus cœptum opus perficeret.

IV. Spiritum exhalat. Fuit hoc circa decimam antemeridianam; cumque morbus perpetuò ingraueſceret, tandem ſub veſpertinam ſeptimam extremum ſpiritum exhalauit. Vniuerſitas ſcriptis eodem veſpere litteris Electorem Auguſtum de Melanchthonis obitu fecit certiorem; cuius mandatu corpus exanime plumbeo ſarcophago fuit incluſum, addito breui ſcripto, quod hiſtoriam defuncti & vitæ curſum ſuccinctè complectebatur. Funus vigeſimoprimo Aprilis elatum eſt inſigni cum pompa, qualem à ſepultura Lutheri VVittenberga non vidit. Delecti quidam ex profeſſoribus Collegij Philoſophici, qui thalaribus induti lugentium more tumbam ad Eccleſiam parochialem deportarunt. Ibi cantatis Lutherano ritu nænijs, Paulus Eberus eiuſdem Eccleſiæ paſtor Concionem ad populum habuit.

Cam. p. 380 Sur. in com. p. 540. Narrat. VVit. H. iij. Cõſil. Theolog. p. 790. 791. 792.

Eius funus magnificũ.

Pauli Eberi funebris de eo Concio.

Poſteà delatum eſt funus ad templum Omnium Sanctorum, quod arci Principis contiguum eſt; vbi tumba ad ſepulcrum depoſita, Vitus Ortelius Medicinæ Doctor, & græcarum litterarum profeſſor, oratione Latina Melanchthoni parentauit. Cùm peroraſſet Ortelius, tumba in ſepulcrum demiſſa fuit, haud procul ab eo loco vbi Lutheri corpus ante annos quin-

Item Ortelij Oratio.

Terræ mãdatur.

quinque fuerat collocatum. Post obitum Melanchthonis, quemadmodum Flaciani lacerandis defuncti manibus, ita Melanchthonici laudibus ipsius decantandis saturari vix potuerunt. Et quia permissum istis non fuit, vt in Synodo viuentem anathemate configerent, quod imprimis habebant in votis; mortuum persequi, velut hostem doctrinæ purioris & euangelij desertorem, vibrato condemnationis fulmine, non destiterunt.

ANNO 1560. *Narrat. VVittenb. I. ij. iij.*

Viuus mortuusq; Flacianorum conuitijs expositus.

Finis vitæ & rerum Gestarum Philippi Melanchthonis.

VITA ET RES GESTÆ MATTHIÆ FLACII ILLYRICI

Ab ortu ad obitum vsque

AVTORE CASPARO VLENBERGIO Lippiensi.

CAPVT I.

I. *Matthiæ Flacij natiuitas & patria, studium & profectio in Germaniam.*

II. *VVittenbergæ magisterio insignitus, Hebraicam linguam docet vxore ibidem ducta, cum grauissima conscientiæ lucta. Brunsvvicum bello Smalcaldico dilapsus.*

III. *Origo libelli Interim, & turbæ per eum motæ, cum obsidione Magdeburgensi.*

IV. *Hostis acerrimus & maledicentissimus Maioris, Osiandri & Svvenckfeldij.*

ANNO 1520.

I. *Henricus Panthaleon part. 3. de viris illust. germ. Cam. in vi. Melanchth.*

MATTHIAS Flacius anno 1520. 3. Martij, patre Andrea Flacio, matre verò Iacoba Lucia, infelici partu (vt quidam ait è Lutheranis Chronographis) in lucem editus est Albonæ in Illyrico; vnde Illyrici cognomentum assumpsit. Patrem duo-

duodennis amisit; quo factum est, vt cœptis litterarum studijs aliquamdiu negligeretur. Factus adultior ad studia postliminio rediit, & Franciscum quendam Ascerium Mediolanensem in patria præceptorẽ habuit. Venit postmodum Venetias, vbi Ioannem Baptistã Egnatium audiuit bonos autores explicantem. Studiis multũ deditus erat; quæ cũ persequi nõ posset ob patrimonij tenuitatem, in mentem illi venit. S. Francisci institutum amplecti, nimirum vt à mundo resectus, Deo sese & studiis totum manciparet.

ANNO 1520.

Flacius ipse in scriptis contra Adiaphoristas.

Flacij Natiuitas & patria.

Venetias studij causa contendit.

Acceſsit igitur Prouincialẽ Ordinis Franciscani, Baldum Lupetinũ, sanguine sibi iunctum ex parte matris, eiq; summã cogitationum suarũ aperuit: quin & monasterio mediam patrimonij partẽ obtulit, modo statim, posteaquam Ordini se mancipasset, ad studia Bononiam Paduamue mitteretur. Erat Lupetinus Lutherana contagione iam infectus, licet id summo studio publicè dissimularet: Itaq; Flacium in hoc genere pertentandum censuit, an scilicet adolescentem incautũ eandem in naſſam trahere posset. Detexit igitur arcanum mentis suæ, & Flacium paulo momento impulit, vt istuc satis inclinaret. Tũ verò cœpit illum dehortari à monastico vitę genere, suasorq; fuit, vt in Germaniam profectus nouũ doctrinæ genus, quod Lutherus, Melanchthon, alijque sectarum auctores sub euangelij nomine spargebant, ex ipsis hauriret fontibus, eiusq; mysteria plenius perdisceret.

Cogitat Ordinem S. Francisci ingredi.

Seducitur à Lupetino cognato.

ANNO 1539. Flacius Lupetini consilium secutus, anno 1539. patria relicta profectus est in Germaniam, amicis cognatisque cæteris institutum illius improbantibus: Et principio quidem aliquamdiu Basileæ vixit, hospitio Grynæi vsus ad tempus, à quo se habitum benignè magnisq; beneficijs affectum ingenuè fateretur. Inde Thubingam venit anno 1540. vbi popularem suum quendam inuenit eiusdem nominis Matthiam cognomento Garbitium Illyricum, Græcæ linguæ professorem: à quo popularitatis causa perhumaniter exceptus fuit, & quibusdam adolescentibus præfectus, vt priuatim eorum studia moderaretur. Neque verò diu moratus est Thubingæ, sed anno sequente 1541. Ratisbonam se contulit, vbi de religione Colloquium habebatur.

In Germaniam proficiscitur.

Basileam-Thubingã & Ratisbonam.

Anno 1540

A populari humaniter excipitur.

Anno 1541.

II. VVittenbergam venit.

Inde VVittenbergam profectus est, vt Lutherum ipsum, cæterosque nouorum dogmatum autores videret coram, quorum nominis fama excitus in Germaniam venerat. Exceptus istic fuit satis benignè, & ope consilioq; adiutus ad sustentandam vitam, cum pauper esset. Imprimis Melanchthon magnis eum affecit beneficijs, & suis etiam facultatibus ipsius inopiam subleuauit: Quanquam Flacius beneficiorum omnium memoriam postea deposuisse videtur. Docuit deinde priuatim linguam græcam, vnaque hebræam didicit; quam ipsam & paulò post priuatim cœpit profiteri; atque ex

ex mercede, quã à discipulis colligebat, frugaliter illi victitandum fuit. Cum aliquamdiu VVittenbergæ commoratus esset,& docendo discendoque iusta cepisset studiorum incrementa, tandem magisterij philosophici laureâ fuit insignitus: In qua promotione postmodum, vti Lutherus in Doctoratu Theologico, vocationis suæ fundamentum posuit in certamine, quod de religione cum Melanchthone cæterisque VVittenbergensibus longè acerbissimum suscepit: Quod exarsit anno 1548. nec in hunc vsque diem extinctum. Creatus artium Magister oculos ad altiora subleuare cœpit. Itaque anno 1544. professionem hebraicæ linguæ publicam consecutus est; ad quam cæterorũ professorum fauore non modo, sed & Electoris Ioannis Friderici iudicio promotus fuit. Cũ ad hunc modum ex inopia miseriisq; paulatim eluctatus esset, vxorem sibi ducendam putauit. Igitur anno sequente 1545. matrimonium contraxit, nuptijs solenniter celebratis, quas inter reliquos & Lutherus ipse præsentia sua cohonestauit. Magnum id fuit animi vehementer in Flacium propensi argumentum.

ANNO 1557. Magisterij lauream adipiscitur.

Vocationis eius fundamentum.

ANNO 1544 Hebraicã linguam docet.

ANNO 1545 Celebrat nuptias præsente Luthero.

Priusquam vxorem duceret, hospitio vtebatur Friderici Bachouij VVittenbergensis ecclesiæ ministri, à quo deprehensum est, quod subinde, velut desperabundus, grauissimam conscientiæ luctam & summos angores sustineret, exercebant eum terrebantque

Flacij angustiæ circa fidem.

ANNO 1545. cogitationes de quibuſdam fidei dogmatis, de prædeſtinatione, de peccato, de ira & iuſtitia Dei, de damnatione perpetua; quibus horrendum in modum preſſus, imo propemodum oppreſſus fuit, & in ſummas anguſtias redactus. Cuius rei cum Bachouius Pomerano primum, poſt & Luthero indicium faceret, habita nõnihil fuit ipſius cura. Quanquam vix erigi potuit eum in modum, ac ſuſtentari, quin animo rurſus labaſceret. Atq; huiuſmodi terroribus ad quadrienniũ prope ferunt exagitatum; vt in concionibus ad populum communes pro eo preces ſubinde poſtularentur. Quanquam vero malũ iſtud tum quidẽ ſopitum nonnihil fuit, recruduit tamen annis ſequentibus in medio feruore certaminis illius virulentiſsimi, quod de ritibus externis, deq; dogmatib. quibuſdã inter ipſum & Melanchthonẽ cæteroſq; VVittenbergenſes exortum fuit. Et quidẽ Antagoniſtæ, Melanchthon inquã, ſocijq; Adiaphoriſtæ, Maioriſtæ, Synergiſtæ, Flacij terrores iſtos atq; infeſtationes, pœnã interpretabantur inflictã iuſto iudicio Dei, perfidiam illius & ſcelera huiuſmodi flagello vindicãtis. Lutherus interim, qui ob perturbatam Eccleſię pacem publicã hoc genus dæmonũ terriculamentis frequentius agitabatur, Flacium in his angoribus quoquo pacto cenſuit fouendũ, eumq; vt à fide dignis Lutheri familiaribus audire memini, tanquã genij ſui hominẽ ſummo loco habuit, hunc fore ominatus, in quem

In concionibus pro eo oratur.

Iudicium Melancht. de furiis Flacij.

Lutheri de eo ſententia.

quem se vita functo spes inclinata recumberet. ANNO 1545.

Biennio post, quam publicam professionem adeptus est, exortum fuit bellũ Smalcaldicum, quod Academiam VVittenbergensem & Lipsicam instar turbinis fœdè dissipauit. Cumque professores omnes relicta statione periculi vitandi causa diffugerent, Flacius quoq; per Medlerum quendam Lutheranæ Theologiæ Doctorem inuitatus Brunsuicum secessit, quæ Saxoniæ metropolis est, cuius vrbis ecclesiam Medlerus iste, velut Superintendens moderabatur. Ibique prælectionem obiuit in scholis, donec tempestate sedata, VVittenbergam ad pristinam stationem redire licuit. Quod anno 1547. factum est.

Flacius secedit Brunsuicum.

Ibidem in scholis docet.

Sub id tempus Conuentus Principum fuit & Ordinum Augustæ, vbi de concilianda tandem religione per Cæsarem deliberatio fuit instituta: Ex qua natus est liber ille, Cæsaris autoritate promulgatus, quem Interim vulgo nominabant. Hic Lutheranis Augustanam Confessionem profitentibus constituendæ religionis, diuiniq; cultus peragendi modum præscribit, donec omnes controuersiæ Concilij generalis autoritate sopirentur.

Anno 1547

Origo libelli INTERIM.

Cumq; publicatus esset liber hic, & nouus Elector Saxoniæ Mauritius per Cæsarem vrgeretur, vt eum reciperet, variæ sunt ea de re deliberationes institutæ; de quibus

ANNO 1547.

in vita Melanchthonis diximus. Tum verò Flacius, qui iampridem Melanchthonis nimiam mollitiem non improbabat modo, sed & secreto sugillabat, ab illo cæterisque, qui passim iudicium illius de religione sequebantur, publica professione secesit. Nec deerant, qui probarent institutũ, atque illi velut duci nouæ factionis contra VVittenbergenses sese coniungerent: Vnde Flacianorum vel Illyricanorum secta ducit originẽ. Disputatum verò fuit nõ de ritibus tantum externis, quos Melanchthon alijque publicæ tranquillitatis causa rursus instaurandos iudicabant; sed & de primis Christianæ fidei capitibus, quibus, vt Lutherani iudicant, vniuersa religionis structura, ceu columnis quibusdã innititur: puta de libero arbitrio, de iustificatione eiusq; modo, de charitate, de bonis operibus, & officijs vitæ Christianæ. Atque his disputationibus, quas Flacius imprimis mouit, Lutheranismus in sectas admodum fœdè distractus fuit; quas Flacianí diuersis nominibus in contumeliam excogitatis distinxerunt. Qui ceremonias externas restituebant pacis causa, eos Adiaphoristas atque Interimistas nominabant: Qui vim cooperandi libero arbitrio tribuebant, Synergistæ; qui bona opera docebant ad salutem necessaria, Maioristæ per Flacianos appellabantur: Atque hi vicissim illis Flacianorum nomen imposuerunt. Alij vero alios scriptis in lucẽ editis insectabantur acerrimè, ac de-

Flacius renuit subscribere libro, Interim.

Origo nominis Flacianorum.

Lutheranismus in varias partes diuiditur.

Sectarum nomina.

ac defectionis ab Euangelio, proditæq; veritatis accusabant. ANNO 1547.

Erat Flacius, cum à Melanchthone cæterisque Lutheranis mollioribus secessionem faceret, iuuenis adhuc ingressus annum ætatis vigesimumoctauum. Cumq; anno 1548. & initio sequentis contra librū Interim scripta quædam in publicum referret, nomen suum non apposuit; quod id temporis hæreret adhuc VVittenbergæ, & stipendio frueretur Electoris Mauritij, cuius actiones de libro Interim, deq; ritibus quibusdam restituendis, in libellis istis acerbe sugillabantur. Quia verò spargendis huiusmodi tractatibus Electoris institutum impedire non potuit, de VVittenberga deserenda cogitare cœpit: idque tum maximè, cum initio anni 1549. ritus quosdam in Misnia mutari secundum ordinationem Principis intelligeret. Nec enim dubitabat, quin & VVittenbergæ eadem institueretur mutatio: Cum hoc Electorem agere non ignoraret, vt per omnes eius ditiones in diuino cultu ceremoniarum esset conformitas. Itaque rogabat Melanchthonem oblato scripto, vt sibi liceret ad tempus proficisci peregrè, tum valetudinis curandæ gratia, tum verò, ne mutationum in diuino cultu repugnante genio spectator esse cogeretur. Assensit Melanchthon: Atque ita Flacius anno 1549. circa festum Pascatis VVittenberga discessit, vxore familiaque isthic relicta. Ne vero non redditu-

Anno 1548. Flacius clā Wittēberga discedit.

Lutheranismus in Misnia mutatur.

Prętextus discessus Flacij.

Anno 1549

ANNO 1549.

diturus videretur, professionem Hebraicæ linguæ per absentiam Ioanni cuidam Aurifabro Mathematum professori commisit.

Magdeburgũ venit.

Profectus est initio Magdeburgum, in qua ciuitate non ita pridem libellos, quos ante diximus, nomine suppresso typis diuulgarat. Inde Hamburgum se contulit, vbi Ioannem Aepinum superintendentem, Ioachimum VVestphalum, aliosque inuenit causæ suæ fauentes, qui paulò ante datis ad Melanchthonem prolixis litteris consilium ipsius de rebus adiaphoris improbarant Vbi cum his in colloquium venit, de Melanchthonis & sociorum mollitie atque defectione multa questus, animos eorum occupauit. Hamburgenses vero, cùm Flaciũ ardere satis viderent in pugnam, autores illi fuerunt, vt Magdeburgum reuerteretur, ascitisque in auxilium socijs VVittenbergenses è vicinia fortius oppugnaret. Paruit ille, cumque hoc colloquio VVestphalum, Aepinum, cæterosque velut in fidem redactos ad causæ suæ patrocinium adiunxisset, redijt Magdeburgum; vbi cõtinuò prolixam apologiam scripsit ad scholam VVittenbergensem; in qua se protestatus est non hostili esse in eos animo, sed factum ipsorum detestari, quod concessionibus istis Christum & Belial, vti loquitur, conciliare machinẽtur. Et se quidem paratum redire ad professionem publicam, modo confessionem religionis, quam profiteatur, liberam sibi tutamque permittant.

Querelæ Flacij de mollitie Melãchth.

Scribit Apologiam in VVittẽbergenses.

Hæc

ANNO 1549.

Hæc Flacius litteris in apologiæ modum prolixè verboſeque ſcriptis. VVittenbergēſes verò ad hæc ne gry quidem, quod aiunt; quaſi contemnerent hominem, eumque reſponſo indignum iudicarent: Quare Flacius irritatus ſcriptum illud apologeticum paulò poſt typis expreſſum per germaniam diuulgauit: Neque deinde VVittenbergam vnquam reuerſus eſt: Atque hoc initium fuit certaminis illius publici, quod cū Melanchthone, cumque cæteris Adiaphoriſtis poſt editam hanc apologiam acre, cruentum ac diuturnum habuit. Id verò certamen VVittenbergenſes à Flacio non ſtudio religionis vel pietatis affectu, ſed ambitione ac dominandi cupiditate motum aſſerunt; magno ſane, vti queruntur, eccleſiæ Lutheranæ cum detrimento; cui fœdam hanc in ſectas diſtractionem probri loco in certum falſitatis argumentum per aduerſarios obijci non ignorabant.

A VVittēberg. contemnitur.

Flacius Apologiam ſuā emittit in publicū.

VVittenberg. querelæ de euangelij ſui diſtractione.

Et Flacius quidem, cùm edita eſſet apologia, paulo poſt & alia de hoc argumento ſcripta in vulgus emiſit, quibus actiones Electoris Mauritij de libro Interim, & Theologorum VVittenbergenſium de ritibus externis iudicium mordaciter arroſit. Melāchthon verò, alijque qui ab ipſo pendebant, tametſi Flacium, velut caput aduerſariæ factionis, odio proſequebantur acerbiſsimo, primos tamen ipſius impetus tacendo ſuſtinuerunt; vel quod hominem turbulentum

Flacij acerbiſſima ſcripta in Interimiſtas.

con-

ANNO 1549.

contemnerent, vel quod eos puderet tam fœdæ distractionis, quæ causam Lutheranam prudentioribus meritò redderet suspectam. Posteà tamen cum incrementa sumeret Flaciana factio, & inualescerẽt clamores publici, & populus varijs criminationibus in VVittenbergenses & Lipsienses concitaretur, vel honoris causa prodeundum fuit in publicum, & Flacio eiusque gregalibus obuiam eundum: Quanquam id trepidanter factum est, eumque in modum, vt causæ suæ non admodum fidere viderentur. Et magnis quidem odijs vtrinque certatum fuit. Interim Flaciani Melanchthonicos ferocia calumniandique studio, & hi vicissim illos acerbitate atq; maledicentia superarũt.

VVittenb. & Lipsiensium tergiuersatio.

Venit Magdeburgum sub initium huius certaminis Nicolaus Gallus, VVittenberga vocatus ad Superintendentiam, qui non ita pridem Ratisbona pulsus erat, quod Augustano se decreto de religione obijceret. Erat is homo turbulentus admodũ, & prodigiosè Lutheranus; qui & ipse Flacio se cõtra VVittenbergenses adiunxit. Iam & Nicol. Ambsdorffius, quẽ Cæsar subacto Saxone de Naũburgẽsi Episcopatu deturbarat, elapsus fuga Magdeburgum è Misnia redierat ad veterẽ nidum. Atque hi communi studio Senatum populumque Magdeburgensem concitarunt aduersus Cæsarem, effeceruntque tribunitijs concionibus, vt Augustanum decretum de religione contemptim reijcerent.

Gallus, & Ambsdorffius Magdeburg. ad seditionẽ accendũt.

Magdeburgens. recusant decretũ August.

Itaq;

ANNO 1550.

Itaque proscripti tandē à Cæsare fuerunt, & per Mauritiū Imperij nomine cum exercitu circumsessi oppugnatique. Quanquam bellum illud lente satis & remisse fuit administratū, quod Mauritius iam tum alias machinationes aduersus Cæsarem animo voluteret. Tandem compositione res transacta est, & soluta ciuitatis obsidio, quæ in decimumquartum vsq; mensem continuata fuit. Quanquam verò Mauritius, imò & Cæsar ipse per Flacium, cæterosque factionis istius concionatores importunis clamoribus, & scriptis publicis grauiter erat offensus; tamen cum negotium transigeretur, omnia ista dissimulata fuerunt; quod Mauritius iam tum Cæsari bellum inferre decreuisset: Quæ res audaciam Flacianorum atque ferociam non exiguis incrementis auxit. Dolenter id tulerunt Adiaphoristæ, qui sperauerant, vrbe hac in potestatem redacta, Flacium, Ambsdorffium Gallum, cæterosque istius factionis, gula laqueo fracta de mœnibus suspendendos, velut incentores istius belli, qui scriptis & concionibus seditiosis ad rebellionem ciuitatis incolas concitassent. Obsidione soluta, cùm Mauritij præsidium in vrbem receptum esset, Flacius, qui se Principem offendisse nouerat, periculi vitandi gratia Gotham secesit ad tempus. Quod cum VVittenbergensibus innotesceret, hoc agi cœptum est, vt isthinc eijceretur. Ille vero, cùm post obsidionis diuturnas mole-

Ann. 1550. Proscribūtur, & à Mauritio oppugnantur.

Obsidio soluitur.

Crescit furor Flacianorum.

Schlusselb. pag. 855.

Flacius Gotham secedit inde Magdeburgum.

ANNO 1550.

molestias per semestre liberiorem captasset auram, ad asylum Magdeburgicum reuersus est.

Ann. 1551. Mauritius bellum infert Cæsari.

Paulò post, quã soluta fuit obsidio, quod in autumno factum est, anno 1551. Mauritius inito fœdere cum Rege Galliarum, & quibusdam Germaniæ Principibus, inopinato Cæsari bellum intulit, quod anno 1552. paucis mensibus post, quam exarsit, cùm Saxonem & Landgrauium Cęsar è vinculis dimisisset, compositione sopitum fuit. Ex hoc bello & aliud quoddam anno sequente 1553. in ipsis Germaniæ visceribus proseminatum est; quo ijdem Principes, qui fœdere coniuncti anno priore Cæsari bellum intulerant, Mauritius inquam Elector Saxo, & Albertus Brandeburgicus iusto Dei iudicio, mutuis sese armis confecerunt: Brandeburgicus enim 9. Iulij prælio superatus ausugit, & post ditionibus suis omnibus exutus in exilio finiuit vitã: alter verò Mauritius biduo post, quam globo læsus fuit in conflictu, animam exhalauit; vt ex historijs illorum temporum constat. Dum verò Germania bello Magdeburgico, machinationibus in Cæsarem, atque intestinis Principum disidijs arderet, ab acerbis scriptionibus inter Flacium & Melanchthonem, eorumque gregales cessatum nonnihil fuit: Quanquam de odio atq; virulentia in alterutrum neutri quicquam remiserunt.

Compositione finitur.

Saxonis & Brandeburg. bellum.

Mutuis sese armis conficiũt.

IV. Intereà Regiomonte in Borussia nouum de iu-

de iustificatione dogma protulit Andreas Osiander, qui non imputatione mortis & iustitiæ Christi, vt Lutherani asserunt, sed per essentialem Christi Dei iustitiam, habitantis in nobis, & ad bene operandum impellentis, hominem iustificari docuit. Fouebat Osiandrũ patrocinio suo Borussiæ Dux Albertus Brandeburgicę stirpis Princeps Lutheranus, idq; tanto affectu, vt quoscunq; posset alios in illius sectæ consortium autoritate sua pertraheret. Cum igitur Flacius id tẽporis propter motam VVittenbergensibus cõtrouersiam passim celebraretur, & hunc Osiandro conciliandum censuit. Inuitauit ergo Flaciũ, vt sese adiungeret ad causam istam, & quemadmodum alijs in rebus VVittẽbergensibus contradiceret, ita & in hoc propugnãdo dogmate quod ipsum esse veritatis nucleum iudicabat, Osiandro se contra Melanchthonem alios q; socium præberet. Vt verò Flaciũ moueret efficacius, & lubentem faceret, honorarium illi satis largum transmisit. Ille verò nihil motus illectamentis Principis, Osiãdri se hostem professus est, eiusque nouũ dogma scriptis publicis non minus, quam VVittenbergenses, velut erroneum reiecit: quãquam in causa decreti Augustani eandem cũ Osiãdro sententiã cõtra Melãchthonẽ tuebatur.

ANNO 1551. Hæresis Osiandri eiusque dogma.

Eius patronus Albertus.

Inuitat Flacium ad hæresin Osiandri.

Flacius hostis Osiandri.

Iam verò & Georgium Maiorem vnà cũ socijs anno 1552. tractatibus in lucem editis oppugnauit, qui charitatis opera fidelibus ad salutem esse necessaria prõfitebatur: Quod

Ann. 1552. Hæresis Maioris eiusque dogma.

ANNO 1552.

dogma, tanquam papisticum Flacius eiusque gregales abominabantur; vnde durum atque diuturnum inter Maioristas & Flacianos certamen exarsit. Surrexit & alius quidam nouus dogmatistes in Silesia, Caspar Svvenckfeldius vir nobilis, qui de Christo, de scripturis Sanctis, de ministerio Ecclesiastico, de Sacramentis, alijsque fidei mysterijs fanaticas sparsit opiniones; cuius haeresis sub insigni pietatis larua in omnes penè Germaniæ prouincias breui tempore dimanauit. Flacius igitur rogatu Silesiorũ quorũdam, qui Lutheranis partibus erant addicti, Svvenckfeldij nouam haeresin prolixo volumine confutauit. Ille vicissim Flacium aggressus, vt dogmata sua propugnaret, nihil ad summam diligentiam fecit reliquum. Ita & inter istos certamen efferbuit, quòd alternis scriptationibus auctum, vt oleo infuso flamma, sese in magnam amplitudinem diffudit.

Haeresis Svvenckfeldij eiusque dogmata.

Conflictationes Flacij & Svvenckfeldij.

CAPVT II.

I. *Centuriæ Magdeburg. autore Flacio, tribuno ærario & Sumptuum collectore, peculatus à VVittenberg. arguto.*

II. *Idæa operis cum capitum seu locorum distributione.*

III. *Ordo operis.*

IV. *Peculatus Flacij, & crimen falsi cum VVittenbergensium sannis in Flacium & VVigandum, acerbissimoq; eius in aduersarios respon-*

responso. editio operis cum enumeratione authorum.

ANNO 1552.

I.

SVB hoc tempus Magdeburgi per Flacium eiusque socios de historia ecclesiastica ex antiquis Ecclesiæ Scriptoribus ordine certo consarcinanda deliberatum fuit: Id Flacij cumprimis monitu ductuque, qui consultationes istas moderabatur. Collegas habuit & socios huius instituti Nicolaum Gallum, Ioannem VVigandum, Matthiam Iudicem, & Basilium Fabrum, de rigidorum factione Lutheranos omnes, quorum industria studioque natæ tandem fuerunt, quæ passim extant, Centuriæ Magdenburgensium: In quas ex omni antiquitate, quicquid illis collibitum fuit, imprimis quod contra fidem à maioribus traditam quoquo pacto torqueri potuit, ordine per locos communes disposuerunt. Cæterùm, quia Flacius operis huius autor fuit præcipuus, non erit alienum ab instituto, si de eo pauca quædam inseramus.

Centuriæ à Magdeburg. consarcinātur.

Erat res, quam in hoc genere Flacius & socij machinabantur, non immensi laboris modo, sed & magnorum sumptuum; quandoquidem multorum opera fuit vtendum ad colligendum ea digerēdumque, quę centurijs suis infarcire voluerunt. Itaque prima illis cura fuit, vt pecuniam, quam huius negocij non secus ac belli neruum fore videbant, inter Lutheranæ professionis homines corrogarent.

Pecuniæ, librique corrogātur ad hoc opus.

ANNO 1552.

Quam ad rem, vbi fama de hoc instituto per germaniam aliasque Europæ prouincias sparsa fuit, multi se paratos exhibuerunt, qui non modo suppeditarunt libros, sed & pecuniam liberaliter cõtulerunt. Quicquid verò nummorum suppeditabatur, ad Flacium delatum fuit, tanquam supremum huius operis gubernatorem; quem VVittenbergenses hãc ob causam Tribunum ærarium, pecuniæ cõquisitorem, prouincialem, & Procuratorem per germaniam, vel Europam potius generalem primum, post etiam Dominum appellarunt. Postquam verò hic Magdeburgo discesit, in Thuringiam auocatus, vti paulò infra suo loco dicemus, alij cuidam è præcipuis gubernatoribus rei nummariæ cura demandata fuit.

Flacius tribunus & procurator ærarius.

In resp. VVittenberg. ad Narrat. Centuriat. B.iiij.a.

Et Flacium quidem VVittenbergenses editis in vulgus epistolis peculatus reum fecerunt, quasi collectam in publicos vsus pecuniam fraudulenter interuerterit, addito sarcasmo, Magdeburgi scilicet opus historicum consarcinari prorsus aureum, ex multo aurogermanico conflatum. Persuasum habebant VVittenbergenses, onus illud, quod in opere hoc pertexẽdo Flacius eiusque gregales susciperent, longe grauius esse, quam vt ipsorum humeris viribusque conueniret: futurumque, quod vulgo dicitur: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Ideoque spargendis in vulgus huiusmodi litteris & chartis ridebant conatum Flacij, & falsis scom-

Flacius arguitur criminis peculatus.

Eius conatus irridentur.

scommatibus atq; dicterijs historicum hunc fœtum exagitabant, priusquam in lucem ederetur. Id verò perquam dolenter tulerunt Centuriatores, veriti nimirum, ne principes, ciuitates, alijque à conferendis in hoc opus subsidijs auerterentur, si mala fide pecuniam administrari crederent. Itaq; vt suorum liberalitatem alerent, detergendam cẽsuerunt, quam VVittenbergenses aspersérant, fœdam peculatus maculam, vnaque delineationem publicè proponendam illius operis, quod tanto conatu moliebãtur. Emittunt igitur scriptum quoddam admodum breue, in quo paucis explicant institutum suum, & modum describunt idipsum exequendi; adeoque totius operis idæam atque dispositionem velut in Synopsi delineatam proponunt in hunc modum.

ANNO 1552.

Idæa operis Centuriatorum.

Institutum nostrum hoc est, inquiunt, quod decreuimus, aspirante Deo, Ideam Ecclesiæ Christi in maximis & grauissimis rebus, quantum quidem omnino fieri potest, ex vetustissimis & optimis autoribus, tum historicis, tum Patribus, alijsque Scriptoribus comportare. Nam in Eusebij, & in alijs pleriſque historijs personæ ferè tantum tractantur: De doctrina, quæ anima & forma ecclesiasticæ historiæ esse debebat, ferè nihil inest: de ceremonijs, de controuersiarum diremptione, de gubernatione Ecclesiarum, & alijs eius generis permultis, aut mutæ sunt prorsus, aut valdè mutilæ; ita vt non

II.

" *In Narrat. Centuriat. de Eccl. Historia, A.iij.a. & seq.*

ANNO 1552. tantum nos, sed omnes rectè iudicantes, aliquanto neruosiorem, & pleniorem Ecclesiæ historiam iamdiu desiderarint. Etsi autem nostra imbecillitas melius nobis cognita sit, quam alijs, tamen cum à multis non imperitis aut indoctis hominibus simus rogati & incitati (præsertim cum ij, qui doctrina, & alijs rebus plurimum potuissent,) labores istos, quia præmia viderentur deesse, omninò detrectabant delineationem quandam potius, quam tractationem experiri voluimus; id quod nemo nobis vitio poterit vertere; Quia igitur singulis propemodum seculis magnæ quædam mutationes rerum acciderunt, visum nobis est res ecclesiæ ita partiri, vt singuli libri singula secula aut centurias, vti vocamus, complecterentur. In ijs porro certos titulos aut capita habemus, quæ eodem ordine & modo in omnibus seculis manent; hoc videlicet pacto: Vt primum caput propositionem & argumentum libri contineat. Secundum, quo in loco totius orbis terrarum in hoc seculo fuerint Ecclesiæ hospitia; quæ propagationes siue ampliationes siue conuersiones factæ. Sedes enim Ecclesiæ Dei primum delineandæ videntur. Tertium, qualem Ecclesia Dei vel persecutionem vel tranquillitationem habuerit, & à quibus vel male vel bene tractata sit, & quales hostes ac persecutores Deo pœnas dederint. Hæc ad externam Ecclesiæ faciem vtcunque cognoscen-

Loci vel capita Centuriatorũ.

1.
2.
3.

gnoſcendam faciunt. Quartum, qualem doctrinam in ſingulis articulis ea ætas habuerit, & in quibus rurſus facta ſit inclinatio. Ea verò nunc ad interiorem Eccleſiæ formam perdiſcendam conferunt. Quintum, quales hæreſes & corruptelarum manifeſta portenta eo ſeculo graſſata ſint. Nam antitheſin veræ doctrinæ, ac furores diaboli proponunt. Sextum, quales paſsim ceremoniæ in Eccleſia vel in vſu fuerint, vel recens inuentæ atque aſſumptæ ſint. Adhærent enim doctrinæ. Septimum, qualem gubernationem in eccleſiaſticis rebus habuerint perſonæ ad miniſterium deſtinatæ; qui gradus extiterint, quæ officia geſſerint; qualis fuerit conſociatio ſiue vniuerſalis ſiue prouincialis, & ſimilia. Hæc enim pars quaſi præcedentes aliquot coniungit, & actiones externas Eccleſiæ exponit. Octauum, qualia ſchiſmata orta ſint inter Eccleſiæ Doctores, & quomodo compoſita. Nam de religionis controuerſijs illa naſcuntur. Nonum, qualia Concilia eo ſeculo ſint celebrata, ad quæ quidem occaſionem hæreſes, ſchiſmata, ac contentiones præbuerunt; & quomodo ſingula tractata, quæ denique decreta ſancita ibi ſint. Hæ ſunt præcipua methodi capita. Poſtea aliquot alia annectuntur, in quibus ea, quæ in ſuperioribus non potuére commodè explicari, pertractantur. Decimum, quales perſonæ in

ANNO 1552. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

ANNO 1552. ecclesia Dei illustres fuerint, quas vocationes gesserint, quod docuerint, quos nęuos habu-
„ erint, quæ certamina sustinuerint &c. Vnde-
11. cimũ, quales personæ hæretici fuerint. Duo-
12. decimum, quales martyres ea ætate facti.
13. Decimumtertium, qualia miracula & prodi-
14. gia eo tempore acciderint. Decimumquar-
„ tũ, quo in statu fuerint res Iudaicæ externæ.
15. Decimumquintum, quales religiones extra
16. Ecclesiam, & quo in statu fuerint. Decimum-
„ sextum, quales mutationes in politicis Im-
„ perijs eo tempore factæ sint.

„ Et in hisce capitibus singulis ordo rerum
„ gestarum, & annorum annotatio, quantum
„ fieri potest, obseruatur. In istis Synopsin Ec-
„ clesię cuiusque seculi comprehendi & expli-
„ cari mediocriter posse iudicamus. Neq; verò
„ temere eum ordinem arripuimus, sed ipsa
„ rerum tractatio, & deliberationes plurimæ
„ eũ, Deo nos iuuante, suppeditauerunt. Breui
„ autem, Deo dante, integram Methodon in
„ lucem dabimus, ex qua partium omniũ har-
„ moniam ac distributionem candidi lectores
„ cognoscent. Iam neminem esse credimus vel
„ tam hebetem, vel etiam tam peruersum, qui
„ non videat, res longe grauissimas variasque
„ ad istas metas pertinere, nec satis esse, quali
„ stringere leuiter materias, verum aliquanto
„ solidius inserendas esse. Facile insuper ani-
„ maduertunt prudentes viri, non sufficere
„ vnum aut alterum ad res tantas comportan-
„ das & recte connectendas.

Est

ANNO 1552.

Est autem ipse processus, vt sic dicamus, tractationis in istas quatuor quasi operas distributus. Primum alimus certis stipendiis iam septem studiosos, doctrina ac iudicio mediocri præditos, qui autores sibi propositos euoluunt summa attentione & fide, ac iuxta Methodi metas solicitè & curiosè singula excerpunt, & quasi anatomiam autorum faciunt, suoq; loco quælibet asscribunt: idque faciunt semper vnum seculum post aliud in manus accipientes. Deinde alimus duos magistros, ætate, doctrina, & rectitudine iudicij præstantes, quibus, quod priores sedulæ ac industriæ apiculæ ex varijs locis ac floribus conuexerunt, traditur, vt rerum cõgestarum dijudicationem faciant, delineent ac disponant, quæ in scriptionem venire debent; ac denique pertractent & connectant narratione historica. Tertio, constituti sunt ex gubernatorum numero quidam inspectores, qui collectoribus materias distribuunt, & ea, quæ sunt delineata examinant, & rerum iudicium atque partium collocationem adiuuant (nihil enim scribitur, nisi prius hac ratione diiudicatum sit) scripta deinde rursus sub limam vocant; ac denique etiam quædam pro necessitate ipsi cõtexunt ac scribunt. Quarto alimus amanuensem, vt vocant, qui sic composita mundius describit. Vltra hosce sunt communes totius operis gubernatores & inspectores optimæ fidei homines quinque, qui consiliis præsunt,

III. Quadruplex ordo Centuriatorum.

1.

2.

3.

4.

5.

ANNO 1552.

& idoneas personas accersunt, nõ idoneas dimittunt: habent sumptuum rationem. Vnus „ autem ex istis, si quid contribuitur, custodit, „ & habet libellos acceptorũ & expensorum.

Quæruntur super inopia sũptuum.

Hæc illi de dispositione totius operis, deque laborum atq; operarum partitione, priusquam vlla centuriarũ lucem aspexit. Queruntur deinde de inopia sumptuum; qui cũ parcè suppeditentur, operarios nõ liberaliter satis pro merito, sed frugaliter alẽdos aiunt.

Excusant Flacium.

Excusant tandem Flacium Illyricum de peculatu, eumq; iniuria nõ vulgari dicunt affici, quod in suspicionem trahatur, quasi pecuniam communẽ fraudulenter interuerterit; testantur eum eleemosynas collectas optima fide in opus hoc impendisse. Graues se labores, inquiunt; sustinere, quibus beneuolentiam, communicationẽ consiliorum, librorũ & sumptuum, aliaq; id genus officia potius, quam sannas, ludibria, irrisiones, sarcasmos, & criminationes mereantur. Subscripserunt huic Narrationi nomina sua Centuriatores omnes, summi, mediastimi, infimi, numero quatuordecim; Flacio tantum excepto, qui vel iam tũ Magdeburgo discesserat; vel consulto subtraxit manum, ne furti accusatus innocentiæ testimonium ferret de seipso, sed per alios potius ab intentato crimine liberaretur. Alioquin licet, anno 1557. relicto Magdeburgo in Thuringiam commigrauit, à Synedrio tamen vel collegio centuriatorũ nõ discesit; vt editæ sequentibus annis centuriæ testantur.

Cæ-

Cæterum iurene an iniuria Flacio peculatus notam inusserint isti, equidē compertum non habeo: illud constat, non modo de pecunia hac, verum & de libris venditis infamiam quandam illius nomini postmodum adhæsisse; quā Melanchthonicorū perpetuę criminationes nō parum auxerunt. Memini ego audire me ex Concionatore Lutherano, qui Magdeburgi aliquandiu hæserat, Illyricum palam insimulatum furti, quod libros manuscriptos in membrana communicatos aliunde, cum vsui esse desijssent, vendiderit, eorumq; pretium conuerterit, in priuatos vsus. Certè Concilium Nicenum Francofurti constat in nundinis ab eo venditum cuidam ciui nostro, doctrina & pietate præstanti viro, qui rasuram in eo deprehendit, vti referre consueuerat, ob quam scriba publicus vel Notarius infamis redderetur. Scriptum erat; assidente Constantino; at in voce, assidente, priores duæ litteræ raso pergameno deletæ erant, suppositæque tres aliæ, præ, quasi Constantinus in Concilio præsidentis munere perfunctus fuerit: id facinus si Flacius admiserat, vti prorsus est verisimile, furtum aut peculatus falsi crimine cumulatur. Verum hæc obiter per occasionem.

ANNO 1552. Iudicium Lutheran. de crimine peculatus Flacij.

Flacij fraus in vendito Concilio Nicæno.

Vbi prodijt in lucem hæc Centuriatorum Narratio, VVittenbergenses anno 1558. respondent edito scripto quodam supra modū acerbo, cui & ludibria passim inspergunt & san-

Wittēbergensium sannæ in Flacium & Wigandū.

ANNO 1552.

sannas in opus historicum, eiusque fabricatores,& in Flacium imprimis, VVigandumque, duos illius operis primarios gubernatores atrociter debacchantur inter cætera Flacium asseruisse dicunt in scripto quodam publico, rectius facturos parentes, si in lupanar liberos suos mittant, quã in Academiam VVittenbergensem. Itaq; criminationibus vicissim illum incessunt acerbissimis, eumq; diabolum, imo Centuriatorum, quos miseros diabolos vocant, patrem διαβολικώτατον, sceleratum parricidam, tribunum ærarium, pecuniæ in vsum publicum commendicatæ depeculatorem, demum impostorem sceleratissimum appellant.

In resp. ad Narrat. B. iiij. b. Flacij sententia de Academia Wittenberg.

Epitheta Flacij.

Sumptus ad historiam scribendam per totam fermè Europam conquisitos aiunt, magnamq; pecuniæ vim initio collectam, cum potestates, throni, regna, nationes, respublicæ, reges, principes, comites, nobilitas, consiliarij, doctores, ciuitates, equites, mercatores, & fœneratores certorum locorum contribuerint. Nec omnes ijsdem causis ad largiendum permotos fuisse. Quosdam, quorum minimam partem fuisse dicunt, pro studio; alios zelo peruerso, nonnullos cupiditate vindictæ, quam à Flacianorum scriptionibus sperarint; alios aduersariorum odio; alios spe nouorum motuum; alios gloriæ cupiditate impulsos, nimirum vt celebraretur illorum liberalitas, pecuniam contulisse. Quosdam ad contribuendum Flacij commen-

Ibidem D, ij. b. Refellunt obiectionẽ de inopia sumptuũ.

Contribuentium diuersus animus.

mendicatoris autoritate permotos, cuius per Europam nomen ob concitatas turbas celebratum fuerit: Nec paucos pecuniam elargitos in historiam hanc ecclesiasticam, qui, quid historia sit & ecclesia, nesciant, sed Flacium modo nouerint. Inueniri etiam inter contributores, quos stultitiæ suæ in largiendo pœniteat. Interim si operarij minus largiter habeantur, & tenui operentur stipendio, id non inopia sumptuum fieri, cum multum auri congestum sit; sed eius culpa, qui rem nummariam curet. Iniquum esse, vt alij mercedem præripiant ijs, qui æstum diei ferant, & pondus laborum: cum quibus ita comparatum sit, vt dum ipsi comportant historias, alius pecuniam comportet aſportetque. ANNO 1552.

Hæc & id genus alia de Centuriatoribus, eorumq; conatu historico scholastici VVittenbergenses scripserunt, cum Flacius cæterique moderatores Centuriis nondum editis domi adhuc incubarent: Quas tamen paulò post, quam scriptum hoc VVittenbergensium prodiisset, in publicum proferre cœperunt: ne scilicet alienatis hominum animis, & neruo contributionũ inciso, quod ad importunos VVittenbergensium clamores fieri posse videbant, ab instituto tandem esset desistendum. Prodierunt igitur deinceps aliæ centuriæ post alias, in quas integrũ ecclesiasticæ historiæ corpus secuerunt, editæ sub nomine studiosorum aliquot, & piorum Centuriæ in publicũ exeunt.

ANNO 1552.

rum virorum in vrbe Magdeburgica. Hi fuerunt numero quindecim, quemadmodum ex Narratione constat de idea totius operis, quam VVittenbergenses tam mordaciter, vti diximus, sugillarunt. Huic enim omnes, qui tum distributis operis laborabant, exceptoFlacio nomina subscripserunt, & quidem hoc ordine: Ebelingus Aleman Consul. Martinus Copus Doctor medicinæ. Ioannes VVigandus pastor ad S. Vdalricum. M. Matthæus Iudex, minister verbi Dei ibidem. M. Basilius Faber. M. Pancratius Veldpock. Ambrosius Hidfeld. Dauid Cicelerus. Casparus Leunculus. VVilhelmus Radensis. Nicolaus Beumullerus. Bernardus Niger. Petrus Schröder. Conradus Agrius. His si Flacium addas, supremum operis architectum, erunt in vniuersum quindecim è quorum numero quatuor tantum præcipui moderatores additis præfationibus nomina sua centuriis adscripserunt: Matthias Flacius Illyricus, Ioannes VVigandus, Matthæus Iudex, & Basilius Faber. Quam verò mala fide, quamque fraudulenter egerint hi gubernatores, dum conquisitam è scriptis veterum, inque locos digestam rerum variarum syluam centuriis istis infarciuerunt, à Catholicis maturè deprehensum est, & scriptis publicis luculenter demonstratum.

Autores Centuriarum. *Ibidē B.ij.b.*

Mala fides Centuriatorum.

CA-

CAPVT III.

ANNO 1552.

I. *Flacius Melanchthonem ad palinodiam vocare conatur, idq; per Cocceritium.*

II. *Eum ad Colloquium inuitat, adducitq; ad agnitionem delicti.*

III. *Ienam vocatur ad Superintendentiam & professionem. eius lucubrationes quædam, & communia cũ Magdeburgensibus fulmina in Synergistas. dissidium cũ Strigelio.*

IV. *Liber Ienensis, indeq; origo turbarum inter Flac. & Synerg. Strigelio ob id in carceres coniecto.*

V. *Disputatio Flacij cum Strigelio Manichæismum & alias hæreses propugnantis, vnde & apud suos, & ipsum principem omni gratia excidit.*

ATQVE hæc quidem de historico Magdeburgensium opere duximus inserenda, quandoquidem Flacij vitam scribimus, quem huius instituti primum autorem fuisse constat. Nunc ad actiones reuertamur breuiter pertexendas secundum annorum seriem, extra quam Centuriatorum ductu nonnihil egressi sumus. Dum obsessus fuit Magdeburgi Flacius, & postmodũ obsidione soluta cum Osiandro, Maiore, Svvenckfeldio conseruit manũ, vnaq; dirigendis annalium centurijs occupatus fuit, paulò remissius Melanchthonẽ per annos aliquot exagitauit. Imprimis vero ferociam ipsius atq; impetum fregisse videtur obiectũ à Wittenbergensi-

I. Flacius conatur Melanchthonem ad palinodiam reuocare.

Flacius reus criminis peculatus.

ANNO 1552. genſibus fœdum peculatus crimen: quod licet ſocij detergere conati ſunt, elui tamen aſperſa labes ad eum modum non potuit, quin fibræ ſuſpicionum in hominum animis remanerent. Vidit præterea Flacius Eccleſiam Lutheranam magis magisq; luxari diſſidiis inteſtinis,& in varias factiones diſtrahi, dum noua ſubinde dogmata cuderentur è Lutheri principiis, aliæque ſectæ poſt alias ſuppullularent. Qua re permotus cogitandum cenſuit de dirimendo potius,quam augendo certamine, quod illi cum VVittenbergenſibus acre ſatis & cruentum ab annis aliquot intercellerat. Itaque Melanchthonem captauit variis modis,quem eo perducere conatus eſt, vt lapſum agnoſceret, & cantata palinodia in viam rediret euangelicæ veritatis,quam in conſultationibus de libro Interim per Mauritium inſtitutis in gratiam hominum deſeruiſſet. Id vero Flacius non modo coram viua voce, ſed & abſens per litteras, imo & per emiſſarios ſuos Melanchthoni conatus eſt perſuadere: Quanquam fruſtra ſemper ea quidem in re laborauit.

Eccleſia Luth. diſtrahitur.

Anno 1555. Cocceritij conatus in reuocando Melancht.

Anno 1555. Octobri menſe, quidam de Flacij contubernio, vir grandæuus, Cocceritius nomine venit ad Melanchthonem, illiq́ue conditiones quaſdam propoſuit, quibus concordiam inter Flacium,& VVittenbergenſes inſtaurari poſſe iudicabat. Cuiuſmodi verò fuerint iſtæ conditiones, quoque euen-

euentu Cocceritius iſte conciliationem tentarit Melanchthon ipſe breuiter loco quodã commemorat, cuius verba ea de re inſero: Cum redijſſem domum, inquit, poſtridie mane venit ad me Cocceritius ſenex, primũ vt L. Gellius Athenis philoſophos, ita hic nos ad concordiam hortatur: ſed hoc durius quam ille Romanus; affert præformata capita, primum de palinodia; iubet fateri, nos aboleuiſſe decalogum. Hæc enim erant verba in ea formula. Deinde noua συνομοσία, coniuratio, erat addita, vt promitteremus, nunquam nos acceſſuros eſſe ad vllas conciliationes, ſi quæ cum Epiſcopis inſtituerentur: nec vnquam cõceſſuros eſſe principibus, vt aliquid in eccleſia conſtituant. Reſpondi planè λακωνικῶς περὶ ὧν ἐνεγράφη; ὅυ Laconice, de quibus perſcripſerat: Non eo autem breuior fui, ne quid iratus dicerem durius. Legeram enim virulentum ſcriptum ſomnij germanici, cuius autorem eſſe τὸν ῥάπτην quidam ſuſpicantur; quidam Polyphemi filium, fratrem τοῦ ἰλλυριοῦ. Ego non vnum ῥάπτην ſcripſiſſe iudico, ſed multos fuiſſe συῤῥάπτας, conſarcinatores; ac video nos duos præcipuè peti, & noſtris capitibus fata cantari.

ANNO 1555. *In ep. Mel. ad Gamer. pag. 694.* Verba Melanchthonis.

Hactenus Melanchthon: quem anno ſequente proximo Flacius ipſe ad colloquium inuitauit, eiq; locum conſtituit Coſvvicum, medio fere itinere inter Magdeburgum & VVittenbergam ſitum oppidum. Melanch-

II. Anno 1556. Flacius inuitat Melanchth. ad Colloquiũ Coſwici.

ANNO 1556.

thon ſolus colloqui cum Flacio recuſauit. Actum eſt de mediis, quibus inteſtinum diſſidium vtriuſq; partis honore ſaluo componeretur. Et Flacius quidem gratiam, pacem, amicitiam, & nihil non VVittenbergenſibus obtulit, modo ſe paſſos quiddam humanitus, & in errorem lapſos faterentur, ac deinceps in officio futuros promitterent. Melanchthon verò licet infirmitatem ſuam agnoſceret, ſeque in deliberationibus de libro Auguſtano, pacis ſtudio, periculique vitandi gratia forte longius progreſſum non diffiteretur; defectionis tamen ab Euangelio proditæque veritatis crimen ſibi per aduerſarios impoſitum dolenter & indignè tulit. Verbis vltro citroque commutatis re infecta tandem diſceſſum eſt: acta verò Colloquij poſtmodum typis expreſſa fuerunt, & per Germaniam diuulgata.

Infirmitas Melanch.

Reinfecta diſcedunt.

Melanchthonici petunt ἀμνηςίαν imprudentiæ à Flacianis.

Vrgebant Melanchthonis fautores inter cætera perpetuam ἀμνηςίαν vel obliuionem eorum, quæ forſan hactenus in negotio conciliationis Auguſtaniq́ue decreti parum caute per imprudentiam acta fuiſſent, ne ſcilicet Melanchthon ad publicam illius lapſus palinodiam adigeretur; ſed vt offenſionibus vtrinque condonatis, & vtriſque pacis ſtudio deinceps quieſcentibus ſanaretur hoc vulnus, & tota controuerſia paulatim conſeneſceret. Flacius verò eiuſq; ſocij palinodiam omnino poſtulabant, eamq; publicam, nec amneſtiæ vel obliuionis tegumen-

mento velandam iniuriam dicebant, quam euangelio, Ecclesiæque Lutheranæ per Melanchthonem eiusque socios illatam querebantur. Melanchthon verò, vt placaret aduersarios, seque pacis cupidum ostenderet, anno 1556. datis ad Flacium litteris, inter cætera, quæ de consultationibus aulicis scribit, ad mitigandum illius animum, grauiter à se peccatum fatetur, eoque nomine veniam petit à Deo, quod actionibus per Mauritium institutis de libro Interim, deque concilianda religione se passus sit adhiberi. ANNO 1556.

Melanchthon agnoscit delictũ.

Hac eius ingenua confessione, Flacius cæteriique factionis istius, annis sequentibus ad Melanchthonem inuidia maiore grauandum, premendumque fortius abusi sunt; qui tamen hoc ipsum, quod priuatim scripsit ad Flacium, etiam publicè profiteri non recusauit, anno sequente proximo, quo VVittenbergenses eandem hanc epistolam ipso conscio typis excusam, publici iuris fecerunt. Verum ne sic quidem satisfieri potuit aristarchis istis, qui vel palinodiam publicam vrgebant, vel Synodum gentis Lutheranæ, in qua disputatione publica cõgrederentur cum Melanchthone, dirum anathematis fulmen in caput eius vibraturi, si quis huiusmodi conuentus haberetur. Non ignorabat hoc Melanchthon: itaq; cum Flacium eiusq; socios nullis à se rationib. mitigari posse cerneret, missos eos deinceps fecit, velut

Flaciani fiunt turbulentiores.

Melanchthon se plane à Flacianis abdicat

ANNO 1556.

velut homines turbulentos ingratosq;, quos ipse propemodum omnes, velut serpentes in sinu fouerat, nec porro quicquam commercij cum ijs habere voluit. Interim conatus Flacianorum omnes, & consilia de Synodo cogenda variis artibus elusit impediuitque. Et quanquam Principes nonnulli Flacianorum instinctu magno studio negotium illud vrgerent, Melanchthon tamen, quibuscumque potuit rationibus fregit hunc impetum, effecitque ne dum ipse viueret, vllus huiusmodi conuentus haberetur.

Eorum conatus & consilia eludit.

III. Flacius Ienam vocatur.

Per id tempus Duces Saxoniæ Vinarienses, Ioannis Friderici Electoris filij, multum laborabant, vt Flacium Magdeburgo Ienam traducerent honesta conditione proposita, nimirum vt in Vniuersitate noua Theologiam doceret Lutherano ritu, vnàque munere Superintendentis in ditionibus ipsorum fungeretur: Quibus ille sub finem anni 1556. operam suam condixit, modo semestris vnius moram concederent. Erat Flacius id temporis totus in digerendis, quas diximus annalium ecclesiasticorum centuriis. Habebat & librum sub manibus, quem Catalogum inscripsit testium veritatis, mendaciis & calumniis refertum: Præterea scriptum quoddam cudebat satis prolixum contra Schvvenckfeldium; neque se expedire poterat ex istis occupationibus, nisi totus ijs vacaret integro semestri, atque interim ab aliis curis molestiisque liber esset:

Eius libellus mendax de testibus veritatis.

Liber contra Swenckfeld.

Quod

Quod spacium Principes illi facilè concesserunt. ANNO 1556.

Paulò post & Heidelbergam vocatus fuit per Ottonem Henricum Electorem Palatinum, qui per id tempus Ludouico patruo sine hæredibus vita functo, in Electorali dignitate succesſerat. Et quia decretum habuit publicam religionis atque rituum mutationem inducere, Flacium vocare placuit, vt illius consilio atque opera ad constituendas in Palatinatu ecclesias vteretur. Non renuit ille quidem, modo Saxoniæ Duces Vinarienses, quibus sese iam ad ministerium obligarat, à nexu promissionis solutum isthuc ire paterentur: quod cum obtineri non posset, fides Flacio seruanda fuit, exactoque semestri Ienam migrandum. Venit isthuc anno 1557. circa festum Pascatis, & in Academia Ienensi præter Erardum Sneppium, Victorinum quoque Strigelium inuenit, hominem Melanchthoni vehementer addictum, cum quo graues deinceps controuersias habuit, vti paulò post dicemus.

Heidelbergam inuitatur à Principe.

Anno 1557. Ienam venit, ibique domicilium figit.

Inualuit per id tempus noua quædam factio, vel hæresis inter Lutheranos, cui Flaciani Synergistarum nomen indiderunt, quod in rebus ad salutem pertinentibus humano arbitrio per Dei gratiam excitato, virium nonnihil & cooperandi facultatem tribueret. Ea VVittenbergæ per Melanchthonem concepta primum, inde Lipsiam pro-

Synergistarum secta.

ANNO 1557. VVittenbergæ & Lipsiæ glisc it.

seminata est, vbi postmodum anno 1555. per Iohannem Pfeffingerum Melanchthonicæ disciplinæ Theologum in lucem producta fuit, & publicè propagata. Habuit Pfeffingerus iste suos assecl as, quos continuo, simulatque in publicum prodiit hæc secta, Flacius, Ambsdorffius, cæteriqúe Magdeburgenses hostiliter oppugnarunt.

Magdeburgum statio Flacianorum.

Erat Magdeburgum id temporis statio Flacianorum & receptaculum tutissimum, vbi latitabant velut in præsidio quodam, & quoscunq; placuit, Melanchthonem, VVittenbergenses, Lipsienses, Osiandrinos, Adiaphoristas, Maioristas, & demum Synergistas velut hostes euangelij, magnis importunisq; clamoribus exagitabant, ac dirum anathematis fulmen, in quoscunque collibitum fuit, lingua calamoque iaculabantur. Interim ipsi reliquis ab euangelio deficientibus se solos purum retinere sinceriοris doctrinæ nucleum, & Dei causam agere buccis tumentibus iactitabant. Ideoque Magdeburgum velut officinam spiritualium armorum contra Cæsarem, Mauritium, & nouas Lutheranorum hæreses, imo, vt tum vulgo loquebantur, velut ipsius Dei Cancellariam haberi postulabant: ex qua Flacius eiusque socij decreta diuinæ maiestatis quaquauersum emitterent. Igitur quemadmodum annis superioribus hæreses in Lutheranos exortas è Magdeburgensi præsidio libris editis

Cancellaria Dei vocitatur.

Synergystas condemnant.

inse-

ANNO 1557.

infectati fuerant; ita & Synergistas, cũ prodirent in publicum dentatis scriptis laceratos autoritate prætoria velut pro tribunali condemnarunt: quod factum est, priusquã Flacius relicto Magdeburgo vocatu principum in Thuringiam commigrauit.

Flacius nouus Papa inter Lutheranos.

Huius vero nouæ factionis, Synergistarum inquam, erat & Victorinus ille Strigelius, de quo diximus, Ienensis academię professor, qui Flacium eiusq; socios oderat cane peius & angue, quod dicitur: quanquam dissimulandum illi fuit odium ad tempus, ne Principes offenderet; à quibus Flacius generalis ecclesiarum inspector, vnaq; Theologiæ professor in Academia constitutus erat. Itaque velut Archiepiscopus quidam supremam habebat rerum ecclesiasticarum curã: qua dignitate maiorem inter Lutheranos sperare non potuit: nisi se Papam quendam in gente Lutherana constitueret; quod machinari Flacium VVittenbergenses omnino persuasum habuerunt. Hic igitur supremi fastigij fulgor Strigelium deterruit, ne quod animo conceptum gerebat odium, in Flacium effunderet. Interim vt erat impotentis animi cohibere se nõ potuit, quin paulatim mentis secretum, & odij virulentiam proderet: quæ tandem velut ruptis repagulis liberius prouolauit; quod per huiusmodi occasionem factum accepimus.

A Strigelio odio habetur.

IV. Cura principum in

Mandarat Flacio princeps senior, Ioannes Fridericus secundus, qui suo fratrumq; nomi-

ANNO 1557. conseruando puro puto Lutheranismo.

nomine ditionem à patre relictam solus administrabat, hic, inquam, inter cætera Flacio dederat in mandatis, ne quid contagionis aut errorum admisceri pateretur syncero Lutheranismo, quem Principes isti purum putumque magno zelo profitebantur. Hunc non in dogmatibus tantum, verum & in ritibus externis prorsus integrum, nullaque sui parte, vel leuiter mutatum retineri voluit, persuasus sese cum fratribus in periculo futurum amittendæ veritatis, si minimam in vllo doctrinæ capite, vel externo ritu mutationem admitterent. Flacius igitur, vt Principum voluntati satisfaceret, autor illis vicissim fuit, vt quia varij passim errores inter Lutheranos gliscerent, autoritate sua librum quendam promulgarent à Theologis conscriptum, in quo confutarentur errores omnes superioribus annis exorti, quos ipsi velut alienos ab Augustana Confessione notandos anathemate iudicarent. Placuit consilium seniori Principi: itaque mandatum fuit Theologis Ienensibus, vt huiusmodi volumen conscriberent.

Flacij consilium de erroribus confutandis.

Liber Theologorum Ienensium.

Subierunt laborem istum Erardus Snepfius, Victorinus Strigelius, & Angelius quidam Ienensis pastor, Flacio vel disiungente se de industria, vel Strigelij machinationibus excluso. Vbi liber absolutus fuit, Vinariam conuocati fuerunt Superintendentes omnes, vt examinarent scriptum hoc, suoque calculo approbarent. Suasit Flacius consi-

Examinatur Vinariæ à Superintendentibus.

liariis,

liarijs, vt cum ad censuram liber reuocaretur, autores, qui eum scripserant, præsentes non essent; tum vt liberiora essent examinatorum suffragia; tum verò, ne qua forsan incideret altercandi occasio, si quid censores in eo mutandum corrigendumve iudicarent. At princeps præsentes esse voluit autores, cũ liber perlegeretur: Quæ res in eo conuentu magnas turbas dedit. Cùm enim Flacius, qui primus erat inter censores, alijque superintendentes inter legendum subinde monerẽt, si quid emendandum videretur; autores verò hoc ipsum iudicarent ad contumeliam suam pertinere, nõ rarò iurgium inter vtrosque magnique disidij flamma exarsit. Nec transigi res concordibus omnium suffragijs ad eum modum potuit, vti Princeps desiderabat. Congesta nihilominus fuit farrago quædam aut sylua Confutationum istarum, quæ post editæ fuerunt: Sed ea ipsa tum quidem propter varias altercationes sepositа fuit.

ANNO 1557.

Murmur & dissidiũ inter Theologos.

Farrago confutationum cõgeritur.

Obijt paulò post Erardus Snepfius, qui cum partibus Flacianis satis addictus esset, Strigelium autoritate sua cohibuit, ne in Flacium, quam animo gerebat amarulentiam euomeret. Verum illo rebus humanis exempto, quod anno 1558. contigit Calend. Nou. frænum excussit homo vehementer impotens, ac deinceps in prælectionibus publicis genuinum Flacio dentẽ liberius infixit, probris varijs atque conuitijs in eum congestis.

Ann. 1558. Snepfius moritur.

ANNO 1558.

Strigelius conatur infamare Flacium.

Hoc vnum verò Strigelius spectauit clamoribus istis, vt Flacium odiosum redderet omnibus,& studiosos in eum maximè concitaret. Quod cum princeps intelligeret,cauẽdum ratus, ne fœdum hoc inter professores disidium Vniuersitatis dissipationẽ gigneret,causam ad se reuocauit,missoque Pontano,qui Cancellarij munere fungebatur,Flacio renũciat, velle se audire vtrunq; coram, & quid simultatis inter eos gliscat, cognoscere. Flacius non admodum probabat hoc principis consilium, quod cõtentionem hac ratione sopiri dirimiq; posse desperaret; imò quod grauiores metueret ex hoc congressu motus:qui & paulò post secuti sunt Aliam igitur incendij restinguendi viam proposuit.

Principis industria in Strig. & Flacio concitando.

Improbatur à Flacio.

Consilium Flacij.

Agendum cum Strigelio cẽluit peramanter, vt deinceps quiescceret, àq; conuitijs & criminationibus abstineret. Quod si ab eo posset obtineri,se quidem, quas hactenus intulisset iniurias omnes homini cõdonaturum. Si quid vitij vel erroris in doctrina sua deprehenderetur, paratum se causam submittere Synodo, eiusque decretum expectare. At princeps in sententia perstitit, voluitque vt Strigelius se prẽsente causas proderet,cur in Flacium tam impotenter stomacharetur.

Princeps in sua sententia persistit.

Igitur ventum est ad Colloquium, in quo Princeps ipse, Cancellarius, alijque nonnulli præsentes fuerunt. Quanquam iurgium rectius dixeris, & virulẽtam altercationem, quam

Colloquiũ & altercatio Strig. & Flacij.

quam colloquium. Et Flacius quidem magnis se contumelijs affectum querebatur; idque iam à multo tempore Strigelium operã dediſſe, vt non auerteret tantum hominum animos à ſe, ſed & omnes in odium ſui vehementer concitaret. Quin & epiſtolium protulit eum in finem à Strigelio ſparſum inter ſtudioſos, vt ſe ſocioſque in odium adduceret. Ille cõtra, nihil horum negauit; quæ pridem publice priuatimque de Flacio dixerat, ea nunc verbis vſus acerbiſsimis in faciem obiectat: Nimirum quod ſemina ſpargeret variarum diſſenſionum, & Lutheranam eccleſiam in factiones diſtraheret; quod hoſtis eſſet infeſtiſsimus Auguſtanæ Confeſsionis, & inſignis Sycophanta; quod de perſona Chriſti ſub voce, λόγος, monſtri aliquid aleret; quod Spiritum ſanctum Pſittaco compararet; quod euerteret veræ Theologiæ principia, & nouam quandam hactenus inter Lutheranos incognitam Theologiam procuderet: Hæc atque id genus alia, quæ de Flacio abſente contumeliosè ſparſerat, eidemnunc, audiente principe, magna cum verborũ contumelia in os ingeſsit. Ad quæ reſpondit Flacius, ſeq; purgauit, vti potuit: Et res quidem magna contentione acta fuit, cum neuter alteri parceret: Nihil tamen aliud effectum eſt hac altercatione, quam quod fieri ſolet, cùm oleum additur æſtuanti camino. Nam porrò illa diſsidij flamma ceu flatu vehementiore ſuſcitata in longè maius incen-

ANNO 1558.

Flacius queritur de contumeliis ſibi illatis.

Strigelius contumelias accumulat.

Recenſet errores Flacij.

Oleum & operã perdunt collocutores.

ANNO 1558. Iubentur redire in gratiam. Renuit Strigelius.

cendium exarſit; vt Flacius ipſe fatetur. Tãdem mandatum illis fuit, vt animorum acerbitate poſita, redirent in gratiam, atq; alter alteri reconciliaretur. Verùm id fruſtra fuit: Strigelius imprimis magnis odij facibus accenſus recalcitrauit, nec eo potuit vllis rationibus adduci, vt à maledicentia frenaret linguam, ſeque deinceps à conſpuendo Flacij nomine contineret.

Opus confutationũ abſoluitur.

Hæc ſub finem anni 1558. geſta ſunt: Quo eodem tempore mandatu Principis tandem abſolutum fuit opus, quod ſub titulo confutationum de conſilio Flacij viuente Snepfio fuerat inchoatum. Id Coburgi factum, vbi Maximilianus Morlinus, Ioannes Stoſſelius, & Simon Muſæus, Flacianæ factionis omnes, ex farragine illa quam ob diſsidia concionatorum repoſitam ſupra diximus, librum contexuerunt: Quem Princeps Flacio Illyrico, Alberto Sarcerio, Ioachimo Morlino & Ioanni Aurifabro examinandum dedit, & corrigendum.

Ann. 1559. Diuulgatur nomine Principum.

Atque hic liber deinde ſub initium anni ſequentis 1559. nomine Ducum Saxoniæ Vinarienſium diuulgatus fuit, mandatumque ſubditis, vt ad normam hanc fidem ſuam dirigerent, ſummoque ſtudio ſibi cauerent à contagione ſectarum, quæ in eodem volumine recenſentur. Eæ verò ſunt omninò decem; Seruetiſtarum ſcilicet, Svvenckfeldianorum, Antinomorum, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Synergiſtarum, Oſiandrino-

Hæreſes è Lutheraniſmo exortæ.

drinorum, Stancariſtarum, Maioriſtarum, & Adiaphoriſtarum : Quas omnes Principes iſti de Flacij cæterorumque conſilio velut alienas ab Auguſtana Cõfeſsione per ſententiam condemnarunt. Tum verò Strigelius, qui de grege Synergiſtarum erat, continere ſe non potuit, quin mordaciter arroderet librum hunc, ſeq; palam illius aduerſarium profiteretur. Monitus fuit ab aula, vt ſi probare nollet vel tueri cõfutationes iſtas, carpere tamen atque oppugnare deſiſteret: Quod cum fruſtra fieret, tandem mandatu principis ob linguæ calamique petulantiam abductus fuit, & in carcerem compactus. Ille nihilo ſecius in ſententia perſtitit; & quidem pertinaciter, ſeque moueri dixit conſcientiæ teſtimonio, vt huius libri autoribus in faciẽ reſiſteret. Cùm aliquandiu detentus eſſet, Stoſſelius & Muſæus agere cum illo cœperunt per litteras, quibus perſuadere conati ſunt, cauſas non eſſe, cur librum illum Confutationum tam pertinaciter oppugnaret: Flacius etiam in arce Gotana colloquium cũ illo habuit, in quo refellere conatus eſt rationes, quibus in hac cauſa niti ſe profitebatur. Verum ille obiecta conſcientiæ larua, omnes aduerſariorum machinationes eluſit.

ANNO 1559.

Strigelius Opus Cõf. conténit.

Carceri mancipatur.

Obſtinatio Strigelij.

Conatus irritus Flacij &c. in eo mitigando.

Et quidem varij ſermones de hoc facto Principis vulgo ſparſi fuerunt, quod Luthe ranus cum eſſet, eiuſdẽ factionis homini religionis nomine vim inferret, quaſi gladio eum ad deſerendam, quam V Vittenbergæ hau-

Variæ opiniones Lutheranorũ de captiuitate Strigelij.

ANNO 1559.

hauſerat in Schola Melanchthonis, doctrinam coacturus. Quæ res multorum animos non parum offendit. Itaq; Flacius eiuſq; ſocij confutationum autores, in quos huius facti inuidia magnam partẽ redundabat, rogarũt principem, vt publicam inſtitueret diſputationẽ, in qua Strigelius ſolutis vinculis ſententiã ſuam de controuerſis dogmatibus publicè proponeret, & ſi poſſet, tueretur. Acquieuit huic conſilio princeps, mandauitque Strigelio, vt ſeſe ad huiuſmodi congreſſum compararet: Qua in re parendum quidẽ fuit, cùm eſſet in manu principis: At fecit hoc Strigelius per quam inuitus.

Flacius rogat Principem de inſtituenda diſputatione.

Strigelius iubetur ſeſe parare ad diſputationem.

V.

Cæterũ diſputatio hæc an. 1560. Auguſto menſe, Vinariæ fuit inſtituta, principis autoritate, qui cum ſuis perpetuo præſens actionibus omnibus interfuit, & Flacium cum Strigelio diſputantem audiuit. Vt verò paratiores accederent, Flacius ſentẽtiam ſuam de capitibus maximè controuerſis, puta de libero arbitrio, de definitione Legis & Euãgelij, de Maioriſmo, vti loquitur, de Adiaphoriſmo, deq; academica apocha, vel iudicij ſuſpenſione in rebus fidei, quibuſdam aphoriſmis vel aſſertionibus complexus eſt. Idem Strigelius fecit mandatu principis, & quid ipſe de capitibus ijſdem ſentiret, punctim more ſcholaſtico ſcriptis theſibus declarauit. Priuſquam actionis fieret initium, de forma diſputationis deq; legibus, quibus velut cancellis aut repagulis diſputantes cohibe-

Ann. 1560. Diſputatio Flacij cum Strigelio.

Capita cõtrouerſa.

Norma & methodus diſputãdi.

hiberentur, inter consiliarios principis, & Flacium atq; Strigelium acris fuit & diutur- ANNO 1560.
na concertatio.

Tandē autoritate principis hæ leges vtri- 1.
que præscriptæ fuerunt: Vt, quod ad rem faciat, sine verborum acerbitate vel contumelia breuiter ac dilucidè in forma syllogismi vel enthymematis proponatur: Vt præter 2.
duo vel tria ad summū argumenta non proferantur vna vice, nec trālitus fiat ad alia, nisi ijs penitus discussis: Vt quātum satis est tem- 3.
poris ad argumentandum & respondendum vtriq; concedatur, &, siquidē argumenti difficultas ita postulet, deliberandi spatium ab vna sessione ad aliam detur, modo sophistica absit, & cauillandi studium: Vt disputatio 4.
latinè peragatur, cùm lingua hæc ad disputādum sit commodior: Vt verbum Dei norma sit, & iudex vnicus; vtque plus valeat e- 5.
uidens scripturæ dictum vnicum, quam omnes consequentiæ & testimonia patrum: Vt 6.
vterque præstet iuramentum calumniæ, quod vocant; nimirum quod propositas assertiones suas in conscientia non alio, quam ipsius veritatis loco habeat; quodque nihil aliud, quam Dei veritatem in hac disputatione quærat.

Tandem 2. Augusti, anno 1560. horis matutinis factum est disputationis initiū. Principio Pontanus Cancellarius prefatus multa de volūtate principis, deq; causis huius instituti colloquij leges, quas diximus, principis nomine

Pontani prolog⁹ de causis & legibus disputandi.

ANNO 1560.

nomine promulgauit. Deinde disputatum fuit ad octiduum, & tredecim intereà congressus habiti. Flacius Simonem Musæum socium habuit, Lutheranæ Theologiæ Doctorem: Strigelius verò solus fuit. Quãquam Musæus à disputando se cohibuit; ne duo contra Strigelium solum in arenam descendere viderentur. Actum verò fuit de libero arbitrio; In quo capite negocium hæsit velut in vado: nec ad alias controuersias ventum est. Et Flacius quidẽ durum illud rigidumque Lutheri dogma propugnabat de seruo arbitrio: Strigelius vero Melanchthonis opinionem à prima duritie posterioribus annis emollitam tuebatur, quæ à Catholicorum sententia non magno interuallo distat. Vterque ad scripturas, ad confessionem Augustanam, ad Lutherum ipsum prouocabat; cùm sententijs toto cœlo dissiderent: Neuter tamen à sententia discessit.

Tredecim congressus habiti.

Dogmata vtriusque de libero arbitrio.

Vtrique appellant.

Post altercationem octidui, princeps ad octauum Augusti horis pomeridianis imposuit actioni finem, nec ferre voluit, vt ad reliqua disputationis capita progrederentur. Id quo consilio sit factum, publice quidem compertum non fuit. Verisimile tamen est, vel Pontanum Cancellariũ impediuisse progressum colloquij, quod Melanchthonicus esset, & per Strigelij latus Melanchthonem ipsum configi cerneret: vel principem ipsum præcidisse telam hanc, quod ex discussione capitis vnius infinitas fore de cæteris altercatio-

Soluitur colloquiũ.

Pontanus Melanchthonicus.

cationes ominaretur. Accedit, quod in disputatione de libero arbitrio Flacium deprehendit assertiones quasdam tueri duras & horridas: Ex quibus noua postmodum hæresis inter Lutheranos exorta fuit, à Manichæorum delirio non multum aliena. Huius generis assertiones sunt: Quod peccatum originis in homine non accidens, sed ipsam hominis vel animæ substantiam appellat: Quod voluntatem hominis Sathanæ mancipium facit: Ideoque coactioni subditum hominem asserit, vt viuat agatque ad Sathanæ libitum: Quod essentiam hominis in imaginem Sathanæ transformatam dicit. Hæc & id genus alia postmodum occasionem præbuerunt quibusdam Flacij discipulis Iacobo Andreæ, Ioanni VVigando, Tilemanno Heshusio, alijsque, vt à præceptore secessionem facerent, eumque cum sectatoribus, qui peccatum asserebant esse substantiam, Substantiarios appellarent: Quemadmodum hi vicissim illis Accidentariorum nomen indiderunt, quod peccatum accidens non substantiam esse dicerent.

ANNO 1559.

Manichæismus Flacianorum.

Causæ secessionis discipulorum a Flacio.

Origo Substantiariorum & Accidentariorum.

Itaque Flaciana factio, quæ tam acerbè Melanchthonem, & VVittenbergenses Lipsienseſque Lutheranos hactenus exagitarat, per occasionem huius disputationis in duas turmas distracta fuit, & fœde dissipata: qua de re forsan alibi dicemus.

ANNO 1560.

Princeps Flacio spē facit de cōtinuanda disputatione.

Interim princeps, qui Flacium hæc paradoxa proferentem audiuit, abrumpendam censuit disputationem ob multas causas, vt Cancellarius in vltimo consessu asserebat; quarum nulla tamen in publicum prolata fuit: Quanquam princeps, vt Flacio sociisque in pugnam ardentibus aliquo modo satisfaceret, promisit continuandam breui disputationem, & vbi de reliquis etiam capitibus disceptatum fuerit, conuocandam deinde Synodum, eiusque iudicio finem hisce controuersijs imponendum. Cæterùm licet Flacius in his congressibus sibi victoriam ascribat; aliam tamen Principis & consiliariorum sententiam fuisse vel ex eo colligas, quod postea disputationem hanc in lucem referri noluit; tū quod Strigelium paulò post restituit in integrum; demum quod à Flacio deinceps, eiusque gregalibus animum habuit prorsus alienum. Atque hæc principis auersio perpetuis incrementis postmodum aucta fuit, Cancellario, qui Flacianos infestè oderat, faces admouente, cùm occasio sese ad inflammandum Principis animum offerret.

De conuocando Synedrio.

Principis auersio à Flacio.

Magnis augetur incrementis.

CAPVT IV.

I. *VVinterus ab officio Superintendentiæ per principem remotus indignante & fremente Flacio, magistratum ad pœnitentiam compellente.*

II. *Flacius cum suis exautoratus Ratisbonam pergit,*

pergit: Musæus inde quoque Bremam abit, factusque superintendens disputationem Vinariensem inter Flac. & Strigelium edit. Flacianorum schisma dicterijs Lutheran. obnoxium, Flacij libri polemici & labores Ismaelitici. ANNO 1560.

III. *Antvverpiam euocatus abit cum Spangenbergio, inde Francofurtum; sed & inde mox metu dilapsus est Argentoratum.*

IV. *Dogma Flacij de peccato originis, ex quo enatæ variæ sectæ, dissidia, certamina, ad longum recensentur.*

I. Winterus ab officio Superintẽdentiæ remouetur.

ACCIDIT per id tempus, vt pastor Ienẽsis Balthasar VVinterus è Flacij discipulis homo purè Lutheranus, autoritate principis ab officio remoueretur, quod à Sacramentorum vsu Iureconsultum quendam, contra decretũ ipsius Principis arcuisset. Decumbebat lecto VVinterus, cũ depositionis sententia per consiliarios ad ipsum deferretur; Et non diu post extremum diem clausit. Flacius hoc facto principem violasse ius clauium, quas Ecclesiæ dedit Christus, & falcẽ in alienam messem misisse iudicauit: Ideoq; de tam enormi delicto, deque persecutione in pastorem defunctum exercita monendum eum omnino censuit & corripiendum. Idem sentiebãt & reliqui gregales eius, Morlinus, Musæus, & alij, qui Flacij ductum sequebantur. Igitur compellarunt principem, hortatiq́ue sunt, vt agnosceret delictum, quod in pastorem Ienensem admisisset, atq; idip-

Flacius irritatur in Principẽ.

Compellat Principem de violato iure clauium.

ANNO 1560.

idipsum per pœnitentiam expiaret; Imposterum verò se cohiberet ab vsurpando iure clauiũ, quas Christus non politico magistratui; sed Ecclesiæ ministris aut dispẽsatoribus domus suæ credidisset. Quod si quenquam abuti putaret potestate clauium, conuocaret synodum, & causam legitimo iudicio per concionatores discuti pateretur ac dijudicari. Ageret igitur maturè pœnitentiam; ne si profundius ruat, iusto Dei iudicio tristibus pœnis obruatur. Hæc illi.

Hortatur ad pœnitentiam.

Princeps verò, qui curam rerum ecclesiasticarum ad se pertinere putabat, adeo non cessit, vt continuo per aulicos quandam ecclesiastici regiminis & iudicij formam describi mandaret, quam & typis expressam in publicum emisit, vtq; eam probarent, à Flacio socijsq; postulauit. Hi rationibus in medium adductis respondent, impediri se per conscientiam, quo minus hanc ordinationem probent recipiantque. Princeps licet hoc facto grauiter offenderetur, dissimulauit tamen iracundiam: Et quia per id tempus Flacius socijque illius in quosuis libere debachabantur, paulò post ad cohibendam illorum licentiam mandatum fuit, ne quid deinceps typis expressum in vulgus emitteretur, nisi principis ipsius vel consiliariorũ iudicio probatũ: Qua in re Flacius & socij, quo minus mandato principis obsequerentur, conscientiam causabantur adductis scripturæ testimonijs, quibus asserebant sese prohiberi;

Princeps offensus formam nouam hierarchici regiminis cudit.

Flacius eã recusat.

Principis edictum de licentia librorum edendorũ.

Contemnitur à Flacio sub prætextu liber-

Con-

conſcientiam & fidei profeſsionem oportere eſſe liberrimam; nec ad hominum, ſed ſolius Dei præſcriptum moderandam: Imò non recuſandum vitæ periculum, ſi quis teſtimonium, quod de veritate mendacioque perhibendum ſit, impedire conetur. ANNO 1560. tatis conſcientiæ.

Creuit ex hac reſponſione principis indignatio; cuius animum accendit, & aliud quiddam quod ab ipſo Flacius ſocijque poſtularunt. Diximus ſupra, cùm abrumperetur Vinarienſis diſputatio, ſpem Flacio cæteriſq; factam de eadem reſumenda cogendaque Synodo, per quam controuerſiæ deciderentur. Quia verò Strigelium videbant à principe reſtitutum, quod ipſis præter opinionem accidit; de diſputatione verò inſtauranda, deque cogenda ſynodo ne cogitari quidem; atq; intereà principis animum non alienari tantum indies, ſed & facibus admotis in odium ſui accendi; prætereà hoc agi per Cancellarium, vt acta Colloquij Vinarienſis obliuione in perpetuum ſepulta lucem numquam aſpicerent, habito conſilio principem interpellarunt, vt protocollum diſputationis in publicũ referri mandaret, proteſtati, niſi id fieret autoritate principis, ſeſe hoc ipſum diuulgaturos. Ea verò audacia paulo altius in principis animũ penetrauit, cùm Flacianos hoc agere videret, vt ſub clauium eccleſiaſticarum larua cõſtituerent dominatum quendam, & principem nõ minus aulamque, quam populũ ſub iugũ

Princeps exacerbatur in Flacium.

Cauſę odij.

Flaciani petunt diſputationẽ in vulgus emitti.

ANNO 1560.

Flacius suspectus de tyrannide.

mitterent: Ob quam machinationem aduersarij Flacium dicebant tyrannidē meditari, vel similem pōtificiæ, vel ea intolerabiliorē. Itaq; frenandos eos princeps cēsuit, & in ordinem redigēdos; ne si pro arbitratu tumultuari liceat istis, grauiora quædam incommoda ex eorum conatibus emergant.

Scribit ad Stosselium.

Non latebat Flacium eiusque socios principis consilium: Igitur cum aulæ se parum gratos esse viderent, Ioannem Stosselium, hominem sibi addictissimum, vti putabant, qui Ienæ superintendens erat, datis ad eum litteris valde prolixis, de communi concionatorum & ministerij periculo monuerunt: principem & consiliarios inuadere ius clauium, adeo sæuitiam exercere in pastores, & Ecclesiæ regendæ potestatem vsurpatione quadam sibi vindicare, contra quam sit à Christo domino constitutum. Ex qua machinatione nihil aliud, quam euangelici ministerij oppressio sit expectanda. Se quidem monuisse principem, vt desisteret talia machinari, & claues Ecclesiæ in eorum manibus relinqueret, quibus eas dedisset Christus: Verum surdo cecinisse fabulam. Quia vero ipse nunc accessum habeat ad Principem, hortari se, vt eum officij sui admoneat, imò ad pœnitentiam reuocet, ne, ius alienum vsurpando, iram adeoque vindictam Dei grauissimam in se prouocet. Hæc illi pluribus ad Stosselium, idque bona fide velut ad amicum intimum; quem idem per

Conqueritur de violato iure clauium.

De periculo Ecclesiæ.

Petit, vt Principem ad pœnitētiam compellat.

omnia

omnia secum sentire arbitrabantur.

ANNO 1560. II.

At Stosselius vel à Strigelio persuasus, vel sponte sua pridem à Flacianis animum auerterat, licet id publicè dissimularet. Hanc verò nactus occasionem prodidit secretum mentis, & Flacij sociorumque litteras ad Pontanum Cancellarium detulit, hostem Flaciani nominis acerbissimum, seque deinceps palam ijs coniunxit, qui factionem istam turbulentorum hominum frenatam arctius, imò oppressam cupiebant. Vidit Pontanus, epistola perlecta, quorsum Flacij machinationes atque consilia spectarent: Itaque Principi suasit; vt eum, cæterosque ipsius contubernales de statione submotos exauctoraret factum id est anno 1561. exeunte: Quanquam nec ignominia notati fuerunt, nec è ditione principum istorum electi, sed loco moti tantum; quod Princeps eos, vbi iam exauctorati forent, sponte sua de discessu cogitaturos nihil dubitaret. Qua in re falsus non est: Flacius enim, qui caput erat factionis & ductor, paulò post è Thuringia discessit, Ratisbonam profectus, vbi quinquennium integrum hæsit.

Stosselius infensus Flacio.

Litteras Flacij ad Pontanum defert.

Ann. 1561. Flaciani exautorãtur.

Flacius Ratisbonã pergit.

Musæus verò Flacij sodalis intimus, cùm tempestatem præsentiscceret, anteuertendum putauit principem, & Iena clam profectus aliud sibi domicilium quæsiuit. Vbi redijt in Thuringiam, initio Septembris oblato libello supplice missionẽ petijt,

Musęus clã Iena discedit.

ANNO 1561.

Petit à Principe missionē.

quam non difficulter obtinuit. Reſpōſum eſt ad ſupplicationem eius breui ſcripto, cuius hæc erat ſententia: Quia Muſæus ſine ſcitu principis Ienâ clam profectus aliâ conditionem quæſiuerit, atq; ita ſeipſum exauctorarit ſtatione relicta, ad quã pridem vocatus fuerat, non impediturum principem, quo minus diſcedat arbitratu ſuo, alioq; ſedem trãſferat. Imò gratum eſſe principi, quod id faciat, migretque ſponte ſua; cùm alioqui loco mouendus fuerit, & dimittendus. Interim optare principē, vt alibi Muſæus eccleſiaſtæ munus maiore cum fructu exequatur, quam ijs in locis fecerit. Ita dimiſſus ad decimum Sept. an. 1561. paulò poſt Bremam ſe contulit, & factus eſt ciuitatis illius ſuperintendens, vti loquuntur.

Reſponſio Principis.

Bremæ fit ſuperintēdens.

Aſportauit verò ſecum, cùm diſcederet, hiſtoriam diſputationis, quam inter Flacium & Strigelium habitam fuiſſe diximus, ex ore diſputantium conſcriptam ab ijs, qui præſentes in actione fuerant. Cùm enim publica eſſet iſta diſputatio, de qua priuſquam inſtitueretur, diu atq; operosè deliberatũ fuit, factũ eſt, vt concionatores nõ modo, ſed & aulici, ciues, imò ſtudioſi quoq; V Vittēberga, Lipſia, Iena, magno numero Vinariã conuolarent. Itaq; notata fuerunt omnia diligenter non ab ijs modo, quorũ ſcripta princeps ad ſe recepit, ſed ab alijs etiam, vt fieri conſueuit. Cùm igitur Flaciani fruſtra principē de edendo protocollo interpellaſſent, ipſi poſt diſ-

Diſputatio Vinariēſis typis mandatur.

discessum è Thuringia anno proximo, qui 1562. fuit, disputationem hanc publicarunt: quam Musæus, addita præfatione, Ioanni Friderico III. dedicauit, fratri principis illius, qui Flacio, Musæo, alijsque factionis eiusdem ministerium abrogarat.

ANNO 1561. Anno 1562. 1563. 1564. 1565. Friderico III. dedicatur.

Sed ad Flacium ipsum reuertamur; cuius actiones in Thuringia duplicem inter Lutheranos distractionem peperisse videntur. Prior est in Substantiarios & Accidentarios; quibus nominibus seipsum postmodum appellarunt, vti iam ante diximus; quod hi peccatum originis accidens nõ substantiam; illi substantiam non accidens esse dicerent: qua de re atrox inter vtrosque certamen annis sequentibus exarsit. Altera distractio nata est ex controuersia de potestate clauiũ, vel de vniuerso ecclesiæ regimine. Eam verò controuersiam, vti iam ante diximus, Flacius eiusque socij mouerunt, qui sub nomine clauium integrum ecclesiæ moderandæ ius solis cõcionatoribus excluso magistratu politico vindicabant. His obstistebant politici, Princeps nimirum & Consiliarij, qui curam autoritatemque ecclesiastici regiminis iure magistratus ad se rapiebant, vel quemadmodum Musęus loquitur, à suis Gnathonibus & Balaamis incitati ecclesiam & religionẽ pro arbitrio administrare, & vtrũq; gladium palam gestare conabantur: cuiusmodi prophana hierarchia per Henricũ VIII. Angliæ Regẽ constituta fuit, cũ ab Ecclesia Romana deficeret.

Duplex distractio Flacij & sociorum.

1. In Substãt. & Accidentarios.

2. De iure clauium.

In præf. in disp. Vinar. B. 2. b.

ANNO 1565.

Flacius quare Principibus inuisus.

Atque hæc controuersia Flacium, per quẽ potissimum excitata fuit, non huic principi modo, sed & aliis magistratibus vehementer reddidit inuisum. Serpebat enim longius hoc malum, vtrisque pro iure suo dimicantibus: Nec dubium est, quin grauius incruduisset hæc concertatio, si ea concionatorũ esset, quæ politici magistratus, potentia. Nunc cum reges, principes, magistratus vrbium pedum pastorale cũ sceptro politico coniungunt, ecclesiæq; gubernandæ ius vsurpant, concionatores, si reclament, deturbantur de cathedra, & loco moti solum vertere iubentur: Quemadmodũ Flacio, Hesshusio, Musæo, cæterisq; turbas hanc ob causam mouentibus accidisse constat. Sic igitur secta magistratus politici clauium ius vsurpantis aduersarios concionatores, si pro iure suo vel mutire ausint, sceptri potentia subactos vel comprimit, vel recalcitrantes sedib. suis exturbat, veluti rebelles ac seditiosos; quorum ambitione turbari dicunt quietem publicã, & motus in populo concitari. Vnde natũ est in turbatores istos tritum inter Lutheranos dicterium, eos alterum in cathedra pedẽ habere, alterum in curia. Quã ob causam Tilemannus Hesshusius inter Flacianos non infimi subsellij vir, non semel loco deturbatus fuit, & in exilium missus: de quo spargi distichon illud per Saxoniam meminit:

Principes ius clauiũ vsurpant.

Refractarios loco mouent.

Dicterium Lutheranorum in Flacianos.

Heshusius quare seditiosus.

Quæritur Heshusius sexta cur pulsus ab vrbe?
In promptu causa est, seditiosus erat.

Sedi-

Seditiosus nimirũ erat cum ecclesię moderandæ ius magistratui politico abrogaret. ANNO 1565.

Cęterum Flacius, cum è Thuringia discedendum esset, Ratisbonam, quam alio sedem transferre maluit; quod Nicolaus Gallus istic Superintendentem ageret, amicus ipsius intimus, adeoq; deuotum mancipium, quicum VVittenbergæ primũ, post & Magdeburgi coniunctissimè vixerat. Quanquã vero functionem docendi publicam Ratisbonæ non habuit; mansit tamen in ea ciuitate vsque ad annum 1566. atque interim multos libros scripsit, polemicos ferè omnes. Erat enim inter aduersarios velut Ismaël quidam, qui cum contra omnes insurgeret, ab omnibus vicissim hostiliter fuit impetitus. Senatus verò Galli iudicium secutus nõ modo fouit Flacium è Thuringia profugũ, sed & beneuolentiam illi summã exhibuit; imò ex inopia illius aliquãdo nõnihil subleuauit.

Flacius Ratisbonam venit, ibiq; benignè tractatur.

Nicolaus Gallus amicus Flacij.

Flacius cõparatur Ismaëli.

A Senatu humaniter habetur.

Demum anno 1566. cum per Belgium funestę Sectariorum machinationes in apertam seditionem erumperent, & diuersæ factiones certatim insanirent, Antvverpienses Lutherani quosdam è Germania censuerunt euocandos, qui nouellam ecclesiam, quam isthic moliebantur, ad formam Augustanæ cõfessionis instituerent. Inter eos primi nominis erat Matthias Flacius, & Cyriacus Spangenbergius, fidissimus illius Achates in certamine de peccato originis, de quo nobis infra suo loco plura dicendum erit. Per

III. Lutherani Antvverpiam euocantur.

Flacius & Spangenb. primipila Lutheranorum.

hanc

ANNO 1566.

hanc igitur occasionem Flacius Ratisbona discessit, accepto prius à Senatu diplomate, quod luculentum de moribus ipsius & vita testimonium continebat.

A Senatu diploma accipit.

Antwerpiam venit.

Venit autẽ Antvverpiam mense Nouembri; quo eodem tempore præter Spangenbergium, quem diximus, & quatuor alij concionatores de Lutheranorum grege, velut ad opimæ prædæ nidorem vultures istuc conuolarunt. Erant in ea ciuitate duodecim constituti seniores ex eorum ciuium numero, qui Lutheri dogmata sub Augustanæ confessionis nomine profitebantur. Hi Synedrion quoddam vel senatum ecclesiasticum constituebant, cui Flacius fuit adiunctus, vt in negociis ad religionem pertinentibus Consiliarij munus obiret, & jaciendis ecclesiæ Lutheranæ fundamentis operã præstaret; scilicet, vt nouum hoc ædificium ad instar Augustanæ confessionis erigeretur.

Senatus ciuium Lutheranorũ Antwerpię

Quam ad rem necessarium iudicabant, vt fidei suæ confessionem ad Augustanæ confessionis instar conscriptam in vulgus emitterent; quod ipsum iam ante fecerant Caluinistæ. Scripserunt hanc Lutheranæ fidei confessionem Flacius & Spangenbergius, quam latinè non modo, sed & versam ab aliis belgicè publicarunt.

Confessio Augustana, Antwerpiæ recuditur.

Accidit in hac publica rerum perturbatione, dum sub euangelij nomine fœdum quoddam erumperet variarum hæreseon chaos, vt sectarij non modo cum Catholicis, sed

Belgicè transformatur.

sed & inter se Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ de fidei capitibus digladiarentur: Atque ea concertatio varias quæstiones peperit, quas Lutherani ad Flacium, velut exercitatum in ea palæstra Theologum retulerunt; qui consultus de rebus ecclesiasticis ex fidei dogmatibus controuersis contra Catholicos, Sacramentarios, & Anabaptistas velut ex tripode responsa dabat. Is honor suauiter titillabat Flacium; cui delitiæ Belgicæ, sicut & cæteris admodum placuerunt: cumq; inuitaretur ab Antvverpiensibus Lutheranis, vt in ea ciuitate figeret domicilium, seque ecclesiæ Lutheranæ ad ministerium obstringeret, lubens acquieuit. Rebus igitur inter Lutheranos vtcunque constitutis, vt temporum istorum conditio ferebat, Flacius in Germaniam reuersus est, familiam in Belgium translaturus.

ANNO 1566.

Sectarum concursus & digladiatio.

Flacius præses sectariorum.

In Germaniam reuertitur, translaturus familiam in Belgium.

Interea verò, dum in Germania moratur, rebus suis ad migrandum componendis occupatus, magna status publici mutatio per Belgium facta est. Nam & turbulentæ sectariorum machinationes passim repressæ fuerunt, & concionatores exteri, quos Antvverpienses euocarant, Caluinistæ simul & Lutherani discedere coacti, & omnia magistratus autoritate in statum pristinum restituta: quod cum Flacius intelligeret, mutandum fuit profectionis consilium. Venerat iam familia Francofurtum vsque, vbi certior factus de rebus Belgicis, substitit cum suis,

In Belgio noua mutatio.

Flacius de ea certior factus Francofurti sedem figere cogitat.

ANNO 1566.

suis, eoq; loco sedem figere decreuit. At Senatus Francofurtensis Flacium de periculo per suos monuit, in quo futurus esset, si Francofurti domicilium collocaret. Qui potentes habeant aduersarios, eos, aiunt, ex vrbe sua subinde abripi captiuos indicta causâ, nec se tueri posse Flacium, si quis potentior illi manum injiciat: cuiusmodi casus aut infortunium si forsan illi obueniret, id se quidem dolenter laturos; sed quin fieret, impedire non posse.

A Senatu modestè repellitur.

Causa, cur Flacius inuisus Francofurtensibus.

Hæc Francofurtenses: quorum rationibus permotus fuit Flacius, vt alio sponte sua migraret. Non putarunt permittendum viri prudentes, vt intra mœnia sua nidificaret homo turbulentus, quem alibi sub nomine clauium & iuris ecclesiastici contra politicum magistratum insurrexisse nouerant; quo nomine multorũ odia sustinebat; principum imprimis & magistratuum, quibus persuasum erat, non alio spectare disputationes istas de iure clauium, quam vt tyrannidem moliretur, atque ipse ceu nouus quidam pontifex inter Lutheranos in Reges, in Principes, omnesque magistratus dominium exerceret. Itaque Francofurtenses, ne quid huius & isthic machinaretur, hominem ciuiliter ab se dimittendum censuerunt, propositis honesta oratione periculis, quæ forsan, si domicilium isthic figeret, ab aduersariis potentioribus imminerent. Discessit igitur Francofurto, cum aliquandiu isthic mora-

A Senatu honoratur diplomate.

moratus esset. Ne quis vero hanc rem in probrum verteret, petiit à Senatu, nec difficulter obtinuit, documentum publicum, quo sese, vbi postularet vsus, aduersus obtrectatorum calumnias tueretur. Tandem Argentoratum venit; quæ ciuitas per Iohannem Marbachium Lutheranæ sectę Theologum Lutheranismo restituta fuit, cum antea multis annis Zvvinglij partibus adhæsisset. ANNO 1566. Argentoratum abijt.

Per hoc tempus Flacius dogma suum de peccato originis è fœtidis Manichæorum lacunis hausturn, profiteri cœpit, editis etiam ea de re scriptis publicis, in quibus, quod obiter per occasionem asseruerat in disputatione Vinariensi, multis rationibus in medium adductis, longoque verborum ambitu tueri conatus est. Summa dogmatis erat: Peccatum originis non accidens aliquod esse, sed ipsum hominis naturam atq; substantiam: Imaginem Dei in homine, quæ de substantia illius fuerit, amissam penitus, destructam, adeoque in imaginem ipsius Sathanæ transformatam: Totum illud, quod ex Adamo propagatur, vel quod nascitur ex carne, secundum corpus & animam, vel secundum substantiam suam peccatum esse; eoque fieri, vt diabolus hominem, velut mancipium suum, in omnibus gubernet & moderetur; qua in re quandam non Dei, sed diaboli, qui substantiam hominis in peccatum transformarit, coactionem agnosci. Dogma Flacij de peccato originis publicatur. Summa dogmatis.

Hæc

ANNO 1566.

Monetur à suis de falsitate dogmatis.

Hæc cum in publicum referret, monitus principio fuit per socios quosdam ex intimis, à quorum numero VVigandus & Hesshusius præcipui fuerunt, vt desisteret ab infami propagando dogmate, quod constaret non hausturn è limpidis scripturæ fontibus, sed è Manichæorum fœtida sentina deriuatum.

Iubetur resipiscere.

Rediret igitur in viam, & maturè resipisceret; futurum alioquin, vt omnẽ scriptis prioribus autoritatem detraheret, seque ipsum ab Ecclesia Lutherana daret præcipitem, insigni multorum cum ruina.

Flaci⁹ pertinax in errore.

Ille, contemptis suorum admonitionibus, non discessit ab instituto, nec retinuit modo fœdum illud Manichæorum delirium, quod mordicus apprehenderat, sed & summo cum ardore hoc ipsum, velut euangelicæ veritatis nucleum propagare conatus est.

Flaciana factio rursus abit in sectas.

Ita factum est, vt Flaciana factio, quæ cæteris Lutheranis ob incrementum sui formidabilis esse cœperat, in duas sectas turpiter dissiliret: de qua diuisione eiusque progressu si pauca quædam hoc loco inseramus, non erit, opinor alienum ab instituto: Flacij vitam & res gestas scribimus, quem nouus hic substantiarij monstri fœtus parentem agnoscit; vel ipsis Lutheranis testantibus, qui Lutheri nomen infami macula tam portentosi dogmatis aspergi non patiuntur.

Conatus rigidorum Luth. in hoc errore

Postquam Flacius à Belgio reuersus est, prudentiores quidam è rigidis Lutheranis multum laborarunt, vt extinguerent hæreseos

seos fomitem, priusquã scintillans malum in publicum incendium erun peret. Verum id frustra fuit : Ea nimirum erat hominis obstinatio, vt nemini cederet. Qua in re, vt in multis alijs, Luthero fuit quã simillimus ; de cuius spiritu Flacius & Ambsdorffius præ cæteris vberius hausisse dicebantur. Adiunxerunt se Flacio in hac diuisione concionatores quidam inter Lutheranos præcipui, Simon Musæus ille, quem Vinariæ assistentem habuerat contra Strigelium, Nicolaus Gallus, Cyriacus Spangenbergius, Erasmus Alberus, Christophorus Irenæus, Iosua Opitius, qui postea Ratisbonæ & Viennæ turbas dedit, omnes scriptis editis per Germaniam celebrati, aliiq; obscuriores multi, qui passim causam ipsius tuebantur.

ANNO 1566. restringuendo.

Flacius nemini cedit.

Eius asseclæ Substantiarij.

Contra hos in alteram partem secesserunt Ioannes Wigandus, Tilemannus Hesshusius, Iacobus Andreas, Ioachimus Mörlinus, Martinus Kemnitius, Dauid Chytræus, Nicolaus Selneccerus, Daniel Hoffmannus, alijque permulti, qui & ipsi libris editis nomen inter Lutheranos & famam erant consecuti. Hi Flacium eiusque socios, vti supra diximus, Substantiarios vocabant : Illi vicissim aduersariis Accidentariorum nomen per contumeliam imposuerunt. Inter hos iuratos pridem fratres, dum Melanchthonem, Interimistas, Adiaphoristas exagitabant, certamen exortum est atrox, violentum ac diuturnum, ex quo Catholici

Aduersarij Accidentarij.

ANNO 1566.

Vertiginis spiritus inter Flacianos.

non modo, sed & cæteri Lutherani & Caluiniſtæ iudicium fecerunt, vertiginis ſpiritum inter Flacianos potenter operari. Vtrique verò ad aſtruendam, quam tuebantur opinionem teſtimonia ſcripturæ producebant magno numero: quin & vtrique ad Lutheri ſcripta, ad confeſsionem Auguſtanam, ad Smalcaldicos articulos, quæ Lutheranorũ ſunt, ad dirimendas fidei controuerſias κριτήρια vel Normæ, magnis clamoribus prouocabant; fuitq; non minus acriter de Lutheri, deq; confeſsionis Auguſtanæ, quam ſacrarum litterarum ſententia dimicatum, alijs alios accuſantibus, quod nec mentem ſcripturæ, nec Lutheri verborum intelligentiam, nec ſenſum Auguſtanæ confeſsionis articulorumque Smalcaldicorum aſſequerentur. Qua de re dum Andabatarum more dimicant, fœdum Germaniæ ſpectaculum præbuerunt. Subſtantiarij certe multa cumularunt Lutheri teſtimonia, quæ prorſus eandem ipſorum Lutheriq́ue ſententiam fuiſſe teſtantur. Ea vero Accidentarij adhibitis interpretationibus viciſsim eludebant; quã ob cauſam per Flacianos defectionis à Lutheraniſmo puriore, imo ab euangelio publicè fuerunt accuſati: eoque ventum eſt in hac pugna, vt VVigandus, Heſshuſius, cæteriq; Accidẽtis patroni, Flaciũ eiuſq; ſocios Subſtantiarios Manichæos; hiq́ue viciſsim illos Manicheos ſimul & Pelagianos nominarent. Interim vtrique criminationem hanc in alteru-

Vtriq; cõfugiunt ad Biblia, Lutheri ſcripta, conf. Aug. &c.

Criminationes ſectariorum.

terutrum, vel obiectã hęreseos infamiam solidis à se rationibus probatam gloriabantur. ANNO 1566.

Scripsit in hoc argumento multa Cyriacus Spangenbergius, hostis Accidentariorum, & Flacij propugnator acerrimus, qui magno studio, quicquid haberi potuit, ad tuendam Substantiariorum causam præsidij conquisiuit. Inter cætera librum edidit in Gallum quendam Steiningerum, Accidentariæ factionis predicantem, scriptum sub Antigalli titulo; in quo sub finem se trecentas ferè appellationes originalis peccati è sacris litteris produxisse gloriatur, inter quas ne vnam quidem ait inueniri, quæ peccatum aliud, quam ipsam hominis substantiam dici patiatur. Inseruerat scripto suo Gallus quadraginta octo scripturæ, & plurima Lutheri testimonia, quibus peccatum originis nõ substantiam hominis, sed accidens quoddam inhærens esse demonstrauerat: quæ Spangenbergius omnia retorquet in aduersarium, eaque non misero Accidenti, vti loquitur, sed quam ipse tuebatur Substantiæ patrocinari contendit.

Spangenbergij scripta in Accidentarios.

Liber eiusdẽ in Gallum quendam.

Obiecerat Gallus Substantiariis discordiam, quod ab aduersariis nõ tantũ, sed inter se quoq; dissiderent. Ipse contra demonstrat Accidentarios discrepare sententiis, dumq; explicant, quid sit peccatum originis, manipulatim in diuersum abire. Quosdam docere peccatum originis ab hominis essentia distinctum, esse naturam quandam & substan-

Accidentariorum discordiam enarrat. *Spang. in Antig. M. iiij. a.* I.

ANNO 1566. 2. 3. 4. 1. 2.

ſtantiam inhærentem ſubſtantiæ noſtræ. Alios vocare quidem accidens peccatum originis; at huiuſmodi quiddam tamen, quod vitam ſuam habeat, operandiq́ue vim ad corrumpendam ſubſtantiam, hominemq́ue moderandum. Inueniri præterea, qui dicant, eſſe peccatum accidens ad eum modum inhærens, vt à ſubiecto nequeat ſeparari: Demum & quoſdam eſſe, qui peccatum pro accidente ſeparabili habendum aſſerant. Hos verò poſtremos, ait, inter ſe non conuenire: quoſdam enim cogitatione tantum vel imaginatione; alios vero reipſa, vel actu ſeparandum docere. Ita fieri, vt Accidentariorum turma in quatuor aut quinque manipulos diuiſa videatur.

Papiſtis aſſimilat.

Hæc Spangenbergius de Accidentariis; quibus & illud velut in contumeliam obijcit, quod de hoc doctrinæ capite prorſus idē doceant cum papiſtis; quod cum ipſi Manichæorum deliriis ſint dementati, doctores probos veritatis & purioris doctrinæ vindices (Flacium & Subſtantiarios) eiuſdem hæreſeos, grauiſsimorum errorum contra conſcientiam inſimulent; quod, dum miſerum diabolum, Accidens, contra Lutherum & puriores doctores tanto ſtudio tueantur, in varias abſurditates incurrant; imo quod Chriſto Domino Mediatoris officium, & ſummi ſacerdotij dignitatem abrogent. Hæc & id genus alia multa Subſtantiarij de Antagoniſtis: qui viciſsim illos in ſcriptis publicis,

In Antig. E. iij. a. & paſſim.

Accidentariorum retorſio in Subſtantiarios.

blicis, in concionibus acerbè sunt & petulanter insectati. Nam & doctrinam de peccato originis, quam tradebant isti, propheticis, apostolicisque scripturis, Augustanæ confessioni, catechismo, cæterisque scriptis Lutheri, tum Smalcaldicis articulis penitus aduersari, imo portentosum, falsum, blasphemum, noxium ac diabolicum esse dogma clamitabant; nec aliud nunc docere Substantiarios, quam quod olim ante mille ducentos annos Ecclesia in Manichæis anathemate notârit. ANNO 1566. *In Censur. Theoleg. c. 1. a.* Errores Substantiariorum.

Erant Accidentarij numero superiores, atque hoc laborabant imprimis, vt & Academias sibi adiungerent, & Principum animos occuparent: quod iilis non admodum difficile fuit, cum principes & magistratus vrbium plerique à Flacio sponte sua propter seditiosas ipsius machinationes essent alieni. Hos igitur ardentes satis incendebant Accidentarij, suadebantque, vt Flacianos gladio compescerent, vel loco submotos eijcerent in exilium, nec eos vllibi terrarum figere sedem, vel consistere paterentur. Quod consilium sequentib. annis secuti Comites Mansfeldenses Spangenbergium cum sociis; Ratisbonenses Opitium, alij alios de cathedra deturbatos in exilium pepulerunt. Aiunt quosdam ex aduersariis Flacij vehementioribus, zelo quodam accensos in concionibus ad populum proclamasse, se breui quosdam è Substantiariis bene sanos & incolumes ad Principes fautores Accidentariorum. Accenduntur in Substantiarios. Substantiarij mouentur. *In libello germ. Summa doctrin. de pec. orig. k. 3.* Vehemens concio in Substantiarios.

ANNO 1566.

sepulcrum deducturos: quo loquendi genere sepulcri loco patibulum illis destinabant.

Flacius admouet flabella dogmati suo.

Atque hoc tam virulentum certamen per Flacium anno 1560. in disputatione Vinariensi primum excitatum fuit, ab eoq; tempore ad septennium & amplius in fomite scintillauit, donec tandem eodem Flacio flabellum admouente in publicam flammam exarsit. Quanquam verò laboratum fuit à quibusdam pacis amantibus, vt animi dissidentium rursus coalescerent; eumque in finem conuentus habiti sunt, & instituta colloquia; frustra tamen conatus isti fuerunt, animis ira odioq; nimium æstuantibus: imprimis Flacij magno zelo causam tuebatur Cyriacus Spangenbergius, qui Mansfeldiæ sub initium moti certaminis concionatoris munere fungebatur.

Eius mancipium Cyriacus Spāgenbergius

Eius pater Ioannes Spangenb. autor postillarum.

Erat is Cyriacus Ioannis Spangenbergij Filius, monachi ex Augustiniana familia profugi, cuius nomen ob scripta quædā edita, postillas imprimis, quas vocāt, inter Lutheranos celebratū est. Hic Cyriacum hunc reliquit, natum ex matrimonio, quale inter monachum apostatam & fœminam esse potest; hominem turbulentum, fastu turgidum, &, si barbam spectes, autoritate præditum non vulgari, qui cum Lutherum, vti germaniæ prophetam, adeoq; velut tertium eundemq; vltimum Eliam coleret, quicquid ab eo profectum fuit, vtcunque sordidum esset & immundum, ceu propheticum, apo-

Cyriaci habitus & mores.

stoli-

ſtolicum, vel è tripode proditum oraculum venerabatur. Huic igitur, cum in comitatu Mansfeldenſi Flacium, eiuſq; de peccato originis Manichæum delirium tueretur, Hieronymus Mencelius ſuperintendens ſeſe ardenter obiecit, qui cum maxima parte concionatorum Accidentarijs adhærebat. ANNO 1571. Ipſius Antagoniſta Mencelius.

CAPVT V.

I. *Flacij Manichæiſmus Ienæ; vnde Vinarienſe colloquium cũ Mansfeldenſibus inter Subſtantiarios & Accidentarios.*

II. *Controuerſiæ & ſententiarum inter partes collatio & examen.*

III. *Magdeburgenſ. & Grubenhagiorum deciſio Flacium cum ſuis condemnantium.*

IV. *Accidentariorum de Subſtantiarijs vbique fortunam aduerſam ſuſtinentibus triumphi, odia, ſcripta; quibus & epitheta & titulos Flacij, eiusq; conſcientiæ ſpecimen, fructus doctrinæ ex eaq; ortas diſſenſiones exprimunt.*

V. *Flacij peſte correpti mors omnium infœliciſſima.*

I. Ienę Manichæiſmus repullulat.

IAM & in Thuringia de hoc dogmate nonnihil turbarũ fuit; Ienæ cumprimis, vnde Flacius anno 1562. diſceſſerat, relicto poſt ſe Manichæiſmi ſemine; quod ſequentibus annis, maximè ſub annum 1571. paulo liberius pullulauit. Moderabatur tũ prouinciam illã,

ANNO 1571. quà ducibus Saxoniæ subest, Guilielmus, Ioannnis Friderici frater, illius, inquâ, qui Flacium aliosq; tribunitios concionatores ante paucos annos ab Ecclesiastico ministerio remouerat. Is enim Princeps, cũ quosdã ab Imperio proscriptos in arce Gothana foueret, anno 1567. per Augustum Electorem Saxonem obsessus, castroque in potestatem redacto captus fuerat, & Viennam missus ad Cæsarem, vbi vitam in carcere finiuit. Huius loco Ioannes Gulielmus quem diximus, filius Ioannis Friderici Electoris secundo genitus rebus communibus præerat; qui vt Flacianum hoc incendium restingueret, colloquium inter concionatores vtriusque partis præcipuos instituendum censuit.

Ioannes Fridericus ab Augusto capitur.

Viennæ in carcere moritur.

Anno 1571. Igitur anno 1571. mense Iulio Theologos suos, VVigandum, aliosque ex Academia Ienensi Vinariam accersiuit. Eodem per per litteras inuitauit & Volratum Mansfeldensem Comitem, hortatus vt superintendentem Mencelium & Spangenbergium secum adduceret. Erant hi duo factionum duces, vti diximus, in Comitatu Mansfeldico; hic Substantiariorum, ille vero Accidentariorum acerrimus propugnator. Voluit itaque princeps, vt hi cum suis Ienensibus de controuersia hac colloquerentur: cui colloquio ipse cum Volrato Comite, aliisque nonnullis interesse decreuerat, facturus periculum, an ad concordiam distractos redigere posset.

Colloquiũ Vinariense

Mansfeldenses Vinariam inuitantur.

Venit

Venit cum suis Vinariam Volratus, cumque princeps indicto conuentu causas exponeret, cur Mencelium superintendentem & Spangenbergium euocarit, nimirum vt cum Theologis Ienensibus de controuersia quæ de peccato originis in ijs regionibus exarserat, placide conferrent; Mansfeldici difficiles sese præbuerunt, causati non esse sibi integrum, vt nec ante moniti, & prorsus imparati, re cum socijs non prius communicata, de negotio tam arduo cum Ienēsibus in colloquium descenderent. Quanquam verò vrgerentur à Ienensibus, & instanter quidem, perstiterunt tamen in proposito, nec induci potuerunt vllis rationibus, vt ad principis se voluntatem adiungerent.

ANNO 1571.

Causæ cōuentus à Principe proponuntur.

Mansfeldensium replica.

Tandem huc descensum fuit, vt VVigandus Accidentariorum sententiam, quam cōtra Flacium eiusq; socios tuebatur, vnà cum argumentis præcipuis scripto comprehēsam offerret Principi; qui deinde scriptum illud ad Mansfeldicos ministros examinandum mitteret, nimirum vt notationibus additis corrigerent, si quid in eo deprehenderent dignum censura, suumque iudicium de vniuersa hac causa perscriberent. Atque ita tum quidem discessum fuit.

Accidentariorum sententia offertur principi.

Ministris Mansfeldensibus examinanda traditur.

Erat iam sparsus in publicum de hoc argumento VVigādi tractatus quidam, quem Princeps paulo post Mansfeldicis concionatoribus transmisit, additis litteris, quibus de hac cōtrouersia iudicium ipsorum exquirit.

Flacianorū iudiciū de Wigandi sententia.

ANNO 1571. Mencelius ſuperintendẽs, ad cuius officium ea res pertinebat, VVigandi ſcriptum concionatorib. per ciuitates omnes & Satrapias miſit, vnaque monuit, vt ſinguli hoc ipſum legerent, expenderent argumenta, ſuumque de eo iudicium litteris obſignatis ad ſe perſcriberent. Quod cùm fieret, Spangenbergius, & qui cum eo Flacij partes ſequebantur, VVigandi Scriptum velut erroneum liberè repudiarunt; imò & Mencelio ſuperintendenti, cęterisque concionatoribus perſuadere conati ſunt datis litteris, vt & ipſi calculum ſuum adiungerent, & ſcriptum, quod diximus, condemnarent. Mencelius, & qui illi adhærebant Islebienſes, non ſimpliciter omnia reijcienda ſine delectu, ſed ſi quid erroneum ineſſet, reuocandum ad cenſuram, corrigendumque; cętera verò probanda cenſuerunt.

Accidentariorum de ea opinio.

II. Dum ad hunc modum datis vltro citroq; litteris negocium ventilatur, factum eſt, vt à ſcripto VVigandi ſenſim ad controuerſiam ipſam dilaberentur. Tum verò Mencelius cum Islebienſibus Accidãtariorum ſententiam defendit, qui naturam ipſam & eſſentiam hominis à peccati contagione diſcernendam aſſerunt: Spangenbergius vero, quique partes illius & Flacij ductum ſequebantur, Manichæorum dogma de ſubſtantia hominis in peccatum transformata omnibus præſidijs tueri conati ſunt. Hunc in modum, cùm in duas turmas diſilijſſent, expe-

Ad ipſam cõtrouerſiam deſceditur.

Sectariorũ ſententiæ.

experiri placuit instituto congressu, num conciliari sibi mutuo possent, & in eosdem cancellos redigi. Ventum est ad colloquium in hunc finem institutum Islebij, cui & Comites Mansfeldenses interfuerunt. ANNO 1571.

Instituitur conuentus Islebij.

Fecit initium actionis Mencelius superintendens, & receptam inter Lutheranos originalis peccati definitionem in medium proposuit, ex Smalcaldicis articulis desumptam. Postulauit verò, vt qui præsentes erant, profiterentur liberè, quid de ea sentirent, probandamne censerent, an reijciendam? Ea definitio peccatum originis fœdam asserit esse totius humanæ naturæ corruptionem. Hanc Mencelius cum suis probandam iudicauit & retinendam. Spangenbergius verò propter motam controuersiam censuit corrigendam hunc in modum, scilicet vt peccatum originis non corruptio naturæ, sed vniuersa hominis perdita atque corrupta natura diceretur. Videbant aduersarij, quorsum ista spectaret mutatio, vt nimirum hoc inuolucro Flacij Manichæum delirium de substantia animæ in peccatum transformata tegeret. Itaque assentiri prorsus noluerunt.

Mencelij propositio de originali peccato.

Spangenbergij opinio correctoria.

Mencelitani dissentiunt.

Post multam disceptationem cum neutri crederent, huc itum est tandem, vt vtrique sententiã suam additis rationum firmamentis scripto complecterentur: Ea verò scripta

Vtriusque partis sententia examini ministrorum subijcitur.

Comi-

ANNO 1571. Comites ad vicinos aliquot mitterent Lutheranæ professionis Principes, eosque rogarent, vt de causa hac vniuersa concionatorum suorum sententias exquirant: quorum iudicio, quin deinde acquiescerent, neutris recusandum. Interea temporis, dum aliorum iudicia exquiruntur, vtrisque paci studendum & tranquillitati, nec faciendam in concionibus huius controuersiæ mentionem, sed omnia potius ad Synodum reijcienda, quæ postmodum ad dirimendum hoc dissidium conuocanda videatur. His ita constitutis delecti sunt Principes quidam velut arbitri, Ioachimus Fridericus Administrator Magdeburgensis; Iulius Dux Brunsvicensis; Ioannes Albertus & Vlricus Duces Megapolitani; VVolffgangus & Philippus Grubenhagij fratres de stirpe Brunsvicensium; & Ioachimus Ernestus princeps Anhaltinus: Quibus Comites vtriusque partis scripta ad censuram reuocanda litteris additis transmiserunt.

Interim, instituitur.

Arbitri partium.

ANN. 1572. Id factum anno 1572. sub initium Octob. Verum principes isti non eandem viam ad exquirenda suorum suffragia sunt ingressi. Administrator Magdeburgicus Hallenses tantum, & qui Magdeburgi erant prædicantes in cōsilium adhibuit: Iulius verò Brunsvicensis omnes sui ducatus concionatores; Megapolitani non omnes promiscuè, sed facultatem Theologicā in Academia Rostochiensi consuluerūt. At Grubenhagij fratres & An-

Diuersa studia Principum in examinandis sententijs.

& Anhaltinus ad præcipuos quosdam & delectos iudicium de scriptis Mansfeldicis retulerunt. Iam & Mencelius priuatim litteras dedit ad delectos pastores in ditione Anhaltini: Quæ res substantiarijs occasionem præbuit, vt postea censuras concionatorum velut illegitimè conquisitas reijcerent. Cæterum omnes, qui super hac controuersia consulti fuerunt, Magdeburgici, Brunsvicenses, Megapolitani, Grubenhagij & Anhaltini calculo suo probarunt Accidētariorum sententiam, & Flacij sociorumque dogma velut erroneum reiecerunt. Quanquam verò de summa rei conueniebant omnes, alij tamen alijs acerbius in substantiarios scripserant. ANNO 1572.

III. Magdeburgicorum de sentētijs decisio. *In censur. C. iij. b. C. iiij. a.*

Imprimis Magdeburgici & Grubenhagij stilo paulo asperiore sententiam suam declararunt. Negari non posse, dicunt, quin peccatum originale, si sit hominis substantia, creaturam dici oporteat, aliam ab ea, quam initio condidit Deus; cuius creator, cum Deus esse nequeat, procul dubio Sathan sit habendus, à quo proueniat omne malum. Flacium igitur, aiunt, dum hunc errorem astruit, loco Dei constituere diabolum, eumque facere generis humani creatorem ab eo tempore, quo lapsi sunt in peccatum protoplastæ: quæ quin germana sit Manichæorum hæresis, non esse dubitandum. Nam nec peccatum verè dici substantiam posse, quin noua sit creatura; nec creaturam istam alij cuiquam asscribendam, quam diabolo creatori.

Flacij dogma condēnant.

Itaque

ANNO 1572.

Itaque Flacij & Subſtantiariorum ſententiam de peccato originis velut portentoſum, blaſphemum, & planè diabolicum dogma deteſtantur: quod ne ſerpat longius, ſed tempeſtiuè potius opprimatur, principibus & magiſtratibus ſummo ſtudio connitendum iudicat.

Grubenhagiorum deciſio. *Ibid. Q. iij. a. b. Q iiij. a*

Grubenhagij verò vbi ſententiam ſuam de controuerſia expoſuerunt, exemplis è ſcriptura propoſitis iram Dei Comitibus & horrendam vindictam minantur, niſi magno ſtudio in eam curam incumbant, vt nouum hoc & blaſphemum Flacij dogma de peccato originis radicitus extirpetur. Cauendum omninò dicunt, ne ditio Mansfeldenſium Comitum, in qua natus ſit vir Dei Lutherus doctrinæ purioris inſtaurator, Flacij, Spangenbergijque deteſtandis erroribus contaminetur. Colligant igitur eorum ſcripta de hoc argumento edita, eaque flammis iniecta prorſus aboleant; nec quicquam, quod à Flacio, Spangenbergio, cæteriſque factionis iſtius conſarcinatum ſit, excudi deinceps in ditione ſua patiantur. Quod ſi Spangenbergius obijciat ſeſe pertinaciter, & in erroribus perſeueret, eijciendum è Comitatu, & peruicacem hominis contumaciam ſeueritate quadam perdomandam.

Flacij errorem demonſtrant.

Mansfeld. Comites accendunt in Flacianos.

IV.

Ann. 1573. Accidētarij de Subſtātiariis triumphant.

Comites collectis cenſuris omnium perlectisque, quod an. 1573. ineunte factum eſt, Accidentarios deinceps fouendos ſuſcepe-

rūt. Spangēbergius verò, & qui in ea ditione ductum

ductum illius sequebantur, recalcitrabant perpetuo, neq; censuris istis submittere sese voluerunt; quod suffragia concionatorũ non legitimè collecta dicerent. Itaque tandem è ditione Comitum Mansfeldẽsium velut hęretici pertinaces eiecti fuerunt. Eandem fortunam alijs in locis, & alij quidam sunt experti. ANNO 1573. Substãtiarij vbique eijciuntur.

Cæterùm ad Flacium ipsum quod attinet, ducem & caput istius factionis, is ob impij dogmatis infamiam varijs fortunæ casibus miserandum in modum iactatus fuit. Hæsit aliquamdiu Argentorati, quo post reditum è Belgio migrauit, vti suprà diximus: Sed quocunq; venit post motam hanc cõtrouersiam, ab omnibus penè desertus in odio hominum, in ærumnis & afflictionibus miserabilem vitam duxit. Nec facilè quenquam inuenias, qui tot cõtumelias aduersariorum, tantam tamque diuturnam oppressionem, tam acres inimicitias sustulerit: Vnde Spangenbergius eum in Antigallo martyrem appellat, de ecclesia Christi bene meritũ. Neq; verò martyriũ à Catholicis passus est homo miser, sed à Sacramentarijs partim, aliisq; id genus sectarijs, partim & imprimis quidem ab ijs, qui per Germaniam Augustanæ Confessionis dogmata profitebãtur, à VVittẽbergẽsibus inquã Lipsiẽsibus, Melãchthonicis, Adiaphoristis, Maioristis, Synergistis, demũ ac Accidẽtarijs, qui oẽs acerbissimo & prorsus implacabili odio sunt hominẽ prosecuti, ac si

Flacii fortuna aduersa.

Vbique affligitur.

In Antig. M.ij. a.

A Spangẽberg. Martyr nominatur.

Omnium odiis expositus.

ANNO 1573.

ac si in pernicié ipsius conspirarint. Id è scriptis illorum satis manifestum est; VVittenbergensiũ cum primis, quę sub nomine scholasticorum an 1558. & 1559. edita fuerũt adeò virulenta & contumeliosa, vt in hoc genere post Lutheri furiosos libros in Anglię Regẽ, tum in Archiepiscopum Moguntinum, in Georgium Saxonem, in Henricum Brunsvicensem Germaniæ principes nihil magis asperum & venenatum extare dicas. Quod si Flacium habuissent præsentem boni scholastici, cùm scriberent libellos istos, dubium non est, quin laniaturi viuum fuissent, vel minutim dentibus inciſuri. Interim absentẽ configunt stilo, quã possunt venenosissimo, &, ne iniuriã ipsi facere videantur, ijs coloribus miserum Flacium depingunt, vt si quis eum intueatur, hominem omnium sub sole sceleratissimum, imò dæmonem incarnatum coram videatur intueri.

Wittenbergens. in eũ aspertimæ linguæ.

Assimilatur Dęmoni.

Testantur hoc contumelioſi tituli, quos ad faciendam fidem è scriptis illorum excerptos inserimus: Ingratus & improbus cuculus, perfidus, sceleratus, turpis Thraso, alienę virtutis nefarius insectator, furialis Alecto, coluber, scurra, fœdissima vpupa, putre κάρμα cancri instar serpens, hostis filij Dei & Spiritus sancti; sceleratus insectator, & criminator falso ac diabolicè mendax; Cainicè impudens, insulsus asinus, Paphlago, συκοφάντης, ἅρπαξ, λεχράκτης, pulcher Epicuræus, dignus qui ad porcos ablegetur, præcipi-

Epitheta & tituli Flacij.

In resp. ad calumnias Flacij passim.

cipitandus ad principem & patrem diabolo- ANNO
rum Beelzebub, ex quo cum tota ista sobole 1573.
prodijt: monstrosos fœtus occultans; improbus cuculus, Erynnis & furia, fato Germaniæ VVittenbergam ex pestilétissimâ orâ Illyriæ, quæ sanos homines proferre non potest, appulsa, & in Ecclesias Lutheranas conjecta, rabiosus sus pollutissimo rostro omnia subruens, conspurcans, proterens & conculcans, Syropedillis, hostis veritatis; viuum & conspicuum Organum diaboli, & vas iræ; filius diaboli, qui se legionem vocabat; mendacijs scatens velut inflatus vter, qui cum pulsatur & premitur, inter remugiendum nil nisi stridulos & inconditos strepitus mendaciorum edit.

Hæc aliaq; id genus probra in Flacium isti congerunt; & inter cætera, Excitabuntur aliqui, dicunt, qui te non verbis reuellent, sed velut rabiosum canem fustibus, verberibus, & laqueo coërcebunt. Quin & in secretos animi recessus penetrãt, quasi Dij sint, & Melanchthonis primum, deinde Flacij quoque conscientiam describunt, oppositione quadã institutа. Et de Flacio quidem hunc in modũ scribunt: Tua verò conscientia qualis est? Te dies noctesq; assiduæ domesticæq; furiæ agitant ac perterrent; tua fraus terrorq; tuus te vexat, & cõspectus admissorum scelerum fatigat, amentiaque afficit: Te cogitationes de sycophanticè & malitiosè laceratis præceptoribus, de quassatis & distractis ecclesijs, de

Ibid. F. ij. a.

Conscientiam Flacij depingũt.

F. iij. b.

ANNO 1573. sophisticè deprauata doctrina, de Germania, fraude, rapinis, & pessimis artibus expilata
» prætextu historici operis exercent, vt nec
» quiescere sine cura, nec sperare sine metu,
» nec cogitare aliquid sine aberratione, nec ad
» tranquillitatem aliquã sine perpetuis suspi-
» rijs te componere queas. Refugis & auersa-
» ris lucem, latesque interdiu velut bubo, no-
» ctem expetis, noctu euolas, & mutato habi-
» tu personatus velut μορμολύκιον, aut βουτά-
» δης quispiam fallis hominum oculos; Quæris
» auia & solitudines, cùm peregrinaris; ad cõ-
» spectus congressusq; bonorum expauescis &
» contremiscis; ad strepitus concussorum flati-
» bus foliorum cohorrescis: Nisi tectus & mu-
» nitus autoritate publicorum diplomatũ pe-
» dem domo efferre non audes: O te verè mi-
» serum, & miserè perditum, si eò res tuæ re-
» dactæ sunt, vt papyracea edicta munitura
» magis credas, quam integritatem, innocen-
» tiam, & rectitudinem hilaris conscientiæ! Il-
» la te profligata & proiecta tua conscientia
» nuper ad desperationem adegit; in qua per-
» ijsses, nisi viuus amicorum multiplicibus
» fuisses difficulter reuocatus, & seruatus con-
» solationibus.

Fructus doctrinæ Flacij.

Hęc illi: Sub finem & fructus recensent in contumeliã Flacij, quos doctrinã eius peperisse scribunt. Conclusionis gratia, inquiunt,
» hoc addimus de prę claris fructibus tuis, quos
H.iiij.b.I.i. Cainico impulsus odio, Thersitica producta
a.b. » impudentia, ingenio adiutus Sinonio, & su-

perbia

perbia ex vulgi applausu cõcepta blandè fotus, artibus Dalmaticis imò Diabolicis ecclesiæ peperisti. Incidisti neruum concordiæ & consensionis; diuulsisti coniunctas, & inter se arctissimè deinctas comunis doctrinę professione Ecclesias, diuulsas ferali cantu tuo, velut procella tempestatũ ita commouisti, vt te viuo & stante cõquieturæ sint nunquã: distraxisti voluntates cõiunctissimorum hominum: dissoluisti amicitias, & mutui amoris flãmas extinxisti, &c Sparsisti & confirmasti semina perpetuæ diffidentiæ, & perpetuorum certaminum. ANNO 1573.

Et paulò infrà: Vt autem fit ἐν διχοστασίῃ, ἐν ᾗ πᾶσα ἰδέα κακῶν ἔστι, consecuta sunt alia plura. Committuntur & colliduntur inter se Ecclesię: Suggesta, fora, compita furiosis clamoribus personant: Crescit licẽtia in pastoribus quæuis portenta opinionum fingendi & audendi quiduis, & quæuis mouendi; in vulgo prophanitas, feritas, & totius religionis contemptus; vt sint congressus hominum penè κερκόπων ἀγορά, ἐν ᾗ ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδένος: Quod cuique in mentem venit, hoc fundit, hoc agitat, hoc vrget, pro hoc pugnat mordicus, hoc ratum haberi vult, vel si fractus illabatur orbis. Cùm pastoribus diaconi, cùm vtrisque plebs dimicat, & factionum studio singuli nunc huc, nunc illuc sese inflectunt atque accommodant, alludentes ad affectus sui theatri. Experitur hanc licentiam præceptor, Dissensiones ex doctrina Flacij.

ANNO 1573. (Melanchthon) ad quem penè in momenta nouæ controuersiæ & noua certamina defe-
» runtur, tanquam ad talem iudicem, cuius vel
» vnius iudicio boni stare & acquiescere de-
» creuerunt. Gemunt & penè cõsumuntur do-
» lore pij & boni vbiuis locorũ, quod ex sug-
» gestibus non doctrinæ explicationem, non
» commonefactiones & consolationes pias ac
» salutares proponi, sed conuitia effundi & de-
» bachationes audiunt in bonos; quibus non
» tantum in prophanis augetur securitas & re-
» ligionis contemptus, sed in pijs etiam turba-
» tur & impeditur seria inuocatio.

V. Ann. 1575. Flacii mors, infelicissimi qui sub sole vixerunt mortaliũ.

Hactenus Scholastici VVittenbergenses; quibus ad opprimendum Flacium Accidentarij sese postmodũ coniunxerunt: Nec quies homini longè miserrimo deinceps concessa fuit, quamdiu vixit in mundo. Huiusmodi clamoribus, maledictis, conuitijs, diris execrationibus & anathematum tonitruis infectati sunt eum Lutherani reliqui, donec tandem expleto, quem Deus concesit, ærumnosæ vitæ cursu, inuidiæ succumbens, ac peste correptus infelicem animam exhalauit. Id factum Francofurti ad Mœnum, an. 1575. 12. Martij, in Festo S. Gregorij Papæ; quem ipse, vti & omnes Põtifices Romanos, quamquam hunc imprimis, magno semper odio fuerat prosecutus.

Finis vitæ Matthiæ Flacij Illyrici.

VITA

ANNO 1502.

VITA ET RES GESTÆ GEORGII MAIORIS

Autore

CASPARO VLENBERGIO

Lippiensi.

CAPVT I.

I. *Præfatio autoris.*

II. *Patria & studium Maioris Ratisbonam ad colloqu. missi an. 1545.*

III. *Eius dogmata & aduersarij.*

IV. *Mansfeldensibus inuitis Superintendens datur, à quibus & alijs Flacianis duriter tractatur.*

ET hic nobis prætereundus non fuit, dum catalogum teximus eorum, qui Lutheranam gentem in factiones distraxerunt: Inter quos Georgius Maior Flacianorum iudicio nõ postremum locum obtinet. Docuit is inter Lutheranos, de quorum consortio fuit; bona opera fidelibus ad salutem esse necessaria; nec quenquam hominum sine ijs æternæ beatitudinis fieri participem: quæ sane Catholica est doctrina, ex ipsis hausta scripturæ sacræ fontibus. Hanc verò I.

Maioris dogma.

ANNO 1520.

Flacianis inuisum. *Ambsdorff. in præf. To. Luth. germ.*

verò Flaciani vel Lutherani rigidiores hæresin vocant omnium quas sol vidit antiquissimam simul & deterrimam: Ideoq; Maiorē diris deuouent, execranturque velut hæreticum pernitiosissimum, per quem ipsam euāgelij medullam operum admistione corrūpi penitus, & hæreditatem cœlestis patriæ, quā sola fide definiuit acquirendam, interueniri fidelibus quiritantur. Hanc rem exaggerant tragicis clamoribus, vtque à Maioris hæresi, quam dicunt, vel à studio bonarum actionum homines auocent, opera charitatis asserunt adeò non esse necessaria ad salutem, vt officiant potius & impedimento sint ad cœlum tendentibus: Quod portentosum dogma Nicolaus Ambsdorffius antinomico furore percitus, in publicis scriptis tueri non erubuit. Huic assensēre Flaciani cæteri, germana Lutheri soboles: Et quia Maior, vt impiam hanc assertionem euerteret, obedientiæ, charitatis, & bonorum operum patrocinium suscepit, acerbè fuit & petulāter ab aduersarijs exagitatus, indignè ferētibus nimirum, quod in summo hoc religionis capite ad Catholicorū sententiā suauiter inclinaret.

Eorum calumnia.

Ab ijsdem acerbè perstringitur.

Fuit hic homo non adeò magni nominis inter Lutheranos, priusquam certamen istud de bonis operibus exarsit; tametsi scripsit quædam. At per controuersiam istam nomē aliquod & famam est cōsecutus: Nobis quidem propter hoc dogma solum inter hæreticos minimè censendus; nisi cæteros Lutheranorum

norum errores omnes, imò & Lutheri paradoxon de sola fide (quanquam id cum hac assertione de necessitate bonorum operum non consistit) deque iustitia, quam imputatiuam vocant, publica protestatione mordicus retinuisset. ANNO 1520.

II.

NATVS est Maior honestis parentibus Norinbergæ anno 1502. 25. Aprilis: cumque prima litterarum fundamenta feliciter posuisset, factus adultior VVittenbergam profectus est ad vberiorẽ ingenij culturam. Hic dum bonis litteris impendit operã, noua Lutheri dogmata simul imbibit: quibus postmodum adhæsit per omnẽ vitam: nisi quod in doctrina de iustificatione, quemadmodũ diximus, à rigidioribus Lutheri discipulis deflectens ad Catholicos gressum fecit. Factus est in academia VVittenbergensi Theologiæ professor viuente adhuc Luthero: Quã professionem eum in modum obiuit, vt Melanchthonis potius quã Lutheri vestigijs insistere videretur. Fauebat id tẽporis Melãchthon Sacramentarijs, quorum sententiam de Eucharistia totis venis hauserat; quanquam id ob horridos Lutheri mores, & rusticã austeritatem publicè non fuit ausus profiteri. Erant & alia quædam dogmata, puta de peccato originis, de viribus arbitrij humani; de iurisdictione vel politia ecclesiastica &cæt. in quibus Melanchthon asperitatem Lutheri, rigoremq; adhibito temperamẽto ita mitigarat, vt aliud prorsus ab illo sentire crederetur.

Ann. 1302. Eius natiuitas & patria.

Lutheranismũ amplectitur.

Fit Melanchthonica.

Melanchthonis dogmata.

ANNO 1545.

deretur. Itaque Lutherus ab annis aliquot Melanchthoni parum fidebat, nec eum passus est ad actiones de religione publicas adhiberi.

Ann. 1545. Maior vocatur ad Colloquiũ Ratisbonense.

Sanè cum anno Christi 1545. Ratisbonam conuentus indictus esset ad dirimendas religionis controuersias, Elector quidem Ioannes Fridericus Melanchthonem designauit, & hunc, cuius vitam scribimus, Georgium Maiorem, vt colloquio Protestantium nomine cum cæteris interessent: At cum sub initium anni sequentis iter iam esset ingrediũdum, suasu Lutheri Melanchthon domi manere iussus fuit, & Maior solus cum Iureconsulto quodam Laurentio Zochio Ratisbonam missus. Neq; verò Melanchthonem modo, sed & alios illi adhærentes suspectos habuit Lutherus; quia per id tempus admodum morosus erat & tetricus; idque partim ætatis vitio, partim etiam, quod Sacramentariorum hæresin aliasq; corruptelas, vti loquuntur, sub fermento Melanchthonis VVittenbergæ clam pullulare deprehenderet.

Ann. 1546. Valedicit Luthero; eiusque cũ illo sermocinatio.

Maior antequam se daret itineri Ratisbonam profecturus ad Comitia, quod mense Ianuario factum est anno 1546. officij causâ Lutherum salutauit; qui & ipse per id tempus profectionem meditabatur in patriam, euocatus per Comites Mansfeldicos, vt litem de finibus & hæreditate, quæ inter eosdem Comites gliscebat ab annis aliquot, vnà

cum

cum aliis interuentu suo dirimeret. Ingressus domum Maior in vestibulo musæi verba, quæ subiungimus, ipsius Lutheri manu scripta inuenit: Nostri professores examinandi sunt de Cœna Domini. Ea cum legeret Maior, Reuerende Domine pater, inquit, quid hæc verba præ se ferunt? Cui ille; volunt hoc, quod legis: cum reuersus fuero; examen instituendum erit, quod etiam te requiret & tanget. At ille, cum se à suspicione coram & ingenuâ confessione doctrinę & fidei suæ liberasset, responsionem tandem accepit: silentio tuo teipsum reddis suspectũ: sed si credis, vt loqueris coram me, loquere idem etiam in ecclesia, & in schola, & confirma fratres tuos, & errantes in viam reducere studę. Id quod se facturum Maior sanctè promisit, & ita Luthero valedixit. Hactenus Selneccerus, cuius verbis historiolam istam recensere placuit.

ANNO 1546. *Selnec. in lib. Recit. pag. 6.*

Iter deinde cum Zochio ingressus, vti diximus, ad vigesimumprimum Ianuarij Ratisbonam venit, tardius quidem ille, quam cæteri Protestantium Theologi; nec gratus admodum ijs, qui mandatu Cæsaris colloquium istud moderabantur: Hi enim Melanchthonem ipsum expectabant, quẽ Princeps Elector se missurum promiserat; tametsi de Lutheri consilio sententiam mutauit. Actum deinde fuit de concilianda religione, sed perturbatè admodum & cespitanter, ob perpetuas Lutheranorum tergiuersatio-

Ratisbonã venit.

ANNO 1546. Re infecta discedit.

nes: qua de re in vita Lutheri diximus. Post varias altercationes Maior & Zochius à Saxone per litteras reuocati, vigesimo Martij tandem inopinatò discesserunt: quorum abitu colloquium præter omnium expectationem dissolutum fuit. Nec enim Saxonicis non præsentibus à reliquis Protestantium Theologis obtineri potuit, vt actionem prosequerentur.

III. Lutheri mors parturit hæreses.

Dum vero Ratisbonæ de conuersiis dirimendis agitur, Lutherus Islebij in Comitatu Mansfeldico ad 18. Februarij supremum vitæ diem clausit; quem vbi VVittenbergam redijt Maior, sepultum inuenit. Is dum viueret, Melanchthonem aliosque nonnullos austeritate sua, ceu fræno quodam cohibuit, ne liberius mentis arcanum proderent. At Luthero mortuo, multæ deinceps enatæ sunt hæreses, aliæque sectæ post alias pullularunt, per quas integrum Ecclesiæ Lutheranæ corpus variè dissipatum fuit distractumque, & suâ ipsius turpitudine detectâ fœdum de se Germaniæ spectaculum præbuit. Qua in re Catholici iustum Dei iudicium agnoscebant, quod qui Christianum orbem apostasiâ suâ miserandum in modum afflixerant, in vindictam turbulento vertiginis agitati spiritu, seipsos mutuis armis conficerent. Huius eiusdem spiritus impulsu Maiorem quoque pestilentissimam hæresin, vt Flaciani loquuntur, de necessitate bonorum operum protulisse ferunt.

Iustum Dei iudicium.

Erat

Erat Maior de Adiaphoriſtarum grege, qui anno 1548. & ſequentibus in conſultatione de rebus externis, deque libro Interim Melanchthoni contra Flacium Illyricum eiuſque ſocios adhærebant. Hi Catholicis inter cætera conceſſerunt aſſertionem iſtam, quâ fidem, charitatem, ſpem, aliasque virtutes ad ſalutẽ eſſe neceſſarias, nec quenquam ſine bonis operibus ſaluari dicitur; vt ex actis Synodicis conſtat. Proteſtabantur interim, ſe à communi Lutheranorum ſententiâ de ſola fide, deque imputatiua iuſtitia ne latum quidẽ pilum diſceſſuros: quæ cauſa fuit, vt Flaciani contradictionem illis in articulo iuſtificationis obijcerent; quod nimirum cum ſolâ fide dicerent hominem iuſtificari, nihilominus opera præter fidem velut ad ſalutem neceſſaria poſtularent.

ANNO 1548. Maior Adiaphoriſta.

Acta Synodi pag. 114. & 148.

Schluſſelb. de Maioriſtis, pag. 28.

Cæterum quia Maior imprimis ſummo ſtudio neceſsitatem operum ad ſalutem inculcabat, Flaciani patrem eum auctoremq; huius ſectæ conſtituunt; à quo Lutheri doctrinam de iuſtificatione malitiosè, vt quidã iſtius factionis loquitur, imò & ſceleratè de prauatam clamitant. Huic ſe ſocios adiunxerunt in hac causâ Paulus Eberus paſtor VVittenbergenſis, Iuſtus Menius, Ioannes Mattheſius, Philippus Ferinarius, Caſpar Cruciger iunior, Paulus Crellius, alijq; plures, quos Flaciani Maioriſtas à Maiore, & Lutheranopapiſtas per cõtumeliam denominarunt. Atq; hi quidẽ vrgebãt opera charitatis, ſine

A Flacianis deprauatæ doctrinæ reus poſtulatur.

Conrad. Schluſſelb. libr. de hæreſ.

Maioriſtæ Lutheranopapiſtæ.

ANNO 1548.

sine quibus frustrà sperari salutem asserebant: quod nouum erat & insolens inter Lutheranos, quorum aures à multis annis nihil ferebant in hoc genere præter solam fidem. Itaque cum Maior, cæteriq́ue factionis istius obedientiam postliminio virtutumq́ue studium vrgerent, rationes in medium adferendæ fuerunt, cur insolitum hunc docendi modum sequerentur.

Causæ introductorũ dogmatam à Maiore.

1. *Ibid.* Antinomia.

Principio id fieri aiebant ad reprimendam Antinomorum insaniam, qui fideles semel regeneratos asserebant nec salutem, nec gratiam, aut Spiritum sanctum amittere posse, tametsi grauissimis peccatis, fornicatione, adulterio, furtis, rapinis, aut quibuscunque demũ sceleribus sese polluerent. Deinde eo rem redijsse dicebant inter Lutheranos, vt fiduciâ solius fidei doctrina de charitatis operibus penè versa sit in ludibrium, quibusdam falsè ridentibus, cum mentio fieret de necessitate bonorum operum ad salutem; eam scilicet necessitatem holus esse sale corruptum, vt Lutheranorum palato non conueniat. Id germanicè dictum leporem habet: Das mus ist versaltzen. Hunc charitatis contemptum propositâ bonorũ operum necessitate vindicandum fuisse. Tertiò homines degenerasse iampridem à virtutum studio, factosq́ue ad benè operandum desides & ignauos: Ideoq́; excitandos fuisse cohortandosq́; ad seruandam charitatis legem, proposito salutis amittendæ periculo, nisi cole-

2. Fiducia solius Fidei.

3. Peruersitas Lutheranorum.

colerent iustitiam, & bonis operibus vitam exornarent. Demum fuisse quosdam, qui solam fidem ad eum modum inculcarint, vt charitati & honestis actionibus bellum indixisse viderentur; quorum importunis clamoribus homines ad vitam prorsus Epicuræam sint traducti. Huic malo adhibendum fuisse remedium; quod in doctrina de charitatis operibus ad salutem necessariis quærendum fuerit. Interim se nihil aliud asserebant in hoc genere profiteri atque tradere, quam quod à Luthero, Melanchthone, alijsq; præceptoribus suis VVittẽbergæ didicerint: quorum doctrinæ fideliter immorari, adeoque immori decretum habeant, eamque puram atque illibatam, vti per manus traditam à Luthero acceperint, ad posteros propagare.

ANNO 1548. 4.

Epicureismus.

Ad Lutherum prouocant.

Hæc illi; Maior, inquam, & qui ductum eius sequebantur. Flaciani verò, qui VVittenbergensium actiones omnes diligenter obseruabant, Maiorem cum sociis initiò clã, post & apertè sugillabant, quasi peruerterent Lutheri doctrinam, eiusque puritatem inquinamento bonorũ operum & charitatis horrendum in modũ contaminarent.

A Flacianis infestantur.

Primus omnium Nicolaus Ambsdorffius, qui Magdeburgum ex Naumburgensi episcopatu profugus redierat, Maiorem aggressus est, eumq; publco scripto de quibusdam erroribus admonuit; quod nimirum in præcipuo Christianæ religionis capite de iu-

Primus Antagonista Ambsdorffius.

iusti-

ANNO 1548.

stificatione sinceritatem doctrinæ per Lutherum traditæ fermento papisticarum opinionum inficeret. Hanc infamationem Maior honore saluo negligere vel dissimulare non potuit. Quia tamen nouerat turbulentum Ambsdorffij ingenium,& rem hanc ad certamen spectare videbat, represit se nonnihil,& respondere distulit.

IV.

Anno 1552. Maior fit Superintēdens in Comitatu Mansfeldico.

Accidit verò sub id tempus, anno scilicet 1552. vt Maior ad functionem Superintendentis in Comitatu Mansfeldico ad tempus obeundã euocaretur. Vacauerat isthæc functio biennium ferè, à morte scilicet Ioannis Spangenbergij,monachi excucullati,qui decedens Superintendentiam anno 1550. vacãtem fecerat. In huius locũ biennio post Maior eâ conditione suffectus fuit, vt per annũ Inspectoris vel Superintendentis munere fungeretur. Erant id temporis concionatores Mansfeldici Comitatus omnes propemodũ de factione Flacianorum; Ideoq; VVittenbergẽses,Melanchthonicos,& Adiaphoristas, è quorũ numero & Maiorem esse nouerant,velut euangelij desertores, odio satis acerbo prosequebantur. Nec æquis animis ferebant, eum ad moderandas Ecclesias in sumo ministerij fastigio collocari, quẽ Amsdorffi⁹ scripto publico defectionis à puriore doctrina, & proditæ veritatis reum fecerat.

Mansfeldici Flaciani.

Islebium venit.

Vbi Maior Islebium venit vocatu Comitum, concionatores illius ciuitatis omnes,& ludimagistri ad arcem vocati sunt: quibus man-

mandatum fuit, vt hunc agnoscerent Superintendentem, vel summum ecclesiarum in Comitatu prę̃sulem, & honorem ei debitum obedientiamque exhiberent. Illi restitarunt initio quidē, quod hominē diuersæ factionis odissent, vti diximus: Assenserunt tamē demum, protestatione quadā interposita, cuius hæc summa fuit: habituros se Maiorem loco superintēdentis, eiq; futuros subditos, si duo quędā promitteret sese bona fide prę̃stiturū: prius erat, vt nullā doctrinæ vel rituum ecclesiasticorū induceret mutationē, nec Interimisticos, vel Adiaphoristicos errores spargeret, vti loquuntur. Alterū, quia per Ambsdorffium scripto publico de corruptelis accusatus esset, quasi à doctrina per Lutherum traditâ discessisset, vt responderet ad accusationem istam, & obiectum apostasiæ crimen publica declaratione purgaret. Promisit ista Maior, atque ita concionatores illi sese, quāquam non lubentes admodum submiserunt.

ANNO 1552.

Islebienses iubentur ei parere.

Protestantur, quatenus.

1. Nihil immutet.

2. Purget se de crimine.

His Islebij peractis, ventum est ad Mansfeldenses; à quibus impetrari non potuit vllis rationibus, vt nouum hunc Inspectorem vel Superintendentem agnoscerent. Placuit illis quidē conditio ab Islebiensibus proposita, qua cauetur, vt aspersam defectionis maculam purgatione publica dilueret: At subesse Maiori, illiq; præstare obedientiam penitus recusarunt. Ille quanquam à Mansfeldensibus Flacianis repudiatus fuit, mansit tamen Islebij, & munus à Comitibus im-

A Mansfeldensibus Flacianis repudiatur.

ANNO 1552. impositum exequi cœpit. Vt verò conditioni satisfaceret ab Islebiensibus propositæ, scriptum quoddam germanicum statim eodem anno 1552. diuulgauit, in quo respondet Ambsdorffio, & aspersam Apostasiæ maculam diluere conatur. Errorem sane nullum agnoscit, & iniuriam sibi queritur irrogari, quod innocens eorum dogmatum infamiâ grauetur, à quibus animo simul & professione publicâ sit alienus. Interim sententiam suam de bonis operibus scripturæ sacrę, Augustanæ confessioni, Lutherique scriptis asserit esse conformem, eamque dilucidè satis & apertè declarat his verbis, quæ Schlüsselburgius impia & blasphema nominat. Hoc verò fateor, inquit, me antea docuisse, adhuc docere, & toto vitæ meæ tempore sic doctum: quod bona opera sint necessaria ad salutem: quod etiam nemo vnquam sine bonis operibus sit saluatus; quod denique impossibile sit, quenquam sine bonis operibus saluari. Quare si quis aliter docet, etiamsi sit Angelus de cœlo, ille sit anathema.

Apologiam scribit in Ambsdorffium. Queritur de iniuria.

Bona opera stabilit. *Lib. 7. de hæres. p. 30.*

Hactenus Maior; cuius verba recensuimus, vti per Schlusselburgium latinè reddita libro septimo de hæresibus leguntur. Per hoc tempus & alia quædam ipsius scripta prodierunt; nimirum ad Regem Angliæ, ad Senatum Merseburgensem; in quibus Magdeburgicos, quorum primus erat Ambsdorfius, à diabolo ad contradicendum excitatos asserit. Hoc conuitio Flaciani vehementer irri-

Scribit ad varios.

Magdeburgicos in se concitat.

irritati fuerunt; Ideoque velut classico quodam exciti confestim ad arma conuolarunt; atq; id quidem eo maiore cum impetu, quod Islebienses non tantum, sed & cæteri Flaciani passim vel palinodiam publicã ab eo expectauerant, vel huiusmodi certè declarationem, quæ tolerari posset, nec adeo dura videretur Lutheranis auribus. Primus in arenam prodiit Nicolaus Ambsdorffius quẽ diximus; cui sese Matthias Flacius Illyricus, Nicolaus Gallus, Ioannes VVigandus, Ioachimus Morlinus, Erardus Sneppius, alijque socios adiunxerunt, editis libris, quibus acerrimè Maiorẽ oppugnarunt. Ambsdorffius scriptum emisit Germanicum sub huiusmodi titulo: Breuis Informatio ad Maioris responsum; in quo velut pro tribunali sedens autoritate prætoria hanc de Maiore eiusq; dogmate sententiam pronunciat. Dico ego Nicolaus Ambsdorffius, inquit, Quisquis docet & concionatur, quod bona opera necessaria sint ad salutem; is Pelagianus est & Apostata, & Christi abnegator, eundemque habet spiritum, ex quo Menstingius & VVicelius contra Doctorem Martinum sanctæ memoriæ bonorum operum necessitatẽ asseruerunt. Itaq; compater meus Doctor Georgius Maior papisticũ spiritum, sensum & animum habet. Et quamuis postea se vertat declaretq; nihil tamen agit aliud, quã quod præstigijs ludit. Nam verba hęc: Bona opera necessaria sunt ad salutem; Impia sunt, pericu-

ANNO 1552.

Flacianorũ Antesignani.

Ambsdorffij scriptum in Maiorẽ. *Schlusselb. lib. 7. p. 210.*

ANNO 1554.

riculosa & suspecta. Et infra: Si Georgius Maior hoc vrgeat, in eoque persistere velit, „ nimirum, vt asserat, bona opera ad salutem „ esse necessaria; iam defecit à doctrina purio- „ re, & Christum negauit.

Maior imperterritus; Islebij necessitatem operum docet.

Hæc ille. Ita statim ab initio conflictus anathematis & condemnationibus vtrinque fulminatũ est. Maior interim, quod in scriptis publicis asserebat de necessitate bonorum operum, idipsum Islebij quoq; in concionibus ad populum magno zelo profitebatur: quin & subinde durius incurrebat in aduersarios, per quos fuerat ad palinodiam reuocatus. Ea re permoti Hieronymus Mencelius cæterique concionatores Islebienses Maiorem admonuerunt, vt memor conditionis, quâ receptus esset in Superintendentẽ, à prauis dogmatibus spargendis, & insectandis Lutheranæ doctrinæ doctoribus sibi temperaret. Ille verò adeo non cessit, vt hac admonitione potius irritatus grauius in aduersarios exardesceret: nec bilẽ effrænemq; mentis impotentiam in cõcionibus ad populũ dissimulauit. Eo autẽ feruor illius erupit, vt aduersarios homines esse diceret indoctos, imperitos, imò & indignos, qui ecclesiastico ministerio fungerentur; dignos verò, qui Agazones essent, aut stabulis asinorum Romani pontificis expurgandis destinarentur.

Admonetur desistere.

Eius dicteria in Flacianos.

Hac contumelia vehementer offensi concionatores, cum Maiore grauiter expostularunt, eoq; adegerunt hominem, vt se fateretur

Ad dictorũ Palinodiã adigitur.

tur iracundiæ laxasse frænos, & animi quadam impotentia ardoreq; differendi longiùs prouectum, quam decuerit. Itaq; culpam deprecabatur, seq; publicè, quæ acerbius in eos dixisset, reuocaturum promisit: quod ipsum & in proxima concione bona fide præstitit: quamq; labem intemperanti lingua Melanchthoni cæterisq; collegis aspersérat, hanc detersit eadem lingua, suasque ipsius sordes resorbuit. Iam & à ciuibus quibusdam interpellatus fuit, qui priuatim eum de periculis monuerunt, in quæ mouendis huiusmodi controuersijs Ecclesiam Lutheranam conijceret: satis in ea dissensionum esse atque schismatum, vt necesse non sit nouas excitare turbas. Visus est sermonibus istis moueri Maior, promisitque nonnullis, se non omissurum modo assertiones istas de necessitate bonorum operum, sed & publico scripto reuocaturum ea, quæ scandalum peperissent. Hæc ille quidem priuatim, vt ciuibus istis aliquo modo satisfaceret. Sed erant quidam Flacianorum hostes acerrimi, inter quos & magni nominis nonnullos, & genere Illustres fuisse constat, quorum consilio Maior in his actionibus vtebatur. Ab his igitur persuasus instigatusq; facilè redijt ad ingenium, nec quod de scandalo amouendo, deq; Palinodia promiserat, vnquam est executus. Imò deinceps contra Flacianorũ machinationes animum obfirmauit, & de suo rũ consilio librum scripsit sub titulo Sermonis

ANNO 1552.

A ciuibus de periculis admonetur.

Eius in Flacianos odium recrudescit.

Scribit librum de Conuersione S. Pauli.

ANNO 1552. nis de conuersione S. Pauli; in quem omnia causæ suæ præsidia contra Flacio Lutheranos vndecunq; conquisita magno studio congessit. Cum hic fœtus ad partum maturuisset, iamq; rumor spargeretur breui edendum, duo quidem è Flacianis, Michaël Cœlius, & Ioannes VVigandus, seriò Maiorē ab instituto sunt dehortati; fore proculdubio, vt vbi prodiret in publicū liber iste, turbas longè grauissimas concitaret. Ille cū diuulgare scriptum omninò decreuisset, partem illius cum præfatione VVigando misit inspiciendā. Fuit hoc mense Octobri an. 1552. VVigandus præfatione perlectâ, quæ atro virulentię felle redundabat in Flacianos, datis ad Maiorem litteris, scriptum hoc omninò censuit supprimendum, vt quod ad augenda potius, inter Lutheranos, quam sopienda schismata comparatum esset. Maior autem contempto VVigandi consilio librū typis excudendum Lipsiam misit, vbi, quin excuderetur, per Flacianos non potuit impediri.

Eius præfatio aduersariis legenda datur.

CAPVT II.

I. *Maior in exilium eijcitur. Synodus Islebij cogitur.*

II. *Eius cum Antagonistis certamina & errores.*

III. *Cedens è stadio sententiam ingratiam Flacianorum mitigat; at irritatus rursum propugnat cum magna vehementia in aduersar.*

IV. *Acris*

IV. *Acris inter Maioriſt. & Flacian. pugna & occaſio ad inſtituendum colloquium.*

ANNO 1553.

DVM hæc aguntur, Albertus Comes Mansfeldenſis, qui belli Smalcaldici tempore vnà cum Electore Saxone proſcriptus fuerat, amicorum quorundã opera Cæſari reconciliatus, poſt aliquot annorum exilium in ditionẽ ſuam reuertitur. Erat is Comes rigidè Lutheranus, de Flacianorum ſecta, quæ ſe germanam Lutheri ſobolem eſſe gloriatur. Hic igitur cum Maiorem VVittenbergâ per abſentiam ſuam euocatum, ingentesq; ab eo turbas excitatas intelligeret, continuò filium Carolum Islebium mittit, eiq; denunciat, vt è ditione Mansfeldenſi ſine mora diſcedat, addita comminatione, niſi pareat, alia ſe ratione cum illo acturũ. Territus inopinato nuncio Maior collectis ſarcinis confeſtim abijt, exceſsit, euaſit, erupit, vt inquit ille: idq; tanta trepidatione, vt Islebio diſceſſurus ferè noctis beneficio ad fugam accelerandam vteretur. Atq; ipſe quidem VVittenbergam reuerſus eſt: Liber autem vel ſermo ipſius de conuerſione S. Pauli, qui tum erat ſub prælo, paulò poſt in lucẽ prodijt, cum præfatione ad Senatum populumq; Islebienſem, cui fœtũ hunc dedicauit. Id verò concionatoribus accidit permoleſtum, qui nequaquã permittendum cenſuerunt, vt illius libri lectione ad oues ſibi cõmiſſas praui dogmatis contagio dimanaret. Itaq; monuerunt ſuos edito ſcripto, ne Lu-

Albertus exul redit in ſuam ditionem.

Maiorem à Superintendentia remouit.

Maior fugit Wittenbergam

Islebienſes ſcripta Maioris eradicare conantur.

ANNO 1554. theranæ doctrinæ puritatẽ de sola fide, quã hactenus tenuissent, charitatis operumq; bonorum fermento corrumpi paterentur.

Maioris assectæ. Cæterum habebat Maior assectas suos in Comitatu Mansfeldensi, qui causam ipsius etiam absentis magno studio contra Flacianos tuebantur: inter quos primi nominis

Stephanus Agricola. erant, è pastoribus Sthephanus Agricola, vir doctus; tum litterator quidam Mauritius Hellingius, Islebiensis scholæ moderator, & collegæ nonnulli; qui post Maioris discessum spargendis pasquillis mouendisq; disputatiunculis concionatores falsè exagitabant; Tulerunt hoc ægerrimè cõcionatores; ideo-

Anno 1554. que anno 1554. cum Erasmus Sarcerius in Maioris locũ Superintendens esset constitutus, huius controuersiæ gratia Synodus indicta fuit; ad quam Agricola, cæteriq; bonorum operum fautores vocati sunt. Præfuit

Synodus Mansfeldica. huic Synodo Sarcerius ipse; cũq; ij, qui Maioris partes sequebantur, in sententia de bonorum operum necessitate persisterent, suf-

Eius præses. fragiorum multitudine victi condemnatiq; fuerunt, atq; vnà solum vertere iussi: quã in re necessitati parendum fuit. Quanquã hæc

Agricolæ conuersio. persecutio Agricolæ quidem occasionẽ præbuit, vt desertis Lutheranorum erroribus in Ecclesiæ Catholicæ sinum caput reclinaret. Principio enim VVittenbergam profectus magisterij lauream susceptit: deinde Merseburgi factus pastor, cum Michaele Sidonio ciuitatis illius Episcopo, post & cum Iulio

lio Pflugio Episcopo Naumburgensi familiaritatem contraxit: cumq; de controuersia hac, deque vniuerso religionis negotio presius cogitaret, tandem veritatis & conscientię ductum secutus, ad Ecclesiam se Catholicam abdicatis erroribus adiunxit. ANNO 1557.

II.

Cæterum vbi Maior è Comitatu Mansfeldensi profugus V Vittenbergam redijsset, & liber, quem diximus, publici iuris factus passim volitaret; certamen, quod iam ante satis vehemens erat, nonnihil incruduit; præsertim cũ vtrinq; pugnantium numerus augeretur. Vtriq; verò sentẽtiam suam productis non scripturæ modo, sed & Lutheri, Augustanæq; confessionis testimonijs cõfirmabant. Interim alij alios proditæ veritatis corruptæq; doctrinæ purioris reos agebant, seq; mutuò petulanter & acerbè velut hostes veritatis & hæreticos insectabãtur. Atq; huius pugnę spectator esse voluit Melanchthõ; ideoq; neutræ se factioni adiunxit: quanquã Flaciani, quod ad dogma quidem attinet de iustificatione, suarũ partium eum fuisse gloriantur; vti ex illius sermone colligit Ioachimus Morlinus, cuius hęc verba sũt in scripto quodam ad refutandam Maioris præfationẽ edito: D. Maior, inquit, minimus non est inter seniores Lutheri discipulos. Hic inter nos nouas sectas erroresque Lutheri doctrinæ contrarios introduxit: itaq; necessario nobis fuit illi resistendum. Vt & Dominus Philippus anno 1557. dicebat: Laudo, inquit, & benè facitis, quod Maioris assertio-

Maioristarum & Flacianorum certamen crescit.

Vtriusque partis asylũ confessio Augustana.

Melanchthon spectator certaminis.

Verba Ioach. Morlini.

Citat Schlus selb. in har. Maior. pag. 127.

ANNO 1557.

nẽ oppugnatis. Fe1buit autem imprimis pugna ab anno 1557. deinceps, vtrisque rerum suarum satagentibus; factumque est, quod in huiusmodi certaminibus fieri cõsueuit, vt quo plures vtrinq; prouolarent libri, eo maiorib. odiis animi certantium accẽderentur.

Maioris aduersariorum scripta.

Oppugnarunt Maiorem scriptis publicis præter Ambsdorffium, Illyricum, Gallum, quos initium pugnę fecisse diximus, & VVigãdus, Mörlinus, Snepffius, Saxones, Mansfeldici, alijq; passim Flacio Lutherani: qui vt erant oculati, successu temporis præter dogma de necessitate bonorũ operum, & alios quosdam errores, vt ipsi quidem loquebantur, in Maiore notabant, ad fulciendam, vti dicebant, præcipuam hæresin velut in præsidium comparatos: Cuiusmodi sunt assertiones istæ, quas de scriptis Maioris per Flacianos excerptas subiungimus: Quod voluntas humana Spiritui sancto verboque Dei in conuersione cooperetur: Quod causa receptionis ad eum modum sit in hominibus, quo in ijs est causa reiectionis: Quod homini post lapsum in ipso conuersionis actu naturale odium erga res Dei, naturaléq; repugnantiam inesse Maior neget: Quod neget hominem in conuersione ad Deum habere se purè passiuè, vti loquuntur, quantum ad naturales vires attinet: Quod Euangelium propriè loquendo concionem esse dicat de pœnitentia: Quod asserat, Euangelium illud, quo gratuita peccatorum remis-

Errores 12. Maioris à Flacianis notati.

Schlusselb. lib. 7. hæres. p. 31. & seq.

1.
2.
3.
4.
5.
6.

missio credentibus annuncietur, esse nouum & Apostolis incognitum : Quod fidem, spē, charitatem in homine requirat, velut ad salutem necessaria : Quod salutis nostræ partem esse dicat opera, pro quibus vitam æternam ac salutem retributionis loco consequamur : Quod iustitiam in hac vita imperfectam esse dicat : Quod inchoatam vitæ nouitatem dicat esse partem salutis : Quod discrimen agnoscat inter iustitiam & salutem, hominem asserens iustum quidem esse sola fide, sed non saluum : Quod de communicatione idiomatum in Christo, deque ascensione illius ad cœlos, & sessione ad dextram patris, Caluinistarū more loquatur. Ex his id genus assertionibus Flaciani colligunt, Maiorem in articulo Iustificationis desertâ Lutheri doctrinâ turpiter ad Pontificios, vti loquuntur, defeciſſe; Imò factum esse Pontificijs ipsis longè peiorem, quōrum sententiā de iustificatione, deque bonis operibus commodiorem, & veritati magis consonam, esse, quam Maioris, Flacianus quidam institutâ sententiarum collatione nouem rationibus luculenter demonstrat.

ANNO 1557. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Maior pontificijs peior.

Schlusselb. li. 7. hæres. pag. 275.

Cùm hunc in modum ad annos aliquot magno feruore dimicatum esset, Maior demum partim obrutus importunis aduersariorum clamoribus, partim à collegis ob dicacitatem & pertinaciam reprehensus, anno 1558. cessit è stadio, quasi palmam aduersarijs concederet; & Confessionem edidit : In qua

III.

Ann. 1568. Maior cedit è stadio.

Ibid. p. 390.

ANNO 1558. 1559 1560.

omissis loquendi formulis durioribus, quibus hactenus Flacianorum aures vellicarat, ita sermonem in explicanda sententia temperauit, vt omnibus hoc scripto abundè satisfactum iri crederet. Fecit hoc ad placãdos aduersarios, inuidiamque papismi, declinandam. Interim phrasin mutauit & verba; sententiam verò minime: Quam sibi tueri prõptum fuisse dicit, nisi publicæ tranquillitatis gratia lubens è pugna discederet. Possem, inquit, aduersarijs meis respondere per Dei gratiam: Verum id facere superfedebo pacis causa, & propter Ecclesiæ quietem, ne dissidium augeatur.

Ei⁹ mollis Confessio.

Verba Cõfessionis.

Ibid.

Ann. 1563. 1564.

Librum de Cõuersione S. Pauli emendat.

Eandem ob causam per idem tempus & sermonem recensuit de conuersione S. Pauli pridem editum, quo doctrinam suam de iustificatione, deq; bonis operibus, quibuscũq; potuit præsidijs munitam complexus erat, vt is liber summam Maiorismi continere videretur. Ex eo nonnulla sustulit, quædam interpolauit lubrico verborum apparatu; alia, quæ forsan inclementius dicta fuerant, suaui temperamento leniuit: Præfationem ipsam, quæ benè prolixa erat, & in Flacianos acerbior; tum synopsin libri, vel propositam initio summam totius operis, planè resecuit, omniaq; mitigauit, quæ Flacianis auribus aspera videbantur; futurum ratus, vt ad hanc cessionem furor aduersariorum conquiesceeret. Itaque librum in hunc modum concludit: Rogo pios omnes, inquit, vt tandem sese com-

In gratiam Flacianorum.

Ibid. p. 376.

„

componant ad quietem, & si quid in hac declaratione desideretur, id suppleant ex alijs scriptis nostris, in quibus hæc prolixius explicantur. Hæc Maior; qui socios quidem hac declaratione placauit, Melanchthonicos inquã, Adiaphoristas, & molliores Lutheranos: At Flacianis hac laruatâ palinodiâ, quã verbis ad fraudem compositis, non animo fieri iudicabãt, nequaquam satisfactum fuit; quẽadmodum Flacius ipse, alijq; factionis istius, scriptis in lucem editis palam testabantur. Id cum Maior animaduerteret, excãduit supra modum, & quod reliquum erat amarulentiæ plenis faucibus in Flacium eiusq; gregales euomuit, idque tanta verborum acerbitate animique vehementia, vt è Flacianis quidam, Hieronymus Mencelius Maiorem instar rabidi canis aduersarios allatrare mordereq; dicat. Scriptum verò in quo Flacianos tam duriter insectatus est, in forma præfationis emisit; quam cum Homelias suas latinè scriptas ederet, operi præfixit: Quanquã & scriptũ hoc postea germanicè versum seperatim edidit, vt apud vulgus quoq; Flacium eiusq; socios odiosos redderet. Erat autem dentatum, mordax, virulentum, quod acerbissimam, atroque felle redundantem inuectiuam non iniuria dixeris.

ANNO 1564.

"

"

Eis non satisfacit.

Ann. 1565.

Maior irritatꝰ rursus debacchatur in Flacianos.

In Censura de Maioris præfat. quã Schlusselb. lib. 7. de hæres. inseruit, pag. 277.

Maioris Homeliæ. Summa præfationis.

Principio retinuisse se doctrinam asserit à Luthero per manus & viua voce traditã, nec ab ea vel latum digitum vnquam declinasse, quicquid Flaciani vociferentur; à quibus per

Queritur de iniuria ob deprauatum Lutheranismum,

ANNO 1565. *Ibid. p.287.*

per inuidiam sese grauari queritur ementitis criminationibus, quasi puram Euangelij doctrinam reliquerit : Qua in re nec Flacio, nec complicibus ipsius credendum asserit; Quod ille fax, tuba, dux & caput sit horribilis dissensus ac distractionis inter Lutheranos : homo sceleratus, qui se primum miris artibus & hypocrisi in notitiam & familiaritatem Melanchthonis, aliorumque VVittenbergensium insinuarit, vt hinc captata occasione eos opprimeret; se verò velut Pontificem inter Lutheranos constitueret: Quod Synonijs furijs accessus insidiosè captarit sermones, colloquia, litteras & somnia Philippi, & aliorum, eaque perfidè in vulgus sparserit, vt ipsos exosos & suspectos efficeret: Quod artibus Synonijs pessima in animo consilia coquens dolis ac mendacijs multos deceperit: Quod se magno zelo fingat accensum erga synceram euangelij doctrinam, cuius Maiorem & alios proditores & corruptores à multis annis proclamarit, sparsis in vulgus virulentissimis libellis, qui tota mendaciorum conuitiorumq; plaustra vexerint: Quod his artibus factionem Illyricam instituerit, cum qua tanquam nocentissima pestis bonam Germaniæ partem occuparit, & in illa zeli simulatione omnes propemodum articulos fidei inter Lutheranos arrodere atque allatrare non erubuerit. Hæc de Flacio ipso : Ad Flacianos verò quod attinet, ijs fidem non adhibendam ait; Quod se, Maiorē, mali-

Scommata eius in Flacium.

Flacius mendax, vafer, &c.

Illyrica factio pestis Germanię.

Flaciani contumelioſi.

malitiosè, sycophanticè, & impudenter per calumniam accusarint, quasi de necessitate bonorũ operũ eandẽ planè cũ pontificijs sententiam tueatur: Quod sint homines ingrati, beneficiorum à Maiore præstitorum immemores; imò & periuri, qui de schola VVittẽbergensi contra iusiurãdum apertas calumnias & mendacia sparserint: Quod non mendaces tantum sint, sed & iactabundi, superbi, & inanis gloriæ cupidi, dum se solos velut columnas immotas Euãgelij puritatem post bellum Smalcaldicũ retinuisse iactant. Quod hoc fuco simpliciores deceperint, à quibus recepti magnum ecclesijs & scholis intulerint detrimentum: Quod horũ audacia fœdè turbatæ deformatæque sint ecclesiæ Lutheranæ, eisque plus damni datum, quam vllis vnquam pontificiorum machinationibus: Quod scholas, in quibus velut angues in sinu foti sint & enutriti, sophistomania sua, calumnijs, mendacijs, criminationibus, λογομαχίαις non necessarijs penè fœdius deformarint, quam omnes exteras, quas ex professo delere sint conati: Quod eo audaciæ processerint, vt apertè cœperint in ecclesijs & scholis dominari: Quod Ecclesiam Catholicam ad se suaque contubernia alligarint, & quantumuis impia docerent ac contraria verbo Dei, omnes tamen à se dissidentes tanquam Catharmata & Alastores orbis terrarum anathemate iugularint: Quod tanquã noui pontifices negotijs & consilijs politicis sese immiscere

ANNO 1565. 1566.

Ingrati, periuri.

Arrogãtes.

Deformatores Lutheranissimi.

Scholarum exterminatores.

Ecclesiarũ inuasores.

Noui Pontifices.

ANNO 1566.

Causæ bellorum.

miscere voluerint: Quod minitari principibus ausi sint hocq; machinari summo studio, vt vel ipsos committerent inter se, vel florentes respublicas contra principes commouerent: Quod immanibus ausis intestina bella per Germaniam accēdere conati sint, quibus omnia conflagrarent: Quod eam ob causam tandem, cū detecta esset ipsorum malitia, è scholis & Ecclesijs cū ignominia sint eiecti.

Maioris purgatio.

His coloribus Flacium eiusq; manipulares depingit Maior: Se verò fideliter seruasse dicit Lutheri depositum, nec vnquam ab eius sententia vel latum vnguem discessisse: Qua de re Academiam & Ecclesiā V Vittenbergensem, auditores suos omnes, & scripta, quæ in manibus hominum versentur, luculentum, ait, præbere testimonium: Id se furiosis hominum factiosorum clamoribus opponere dicit. Et quanquā nihil dubitet, quin huiusmodi testimonium sufficiat; tamen ad mitigandos aduersariorum furores edidisse confessionem, in qua sententiam suam perspicuè satis, eumque in modum declarauit, vt bonis omnibus & prudentibus abundè sit satisfactum. Quod verò Flacianorum inclementiam hac declaratione placare non potuerit, id nemini mirum esse debere; cùm huiusmodi homines sint isti, quales iam ante depinxerat.

De puritate Lutheranismi.

Causa editæ Confessionis.

IV. Flaciani ad pugnam cientur.

Hoc scriptum peracerbum sanè ac longè virulētissimum bilem mouit Flacianis eosq; vehementer in pugnam denuò concitauit.

Certè

Certè Maior omnem controuersiæ sopiẽdæ spem eo ipso penitus abrupit: Nec vnquam adduci potuit, vt redintegrato post editam Confessionem certamine deinceps ad extremum vsque spiritum aduersarijs vel latum culmum cederet. Iam verò nec Flaciani causæ suæ defuerunt, qui scripto hoc acerbissimo, ceu classico quodam exciti turmatim denuo prouolarunt, & Maiorem deinceps non modo quamdiu vixit, sed & mortuum varijs scriptis acerrimè sunt insectati: Maioris causam VVittenbergenses & Lipsienses tuebantur; tum concionatores ij, qui sub Augusto Electore Saxone Lutheranis ecclesijs præerant: Flacianis verò duces Saxoniæ Vinarienses & ciuitates multæ per Germaniam adhærebant.

ANNO 1566.

Vtriusque partis patroni & collegæ.

Erat autem fœdum omnino spectaculum, videre tantis odijs inter se dimicantes eos, qui vtrique de puro putoque Lutheranę doctrinæ nucleo gloriabantur; vtrique scripturæ sacræ, Confessionis Augustanæ, Lutherique testimonia magno numero producebant; cùm interim acerrimè contradicerent alijs alij, seque mutuò velut hostes Christi, hæreticos, apostatas, veritatis & Euangelij proditores anathemate ferirent, eumque in modum agerent causam hanc, vt alij in aliorum pernitiem conspirasse viderentur: Cæterùm ne quis Maiorem senio iam fatiscentem, & laboribus fractum desistere à dogmate propugnando, vel

Ad scripta Lutheri prouocat.

Maioris postremũ scriptum de iustificatione.

ANNO 1557. 1558

vel animo labascere putaret, anno 1567. germanicum librum edidit sub hoc titulo: Repetitio & postrema declaratio doctrinæ de iustificatione hominis coram Deo: Ex quo scripto facilè deprehendi potuit, eum porrò quoad viueret, à sententia non discessurum. Contrà verò & Flacianorum tantus erat ardor in hac causa, tam virulentum odium, adeoq; obstinatus animus, vt nec ipsi vnquam cessuri viderentur.

Augustus Elector Saxon.

Augustus interim Elector, qui Maiorem & Melanchthonicos fouebat, Academias ditionum suarum VVittenbergensem & Lipsiẽsem per Flacianos infestari hostiliter, imò & maculam illis aspergi proditæ veritatis, perindignè tulit: Atque id eo quidem magis, quod & populum scriptis polemicis, & importunis altercantium clamoribus miserandum in modum in factiones distrahi videret. Monuit itaq; Ioannem Gulielmum Saxoniæ Ducem, qui patrocinium in Thuringia præstabat Flacianis, vt inquietos id genus homines Ecclesiarum suarum vastatores & hostes acerrimos ab se dimitteret. Ille pro suo in Flacianos affectu disputationem, vel colloquium inter vtrosque prius instituendum censuit, faciendumque periculum, an hac ratione dirimi tandem posset fœdissimũ hoc certamen. Placuit, institutum Electori Augusto, qui se publicæ tranquillitatis & concordiæ cupidissimum semper exhibuit; fuitque duorum principum autoritate adiopiendas

Monet Vinarienses Duces de expellẽdis Flacianis.

Colloquiũ instituitur.

piendas altercationes domesticas colloquiũ instítutum. Cuius summariam descriptionem vt hoc loco inseramus, cursus historiæ, quam scribimus, vel rerum à Maiore gestarum series postulare videtur. Ipse siquidem occasionem dedit huic colloquio, in quo cotrouersia de iustificatione non aliter per Flacianos disceptata fuit, ac si Comitia de capite Maioris agerentur. Hunc enim præter Melanchthonẽ imprimis petebant isti; hunc oppressum cupiebant, & anathemate iugulatum. Et quanquam ad colloquium ipse nó venit, nullum tamen Flaciani congressum habuerunt, quin Maiori virulentum aculeum infigerent: tanto desiderio flagrabant hominis opprimendi. ANNO 1568.

Maior causæ Colloquij.

CAPVT III.

I. *Colloquium Altenburgense cum enumeratione collocutorum & præsidis, legibus item & forma agendi.*

II. *Initium actionis & inter partes orta contentio.*

III. *Consultationes, rixæ, scripta & inuectiuæ collocutor.*

IV. *A conuitijs abstinere iubentur per Præsidem, at frustrà.*

LOCVS Colloquio designatus fuit Altenburgum, quæ Misniæ ciuitas est; quo concionatores aliquot primi nominis I. COLLOQV. ALTENB.

ANNO 1568. Capita cõtrouersa.

ex vtraque factione conuocati sunt, vt de controuersia Maioris, de Iustificationis dogmate, de bonis operibus, de libero arbitrio, deque adiaphoris collatione sententiarum instituta concordiam tentarent. Hæc enim ferè sunt capita, in quibus Flacianis à Maioristis, Melanchthonicis, Adiaphoristis, Synergistisque atque Interimistis dissidebant. Venerunt Alteburgum ab Elector misi consiliarij tres politici, Ioannes à Bernstein, Ihan à Zeschavv, & Laurentius Lindeman Iurisconsultus; Theologi verò de Maioristarum numero sex, Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freyhub, Petrus Prætorius, Caspar Cruciger iunior, & Christianus Schutz: Qui scribam secum adduxerunt, Henricum Mollerum. Totidem è Flacianis quoque venerunt: Politici nimirum tres Eberardus à Than, Henricus ab Erffa, Petrus Prem, Iurisconsultus: Theologi sex; Ioannes VVigandus, Ioannes Fridericus Cœlestinus, Christophorus Irenæus, Bartholomæus Rosinus, Alexius Bresnicerus, Timotheus Kirchnerus. Hos Ioannes Gulielmus Saxoniæ Dux Flacianorum patronus Alteburgum euocauit, ijsque scribam adiunxit, Notarium vulgo nominant, Martinum Burgrauium. Flagrabat princeps iste magno pacis conciliandæ desiderio: Ideoque ipse colloquio interesse adeoque præesse voluit, vt dirigeret ac promoueret negotium, & præsentia

Nomina Colloquutorum Maioristarũ.

Nomina Flacianorum.

Ioan. Gulielm. Sax. Dux prẽses Colloquij.

sentia sua quorundam impotentiam frenaret. ANNO 1568.

Initium actionis ad 21. Octobris factum est, lectumque exordij loco decretum de forma modoque colloquij, diu ante conceptum per consiliarios politicos vtriusque principis; cuius hæc erat sententia: Ortum esse dissidium annis superioribus inter Electoris Augusti, & Ducis Saxoniæ Ioannis VVilhelmi concionatores de quibusdam religionis capitibus, ita vt alij alios errorum quorundam & defectionis ab Augustana Confessione reos fecerint: Quemadmodum ex libris manifestum sit vtrinque scriptis in hoc genere, ac passim non sine graui multorum offensione per Germaniam diuulgatis. Extremam itaque postulare necessitatem, vt sublatis dissidijs restituatur doctrinæ conformitas, eademque ad posteros transmittatur. Quamobrem censuisse Principes futurum operæpretium, si Theologi quidam vtriusque partis, & consiliarij politici modestè colloquerentur de controuersis articulis, eosque, si qua fieri posset, adhibita moderatione conciliarent. Quæ res vt legitimè procederet, & cum fructu perageretur, consiliarios vtriusque Principis ipsorummet principum mandatu de futuri colloquij forma & legibus in hunc modum inter se conuenisse.

Decretū de forma & modo Colloquij.

Leges & forma agēdi in Colloquio.

Principio, vt vno mense, nec diutius, ante

ANNO 1568. diem auſpicando colloquio deſtinatum, vtrinq; Theologi ſex, conſiliarij politici tres, & ſcriba iuratus vnus nominetur, ad congreſſum hunc ablegandi. 2. Deinde vt hi duodecim vtriuſque partis Theologi de controuerſis hactenus dogmatibus, puta de iuſtificatione, de bonorum operum neceſsitate, de libero arbitrio, & de adiaphoris, in præſentia ſex politicorum, quos vterque princeps deſignarit, modeſtè ſine cuiuſquam præiudicio 3. colloquantur: Vt politici conſiliarij nomine ſuorum principum animum diligenter aduertant, & ſi res ita poſtulet, officij moneant collocutores, atque hoc agant conſilijs inter ſe communicatis, vt actio ritè, 4. prudenter, atque ordinatè procedat: Quod ſi fortè libros quoſdam de controuerſijs iſtis editos, in medium proponendos Theologi iudicent, atque inſpiciendos, & quæ ſcripta ſunt in ijs expendenda, vt ea de re ſe mutuo differentes, & declarantes ſententiam 5. ſuam amanter & benignè audiant: Vt facta declaratione, ipſoque colloquio demum abſoluto conueniant inter ſe Theologi, & formam quandam concipiant communibus omnium ſuffragijs probatam, quomodo nimirum de controuerſis articulis porrò docendum ſit in ſcholis & eccleſijs, quæque loquendi formulæ deinceps in ſcriptis, in concionibus publicis retinendæ ſint & vſurpandæ, quæ reijciendæ vitandæque: Vt 6. omnis hæc actio dirigatur ad res ipſas doctrinam-

ctrinamque explicandam, nec vllæ personarum aut hominum condemnationes instituantur: Vt conciliatione dogmatum feliciter peracta, confectoque ea de re scripto, politici deinde sententijs inter se collatis deliberent, quomodo formandus sit recessus, quem vocant, & publicandus; tum quid agendum vtrique Principi statuendumque vt concordia in ijs ditionibus & pax stabiliatur: Si verò conciliatio non succedat in vno pluribusue dogmatis, vt tum autoritate principum ea consilia suscipiantur, quæ ipsorum iudicio mutuoque consensu ad sanciendam concordiam oportuna videbuntur: Vt hoc casu politici cõsiliarij Theologis interdicant seriò, mandentque, vt intereà temporis, dum principes de legitimis disidij cõponendi mediis cogitant, vtrique in concionibus, in scholis, in scriptis etiam publicis ab infectatione personarum & contumeliis abstineant: Quod si conciliatis articulis superioribus, de cæteris quoque controuersiis, quas alibi constet inter Lutheranos exortas, Theologi conferendum censeant, vt in ea deliberatione pacis & tranquillitatis inter omnes Augustanæ Confessionis Ordines conseruandæ ratio cumprimis habeatur.

ANNO 1568. 7. 8. 9.

Flacianorũ obmurmuratio. *In Colloq. lat. ed. p. 2. b*

Hæc ferè summa fuit decreti; quod cum sub actionis initium à notario recitatum esset, Flaciani confestim obmurmurarunt, protestati decretum illud à Theologis vtri-

ANNO 1568.

usque partis examinandum fuisse ratificandumque, priusquam in confessu publicaretur. Esse quædam in eo quæ iustam deliberationem postulent. Se quidem illud in medio relinquere, velut ordinationem à viris tantum politicis conscriptam, quæ præiudicium adferre non debeat causæ principali: Facturos nihilominus in hoc colloquio, quod viros Christianos deceat. Sic isti vel in ipso actionis limine turbulentum spiritum prodiderunt.

II. Io. Wigandus incipit actionem, sine iussu principis.

Lecto decreto Ioannes VVigandus Flacianorum ductor, iniussu Principis actionem ordiri voluit, priusquam de modo agendi, quem in decreto præscriptum diximus, inter vtrosque conueniisset. Itaque præfatus quædam de dissensionibus post obitum Lutheri exortis, deque suo & sociorum affectu ad sananda ecclesiæ Lutheranæ vulnera, tandem Bartholomęo Rosino collegæ mandat, vt quam de iustificatione deque bonis operibus Flaciani conscripserant Confessionem recitaret. Id vero perindignè tulerunt Electoris consiliarij politici, cæterique Maioristæ; quorum nomine Laurentius Lindemannus iureconsultus interpellauit VVigandum publicè, & ne confessio recitaretur, impediuit; mouendos primum aduersarios asserens, vt decreti forma seruetur, scilicet vt vtrique ante omnia declarent sententiam suam de dogmatibus controuersis, & siquidem conueniant, vt antitheses formen-

Maioristarum replica de seruando decreto.

mentur; nec initium actionis sumatur ab accusationibus: Metuendum enim, si id fiat, ne vel suspendatur colloquium huiusmodi circuitionibus, vel in ipso limine dissipetur. Princeps his auditis deliberandi causa secedit, quem consiliarij politici, tum VVigandus cæteriq́ue factionis istius secuti sunt. ANNO 1568.

Habitâ Consultatione Petrus Premius Flacianorum nomine respondit, & repudiata, quam Lindemannus proposuerat agendi ratione, Principi ait videri consultum, vt de quouis controuerso dogmate principio theses simplicissimè ponantur; deinde subiungantur antitheses vel assertiones thesibus istis contrariæ: Demum succedant hypotheses, quæ notatis librorum titulis & folijs prodant autorum nomina, per quos antitheses huiusmodi defendantur. Hunc agendi modum fore commodissimum, quem Princeps eum in finem non vrgeat, vt suspendatur vel dissoluatur colloquium, sed vt controuersiæ melius intelligantur. Hæc ille. Intereà tempus effluxerat actioni destinatum: Itaque Maioristæ deliberandi spatium petiuerunt in diem sequentem. Premij dissertatio de ratione agendi in colloquio.

Postridiè, qui 22. Octobr. fuit, cùm omnes denuò consedissent, Paulus Eberus Maioristarum primus dissimulatis ijs, quæ pridiè de modo agendi proposita fuerant, & inter vtrosque disceptata, generatim quædam de do- Eberi conatus frustraneus in recitãda Cõfessione Maioristarum.

ANNO 1568. de domesticis Lutheranorum dissensionibus, tum de doctrina Lutheri & Melanchthonis in ijs regionibus conseruanda prælocutus, post longos circuitus confessionem suæ factionis, Maioristarum inquam, recitare voluit, quam de iustificatione, deque bonis operibus conscriptam in manibus habebat. Quod cum VVigandus animaduerteret, Eberi sermonem interrupit, monuitque Principem, sibi cum socijs secedendum, deliberandumque an audienda sit, nec ne Maioristarum ista confessio? Secessit vnà Princeps ipse pro suo in Flacianos affectu; cumque deliberatum esset, VVigandus verba facere iussus Flacianorum nomine, se quoque, ait, & socios in votis habere, vt confirmetur Lutheri depositum, & concordia verbi diuini beneficio restituatur: Impediri verò per conscientiam, ne decreti vinculis astringi se patiantur. Causas etiam habere multas & graues, cur probare nequeant formam actionis per aduersarios propositam; nec ab ordine colloquij, quem hesterno die designarit princeps, se quidem discessuros.

Flacianorũ deliberatio.

Eorum responsio.

Hæc VVigandus. Maioristæ verò re seorsim deliberata communibus suffragijs decernunt, nec sibi discedendum à decreto, quod ab vtriusque partis politicis conscriptum sit, & Principum non assensu modo, sed & sigillo confirmatum: Qua de re mentem suam Ioanni Gulielmo Sax. Duci per consilia-

Maioristarũ replica.

Flacianorũ cõsultatio.

filiarios politicos suæ partis aperiunt. Ille denuò seorsim cum Theologis suis consultationem instituit. ANNO 1568.

Eorum responsum.

Post multam deliberationem Maioristis per Politicos aduersę partis renunciatur, placere Principi, vt quam conscriptam habeant confessionem, postridie recitent exhibeantque. Additum est, idem facturos & Flacianos: ea conditione tamen, ne res hæc apud exteras ecclesias, quas partibus suis habeant adhærentes, præiudicium gignat; tum ne Theses offerantur tantũ, sed vt scripto quoque semel atque iterum ad eas vtrinque respondere liceat: ac tum demum collocutionis fiat initium. Igitur sequenti die, qui 23. Octobris fuit, Paulus Eberus in consessu puplico confessionem Maioristarum, quam diximus, recitauit, scriptam omnium eorum nomine, qui per ditiones Electoris Augusti sub Augustanæ confessionis titulo scholas ecclesiasque moderabantur. Constabat duabus partibus hæc confessio: In prima de iustificatione differebant; in altera de bonis operibus idque in hanc ferè sententiam: licet homines iustificentur gratis solâ fide; postulari tamen ab ijs nouam obedientiam, vel externa atque interna charitatis opera, velut necessaria iustificatis ad salutem. Circa finem vtriusque partis condemnabant omnes, quos ipsi vel nimium tribuere bonis operibus, vel Euangelij nomine abuti ad velandam carnis licentiam iudicabant. Primi ge-

Eberus recitat confessionem Maioristarum.

Summaria Confess.

1.

2.

ANNO 1568.

neris faciunt Phariſæos, Origenem, Pelagium, Monachos, Papiſtas, Ieſuitas, aliosque ſanctos operarios, quos vocant. Ad alteram claſſem Antinomos noſtri temporis referunt, tum fanaticos Anabaptiſtas, & furioſos Libertinos, aliosque id genus diuinæ legis aduerſarios.

III. Roſinus recitat Cõfeſſionem Flacianorum.

Cum Eberus ſcriptum abſoluiſſet, Flacianis permiſſum fuit, vt & ipſi de eodẽ capite confeſsionem ſuam ex ſcripto recitarent; è quorũ numero Bartholomæus Roſinus Wigandi iuſſu ſcriptũ legere cœpit, in tres partes diſtributum. Prima theſes complectebatur, vel aſſertiones de iuſtificatione, deque bonis operibus, quarum ſumma erat: Iuſtificari homines imputatione mortis Chriſti: Eam verò iuſtitiam per ſolam fidem apprehendi; ex qua deinde fructus bonorũ operũ

Summaria Confeſſ.

1. proueniant. Secunda pars antitheſes cõtinebat, vel aſſertiones nouẽdecim, theſibus iſtis omninò contrarias; inter quas decimaſexta palmarium tenet: Bona opera neceſſaria ſunt

2. ad ſalutem. In tertiam partem ſub hypotheſeon nomine quoſdam errores congeſſerant (corruptelas vocant ipſi) quos ab obitu Lutheri per Electoris prouincias à Maiore ſocijsq; eius Melanchthonis ſparſos aſſerebant: vbi libros eorumque paginas notarant, & autorum nomina, è quorum monumentis eos deprompſiſſent: quibus ob huiuſmodi corruptelas fœdum proditæ veritatis & apoſtaſiæ crimen à multis annis aſperſerant.

3. Hu-

Huius scripti cum priores duæ partes legerentur, theses scilicet & antitheses, patienter auscultarunt aduersarij Maioristæ. At cum ventum esset ad hypotheses, in quibus Maiorem eiusque socios atro carbone notatos esse nouerant, priusquam eas ordiretur lector, non Theologi modo, sed & consiliarij Electoris è consessu sese proripuerunt: quod cautum esse dicerent decreto Principum, ne personæ tangerentur nominibus expressis, sed vt in doctrinam ipsam omnis actio dirigeretur: quæ res nouas deinde contentiones peperit. Maioristæ iuxta decretum agi postulabant, & theses primum constitui, subiungique generatim antitheses aduersariorum dogmatum: verum à condemnationibus, quas Flaciani sub vmbra hypotheseon in aduersarios machinabantur, tantisper censuerunt abstinendum, donec ex collatione liquidum euaderet, vtra pars in errore versaretur. At Flacianis longè alia mens erat. Habebant enim in Maiorem eiusque socios, in Melanchthonem, in Synergistas, in Adiaphoristas parata fulmina, quæ vt alias in scriptis & concionibus frequenter in aduersarios iaculati fuerant, ita nunc spectante Principe in eorum præsentium capita vibrare cupiebant. Itaque statim initio cuiusq; articuli prodi volebant eorum nomina, per quos ab obitu Lutheri corruptelas inuectas multis annis clamitarunt; atque in eos continuo priusquam

ANNO 1568.

Maioristæ contradicunt tertiæ parti confessionis.

Secundùm decretum agi postulant.

Flacianorũ detrectãdi libido.

ANNO 1568. quam auditi essent, diris & anathemate fulminandum decreuerant. Cum vero Princeps nullis se rationibus à sententia dimoueri pateretur, tandem assenserunt politici, quos Elector ad colloquium miserat, vt hypotheses nuper omissæ vigesimo sexto Octobris in confessu recitarentur. Ea res licet Theologis istius partis multum displiceret, obtemperandum tamen fuit, ne si hanc ob causam colloquium dissolueretur, id aduersarij Flaciani spargerent ipsorum culpâ contigisse.

Maioristæ acquiescũt placito Principis.

9. Corruptelæ à Maioristis introductæ.

Legit igitur VVigandi iussu Rosinus hypotheses, quæ nouem corruptelas complectebantur, è Maioris ipsius libris potissimũ excerptas, quibus euangelicæ doctrinæ puritatem in articulo iustificationis fœdè contaminatam asserebant. Hæ verò corruptelæ, quia summam continent eorum, ob quæ Maiorem eiusq; gregales defeciisse ab Euangelio, & ad Papistarum castra transfugisse clamitant, nobis hoc loco breuiter veniunt inserendæ. Dicimus, inquiunt, hasce corruptelas post obitum Lutheri, in Ecclesiam Dei sparsas esse publicis scriptis. 1. Imputatione & inchoatione simul nos corã Deo iustificari. 2. Præcipuè nos fide saluari & iustificari. 3. Bona opera ad salutem necessaria esse. 4. Bona opera salutem & iustitiam retinere. 5. Non pugnandum esse de particula, Sola, in hac propositione; Solâ fide iustificamur. 6. Discrimen esse inter iustitiam

In Colloq. lat. pag. 8. & seq.

1.
2.
3.
4.
5.
6.

stitiam & salutem. 7. Iustitiam Christianorum, quâ coram Deo iusti sunt, in hac vita imperfectam esse. 8. Pro bonis operibus dari vitam æternam. 9. Fide & confessione homines apprehendere salutem & iustificationem. ANNO 1568. 7. 8. 9.

Maioristæ queruntur de acerbitate Flacianorum.

Absolutis hypothesibus Maioristæ politici cum Theologis secesserunt,& re delibe-rata per Lindemannum Iureconsultũ questi sunt de Flacianorum acerbitate & iniustitia, quod nimirum nec cognita causa,nec audita parte altera durius locuti sint & asperius, quam par fuerit. Esse negotium hoc arduum magniq́ue momenti, nec intermissuros Electoris Theologos, quin ad ea quæ proposita sint & obiecta respondeant, vti necessitas & rei magnitudo postulare videatur. Deinde Maioristarum theses & antitheses Principi traditæ fuerunt, qui Flacianis eas dedit examinandas: Flacianorum verò theses, antitheses & hypotheses item, Princeps Maioristarum Synedrio vicissim ad censuram reuocandas exhibuit. Et Flaciani quidem pro suo ardore biduo sequente censuram scripserunt, viginti septem notationibus distinctam, quibus confessionem aduersariorum de iustificatione & bonis operibus lancinarunt. Eam censuram Rosinus 29. Nouembris horâ octauâ matutinâ in confessu recitauit. Prima notatio fuit, quod Ecclesiam Maioristæ suo tantum contubernio alligare videantur, exclusis ijs, per quos erroris & dese-

Eorũ theses & antitheses examinantur.

Censura Flacianorum.

Prælegitur.

ANNO 1568.

defectionis ab Augustana confessione fuerant insimulati: quæ notatio tangit sanè negotij radicem, & vniuersæ causæ iugulum petit. Vbi Rosinus legendi finem fecit, Maioristæ suum quoque iudicium de confessione Flacianorum continuò subiunxerunt: In quo principio, quid in thesibus ipsi desiderent, modestè satis & paucis exposuerunt. Deinde quod in antithesibus & hypothesibus obiectũ erat de erroribus sub Electore sparsis, ipsi retorquent in Flacianos, quos se de magnis erroribus in hunc articulũ inuectis solidè coniecturos asserunt. Atque hæ vtriusq; partis censuræ, vti scriptæ erant, latinè & germanicè, aduersariis ad discutiendum exhibitæ fuerunt.

Censura Maioristarum.

Monuit deinde Lindemannus Principẽ, vt quia bina iam vtrinq; sint oblata scripta, colloquij nunc initium fieri iubeat, quẽadmodum initio sit constitutum: nimirum, vt res porro deinceps non scriptitando, sed viua voce peragatur, notarijs interim dicta collocutorũ excipientibus; vti decretũ postulet. Hac ratione futurum ait, vt & incommoda quędã vitentur, quæ alioquin certò metuendũ sit exoritura; tũ vt alij quoq; aliorũ dicta rectius assequantur, & expeditior sit totius actionis cursus. Princeps hac de re cũ suis deliberandũ censuit. Itaq; secesit abductis secũ cõsiliarijs politicis & Theologis istius factionis; qui suis moti rationibus calamo quã lingua pugnare maluerũt. Itaq; suaserunt Principi,

Maioristarum postulatum de collocutione viuæ vocis.

Princeps deliberat.

cipi, ne colloquium alia ratione peragi, quã scriptis mutuis pateretur. Assensit Princeps, habita deliberatione, nec grauatè quidem, ea de re mentem suam per Premium Iureconsultũ declarauit. Adiecit Premius, quia Maioristæ Flacianorum Ecclesijs in Thuringia labem asperserint, quasi doctrinã profiteantur fœdis errorũ sordibus contaminatã, postulare Principẽ, vt designent id genus corruptelas, eosq; prodant nominib. expressis, per quos errores istos inuectos arbitrentur. ANNO 1568. Colloquiũ in scriptis fieri mandat.

Respondet ad hęc Lindemannus Maioristarũ nomine, Non videre Theologos Electoris, quæ cõmodior institui possit agẽdi ratio, quam si viua voce colloquium peragatur; quemadmodum decreto cautum sit, atq; initio constitutũ. Ad hypotheses quod spectet, primũ theses vtrinq; declarãdas esse, faciendumq; periculum instituta collatione, an de controuersis capitibus in eosdẽ cancellos cõuenire possint. Vbi verò se mutuo audiuerint, & mentẽ suam vtriq; sufficienter declararint, tũ porro de formandis antithesibus & hypothesib. cogitandũ. Premius adhęc, Principem, ait, in sententia persistere, nimirum, vt calamo scriptisq; mutuis, non viua voce colloquium peragatur: tũ vt hypotheses initio statim adiungãtur, proditis eorum nominibus, per quos vtriq; nævis & erroribus doctrinã corruptam iudicent. Imprimis alterũ hoc de hypothesibus statim adiungendis, pertinaciter vrgebant Flaciani, scilicet vt aduer- Maioristarũ replica. Flacianorũ pertinacia.

ANNO 1568. Maioristæ deliberant.

aduersarios, quos scriptis publicis apostasiæ, transfugij, proditæque veritatis summâ cum contumeliâ reos fecerant, in hoc congressu nec auditos nec conuictos autoritate censoriâ velut iudices anathemate iugularent.

Cum aliquandiu inter politicos disceptatum esset, tandem Electores Theologi deliberandi spatium impetrarunt in diem vsque sequentem, qui trigesimus Octobris fuit. Quo die partis vtriusque Consiliarij politici conuenerunt; cumque neutri de sententia discederent, acris fuit inter eos exorta disceptatio. Et Princeps ipse quidem, anni sunt, inquit viginti, ex quo mutuis sese conuitijs lacerarunt: æquum igitur est, vt eâ de re sermo habeatur. Adhæc Lindemannus, verum est, inquit: sed id debito ordine & loco faciendum est. Post multam altercationem Eberardus Than, quemadmodum, inquit, nostri theses, antitheses, & hypotheses exhibuerunt, ita & Electoris Theologi faciant. Neque enim deinceps ferendum est, vt eum in modum cum nostris agatur; scilicet vt Flaciani proclamentur: & si quis deinde quærat: quales sint Flaciani? homines eos dicatur sceleratos, perditos & seditiosos. Id verò Principi nequaquam tolerandum. Tum Princeps: Metuunt Theologi vestri, ne vna cum alijs condemnentur. At nobis longè alia mens est. Progrediamur pari passu. Nos ipsorum næuos & corruptelas demonstrauimus: Faciant ipsi viçissim hypothe-

In Colloq. Altenb. ger. fol. 23.

potheſes ſuas; tum deinde facilè ad rem veniemus. ANNO 1568.

Hæc trigeſimo Octobris inter Principem & politicos vtriusq; partis abſentibus Theologis acta ſunt, animis quorundam nonnihil efferueſcentibus. Poſtridie Flaciani ſcriptũ obtulerunt Principi, in quo ſe negant actionem cum aduerſarijs continuaturos, niſi res agatur ſcriptis mutuis, & Maioriſtæ corruptelas Flacianorum deſignent expreſsis autorum nominibus, per quos eas inuectas arbitrentur. Scriptum hoc prolixum ſatis cõtinuo Maioriſtis exhibitum fuit, qui ſub veſperam eiuſdem diei reſponderunt, ſe quidẽ ad formam colloquij quod attiner, permanſuros in ſententia, nec eam agendi rationem probaturos, quam aduerſarij contra decretum vrgeant, niſi per Electorem Principem aliud mandetur. Ad eum igitur ſe perſcripturos aiunt rem omnem, & quid in hoc negotio fieri velit, certius exploraturos.

Flaciani in ſententia permanent

Maioriſtæ ad decretũ prouocant.

Calendis Nouemb. Ioannes Guilielmus Saxoniæ Dux, legatos Electoris politicos denuo accerſit, periculum facturus, an eos ab inſtituto dimouere poſſet? verum id fruſtrà fuit: Decretum erat pridie, aduerſarijs contra decretum nitentibus prorſus non aſſentiri, niſi conſulto primum Electore Principe. Ad hunc igitur duo fuerũt ablegati, Ioannes à Zeſchavv politicus, & Chriſtianus Schutz concionator aulicus, qui de progreſſu colloquij, tum de mora per aduerſarios iniecta

Delegati ad Electorem.

Eum de actis Collo-

 doce-

ANNO 1568. docerent Principem, eiusque sententiam de duabus istis controuersijs exquirerent. Addiderunt vtrique, politici inquam & Theologi, litteras bene prolixas, quibus Electorem Principem non modo de ijs quæ hactenus acta fuerant, sed & de machinationibus aduersariorum contra decretum & leges colloquij certiorem fecerunt.

quij informant.

Electoris responsio.

Elector ad vtrasque respondet, datis vicissim ad Theologos suos, tum ad politicos seperatim litteris. Et Theologos quidē serio cohortatur, vt quanto possint studio cōcordiam promoueant; ad quā inter vtrosq; farciendam licet aduersarij non admodum propendere videantur, quemadmodum ex ipsorum circuitionibus, tum ex calumnijs, sophisticisq; strophis animaduertat; laborandum tamen ipsis, ait, vt in declarandis tribus articulis iuxta decretum progressus fiat; tum vt ipsi suo tempore vicissim in antithesibus aduersariorum errores liberè designent, deque ijs iudicent iuxta Dei verbum, ecclesias etiam & scholas suarum ditionum constanter & fortiter tueantur. Quanquam verò iustè recusarint eam agendi rationem, quam aduersarij vrgeant, qui scriptis alternis non viua voce colloquium peragi velint; si tamen obstinatis animis in sententia persistant, cedendum illis, ait, hac parte quidem, ne dissoluatur colloquium, eius rei culpam ipsi sustinere cogantur, quasi diffidant causæ, & propterea congressum detrectarint. Hæc Elector ad concionatores ter-

Elector pacis cupidus

Eius ad politicos litteræ.

tio Nouembris. Politicis vero respondet paulò breuius; aduersarios, inquit, hoc imprimis habere studio, vt contra, quam decretum sit & constitutum, arbitratu suo omnia dirigant, atque moderentur: quod cum illis minimè concedi oporteat, admonendum Saxoniæ ducem, ne nimium indulgeat concionatoribus suis, sed iniecto freno ad decreti limites eos reuocet, & ad pacis concordiæque studium. Ante omnia verò actionem istuc dirigant, vt si propter aduersariorum pertinaciam omninò scriptitandum sit potius quam colloquendum, ne cæteris in rebus secus agatur, quam decreti tenor postulet, neue ab antithesibus vel condemnationibus fiat actionis initium. ANNO 1568. Flacianorũ conatus.

Scripsit hæc ad politicos Elector quarto Nouemb. Vtræq; verò litteræ ad septimum eiusdẽ mensis Alteburgum delatæ fuerunt: Postridie ad Curiam vtrique conuenerunt; vbi de colloquio continuando inter politicos deliberatum est: in qua consultatione, cum Maioristæ mandatu principis Electoris in vno capite cederent; Flaciani & alterum de antithesibus & hypothesibus initio statim adiungendis pro feruore suo plenis faucibus vrserunt. Quia vero suffragiorum numero, & principis sui præsentis autoritate prævalebant, non modo facti sunt voti compotes; verum & hoc obtinuerunt, vt antiquato decreto priore, quod initio promulgatum diximus, de forma colloquij Eorum libido insultandi Maioristis. Nouum decretum impetrant.

ANNO 1568. nouæ leges ad ipsorum arbitrium scriberentur: quas vti eodē die promulgatæ fuerunt, exactis publicis inserimus.

In Colloq. Altenb. lat. ed. pag. 25. b.

Primum, vt in articulo de iustificatione, & bonis operibus eousque procedatur, donec liquido cognosci queat, an Theologi in eo
1. „ articulo sententijs congruant, vel quam pro-
„ cul à se inuicem, & quibus in partibus discre-
2. pent. 2. Vt coniunctim de antithesibus &
„ hypothesibus posthac tractetur, ac vicissim
„ Electorales Theologi hypotheses suas simul
3. exhibeant. 3. Idē ordo in sequentibus duo-
„ bus articulis, vtpote de libero arbitrio, &
„ de Adiaphoris quoque obseruetur. Ita ta-
„ men, vt liberum sit futurū Theologis Saxo-
„ niæ Ducis mox initio cuiusque articuli the-
„ ses, antitheses & hypotheses coniungere, si-
4. mulq; publicè legere & exhibere. 4. Vt tri-
„ bus aut quatuor scriptis vntrinq; de propo-
„ sitis thesibus agatur, atque eodem planè mo-
„ do de antithesibus & hypothesibus tria vel
„ quatuor permutentur scripta; reseruata ta-
„ men cuilibet parti potestate, si id rei neces-
„ sitas exegerit, consentiente illustrissimo
„ Principe, & Electoris politicis consilia-
„ rijs, vt plura etiam liceat scripta exhibe-
5. re. 5. Neutra pars colloquium abrumpat,
„ nisi de tribus illis articulis propositis iuxta
„ processum & formam, de qua modo est di-
„ ctum, pariter fuerit facta collatio, siue con-
„ ciliatio in vno vel pluribus articulis facta
6. sit, siue non. 6. In scriptis mutuis iniuriæ,

am-

ambages & præiudicia caueantur, nec quic- ANNO
quam noui vel peregrini, vel non neceſſarij 1568.
in medium proferatur, quod ad prædictos "
tres articulos non pertinet. 7. Scripta om- 7.
nia latinè & germanicè ſimul exhibeantur; "
germanica tamen ſolummodo publicè reci- "
tentur. Hactenus decretum poſterius, quod Inuectiuæ
Flacianorum importunitas extorſit, Maio- vtriuſque
riſtis perpetuò cedentibus, ne ipſorum culpa partis.
colloquium diſſolueretur.

Triduo poſt, vndecimo Nouembris ſcilicet, actio tandem reſumpta eſt, quam diſputationes iſtæ de forma colloquij per dies aliquot ſuſpenderant; fuitque porrò per menſes ferè quatuor ſcribendis offerendisque viciſsim inuectiuis acriter inter vtroſque dimicatum, animis iracundia odioque vehementer flagrantibus: quo factum eſt, vt certamen ſingulis propemodum actionibus increudeſceret. Interim verbis quidem vtrique concordiæ ſtudium & ſummam benignitatem animiq; moderationem præ ſe ferebant; quanquam cohibere ſe non potuerunt, quin amarulentiæ odijque peſtilentiſsimum virus, quod intimis medullis reconditum gerebant, ſubinde per calamum & geſtus exteriores erumperet: eumque in modum res acta fuit, vt cum neutri cederent, incertum ſit, vtri aduerſarios animi virulentia dicacitate, calumniandique ſtudio ſuperarint. Cæterum duo ſcripta eodē die recitata fuerunt & exhibita; primum à Maioriſtis, à Flacianis alterum. Vtraque ſe purgat à corruptela Lutheraniſmi.

ANNO 1568.

Respondebant vtriq; ad censuram aduersariorũ, & aspersam corruptæ doctrinæ maculam detergere conabantur. Flaciani pridẽ viginti septem notas, vel animaduersiones scripserant in confessionem à Maioristis exhibitam; atque hi vicissim errores aliquot in confessione per Flacianos edita notarant. Vtrique igitur doctrinam suam de iustificatione & bonis operibus, quam certatim vtrique gloriabantur puram sese nullisque contaminatam erroribus profiteri, à sordibus aspersis, vti diximus, hoc scripto velut spongia purgare voluerunt.

VI. Principis ad Collocutores admonitio.

Atque hæc tertia coitio fuit, in qua se mutuò puncturis quibusdam, imo venenatis morsibus impetere cœperunt. Quod cũ Ioannes Gulielmus Saxoniæ Dux intelligeret, eodẽ die à prandio politicos Electoris consiliarios admonuit, deprehendere se ex scriptis apologeticis, quæ sint horis antemeridianis in confessu recitatæ, futurum, si ad eum modum vtrique progrediantur, vt disputationes istæ in magnas contentiones excant, per quas actio hæc aliorsum ab instituto facilè dirigatur. Ad hoc euitandum incommodum mandasse se Theologis suis, ait, vt abstineant deinceps ab aculeatis sermonibus, & de reipsa tantum respondeant: qua de re futurum operæ pretium, vt aduersarij quoque per politicos admoneantur. Maioristæ voluntate Principis intellecta deliberandum censuerunt. Habita consultatione re-

Iubet à cõuitijs abstinere.

ne reſpondent; deprehendi nunc reipſa, iuſtas fuiſſe rationes, quibus ipſi ſub initium permoti viua voce potius, quam ſcriptis mutuis colloquium hoc peragendum iudicarint. Quanquam verò cauſas habeant grauiſsimas cur aduerſariorum inanes logomachias & cauillationes in lucem conſpectumque omnium referant, eamque ad rem ſatis iam ſint inſtructi; velle tamen hoc labore ſuperſedere nunc quidem; atque id certas ob cauſas: imprimis quia Principi hoc ipſum petenti gratificari cupiant. ANNO 1568. Maioriſtarum deliberatio & reſponſio.

Poſt quatriduum, decimoquinto Nouembris ſcilicet, cum vtrique in Curia de more conueniſſent, Princeps aduerſarijs per conſiliarios ſuos ſignificat, cupere ſe, vt in hoc congreſſu Flaciani primum dicendi locũ habeant: quod cum non difficulter concederetur, Roſinus ipſorum nomine ſcriptum legit, in quo dũ diſputant de ſumma rei, nihil ferè nouũ adferunt, niſi quod aculeum acerbius exerunt per interualla, & probri loco Maioriſtis ſub finem obijciunt, quod ſcriptũ latinum in poſtremo congreſſu exhibitum non phraſi tantum & verbis, ſed & ſenſu frequenter à germanico diſcrepet. Vbi Roſinus finem legendi fecit, Eberus ex altera parte, prolixam diſſertationem exorſus de iuſtificatione & bonis operibus, ea cumprimis luculenter tractabat, quæ per aduerſarios in explicanda doctrina iuſtificationis omiſſa, vel non perſpicuè ſatis euoluta Flaciani primum in actione dicendi locũ petunt.

Scriptum eorum virulentum.

Cõtrarium Maioriſtarum ſcriptum.

ANNO 1568.

iam ante monuerat. Atque in his scriptis vtrique de mordacitate, deque virulentia partis aduersæ quiritantur; suam verò moderationem in dissimulandis iniurijs, & patientiam vtrique prædicant.

Principis mandatū.

His scriptis vtrinq; de more recitatis traditisque, Princeps in consessu monuit decretum esse de consensu partis vtriusque, vt de quolibet articulo tria vel quatuor scripta summū exhibeantur: hortari se igitur Maioristas, si quid amplius habeant de primo controuersiarum capite, quod in medium adferre decreuerint, vt hoc ipsum proponant in conuentu futuro, & actionem concludant: idem facturos Flacianos.

Vtriusque partis logomachia.

Proximus deinde congressus 22. Nouem. habitus fuit; in quo Maioristæ primum, post & Flaciani eadem de re ad nauseam disseruerunt. Et hi quidem, qui postremo loco dicebant, longè prolixius, quam vnquam ante sermocinati sunt: nec aliud tamen, quam recoctam cramben, quod aiunt, virulentiæ cōdimento respersam attulerunt.

Antitheses & hypotheses discutiuntur.

Atque hactenus quidem de thesibus vel assertionibus vtriusque partis, in capite de iustificatione & bonis operibus actum fuit. Princeps verò collocutores monuit, priusquam consessus solueretur: quandoquidem collatio de thesibus primæ controuersiæ quaternis scriptis vicissim exhibitis iuxta decretum sit absoluta, nunc porro ad antitheses & hypotheses esse progrediendum. Respondit Lindemannus

nus re cum Ebero & Salmutio deliberata; Etsi postremum aduersariæ partis scriptum omninò respõsum quoddam Apologeticum postulet; tamen Electoris Theologos, quia princeps ita velit, ad antitheses & hypotheses gressum facturos, hac conditione tantum addita, vt apologiam simul ad diluendas illius scripti calumnias adiungere atque offerre liceat, tum vt ipsis quoque ad formandas, quas exhibere decretum habeant, antitheses iustum temporis spatium concedatur. Princeps deliberatione cum suis habita, placere Theologis suis, inquit, vt Maioristæ ordiantur ab antithesibus, vnaque ad antitheses & hypotheses aduersariorum respondeant. Lindemannus omnino, inquit; Interim generalem responsionem adiungere cupiunt ad scriptum prius. Princeps ad hæc: Quãtum intelligo, ad antitheses respondebunt: Si quid deinde velint subiungere, id illis liberum esto. Lindemannus, quo pacto respondeant ad scriptum vltimum, an apologiam ipsis antithesibus inserant, an aliam ingrediantur viam, id ipsorum iudicio relinquendum & libertati. Ad hæc VVigandus, Flacianorum nomine; Initium actionis faciendum, ait, per aduersarios oblato scripto; Se deinde responsuros; Atque ita deinceps ab vtrisque scripta per vices exhibenda. Placuit hoc Maioristis; atq; ita conuentus ille dissolutus est.

ANNO 1568. Maiorũ super ijsdem postulatũ.

Principis responsio.

Solluitur conuent⁹.

ANNO 1568.

CAPVT IV.

I. *In absentia Principis duo scripta publicè lecta.*

II. *Maioristarum postulata & nouum scriptum.*

III. *Flacianorum responsum cum censura de libris Melanchthonis.*

IV. *Maioristæ apologiam obtrudunt, ius concludendi exigunt, quo negato missionem petunt.*

V. *Ex actione discedunt ad Electorem Sax. cuius Theologi, coacta Synodo, sententiam de colloquio ferunt.*

VI. *Maior cum suis perpetuis Flacianorum calumnijs obnoxius, scriptum de iustificatione edit. (Testamentum vocat.) & non multo post moritur.*

I. Princeps ad Electorem Augustum vadit.

CEssatum deinde fuit ab actione ad dies quatuordecim: quo tempore Ioannes Guilielmus Saxoniæ Dux profectionem suscepit ad Electorem Augustum; cumque de successu colloquij sermo inter Principes haberetur, monuit Elector, ne scripta tam prolixa deinceps ad consessum deferri recitariqúe permitteret, sed vt rem ipsam in pauca conferri iuberet, resecta verborum luxurie; ita futurum, vt expeditius omnia perage-

In Colloq. germ. f. 98.

rentur.

Maioristarũ scriptũ prolixum.

Intereà Maioristæ scriptum quoddam prolixum contexuerunt, vel integrum potius

potius volumen, quod septimo Decembris in consessu publicè lectum fuit. Primam illius partem Paulus Eberus, secundam Andreas Freyhub, tertiam Petrus Prætorius recitarunt, per quos volumen hoc horis totis quinque vix potuit absolui. Prima pars apologiam continebat ad scriptum vltimum mordacem satis: Altera responsionem ad antitheses & hypotheses Flacianorum, in qua nouem obiectas corruptelas operosè magnoq; verborum apparatu diluebant. In tertiam partem quatuordecim errores congesserant, tetros illos admodum & periculosos, vti loquuntur, quibus per Flacium Illyricum eiusque gregales doctrinam de iustificatione corruptam asserebant.

ANNO 1568.

Corruptelas obiectas diluunt.

Sub finem plura se Flacianorum, aiunt, habere collecta atque consignata sophismata, in publico Christiani orbis theatro suo tempore detegenda, si tumultuari pergant. Cæterùm Flacium eiusque complices in omnibus fermè capitibus doctrinæ cœlestis deprauare quædam, aiunt, & dogmata comminisci Augustanæ Confessioni contraria, quam se tamen solos iactare soleant constanter & fideliter profiteri. Princeps absoluta lectione tempus Theologis suis ad meditandum responsum dari postulauit.

Flacianos deprauatores vociferantur.

Elapsis denuò diebus quatuordecim vigesimo secundo Decembris habitus in curia

fuit

ANNO 1568.

Maioristæ iubentur quiete agere.

fuit conuentus in quo priusquam confessus fieret, Maioristis per politicos Flacianos mandatu principis renunciatum fuit, Theologos alterius partis ad respondendum paratos esse: Petere verò Principem, vt inter recitandum habeant se moderatè, & à risu, quassatione capitum, alijsq; gestibus parum decoris abstineant. Erat ingens volumen,

Flacianorũ scriptum portentosum.

quòd Flaciani consarcinarant, longè prolixius illo, quod horis quinque paulò supra diximus, vix absolui potuisse: Certè in latino exemplari, quod per Flacianos editum circumfertur, ad viginti sex quaterniones occupat: In exordio gaudere se dicunt ex animo, quod aduersarij tandem post varias tergiuersationes ad ipsum controuersiæ caput accesserint, vel ad scopum per Principes huic colloquio præfixum, quem in hac quæ-

In Colloq. lat. f. 142. b. stione constituunt: Vtrum corruptelæ illæ,

„ quæ omnium maximè post obitum Lutheri,
„ & quidem potissimum occasione Interim in
„ ecclesiam Dei publicis etiam scriptis, mul-
„ tisque verborum phaleris irrepserunt, ipsi
„ verbo Dei, Confessioni & apologiæ Augu-
„ stanæ, Smalcaldicis articulis, librisque Lu-
„ theri consentaneæ sint, vel non? Deinde dis-

simulatis conuitijs, quæ veluti nymbum in se per aduersarios effusa conqueruntur, in

Ibid. f. 143. a. b. duas partes diuidunt vniuersum volumen. Primum, inquiunt, responsionem ad nostras

„ antitheses atq; hypotheses expendemus. Se-
„ cundò ad hypotheses nobis obiectas respó-

debi-

debimus. Subiungunt porrò: Rogamus autem, vt placidè & tranquillè, ſicuti nos hactenus fecimus, viciſsim audiamur. Nam vidimus proximè, dum noſtrum ſcriptum legeretur, nonnullos contra huius Colloquij leges crebris riſibus, quaſſationibus capitum, mutuis ſuſurrationibus & murmurationibus adeò immodeſtè & indecenter ſeſe gerere; vt miraremur; quod nec præſentis Illuſtriſſimi Principis, qui ſumma grauitate vtriuſq; partis recitationem audit, nec omnipotentis Dei, ad quem cauſæ præſentes ampliſsimæ pertinent, quiq́ue, vt ethnicus quoque Comicus dixit, quæ nos gerimus videt auditq́ue, vt de nobis nihil dicamus, vlla haberetur ratio. Hactenus Flaciani. ANNO 1568.

Cæterùm in hoc conſeſſu tertia pars voluminis, & paulò amplius, à tribus iſtius ſodalitij collocutoribus, Ioãne Friderico Cœleſtino, Chriſtophoro Irenæo, & Bartholomæo Roſino diuiſis operis lecta fuit. Obiecerant Flaciani Maioriſtis corruptelas omnino ſeptendecim, vti diximus; quarum tertia negotij cardinem, adeoq́ue Maioriſmi ſummam hoc aphoriſmo complectitur: Bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem. Ad hũc igitur diſcutiendum vbi ventum eſt, fortius in hoc ſcripto figunt pedem; hic magna contentione pugnant, hic vrgent, hic premunt aduerſarios, & quicquid habent virium, exerunt. Maiorem verò, ceu dogmatis illius autorem non minus falsè quã duriter paſsim exagi- Aphoriſm. de bonis operibus.

In Colloq. lat. f. 159. b.

ANNO 1568. exagitant. Inter cætera hunc, aiunt, ante annos aliquot in concione publica voces istas
» ebuccinasse: Se istac sua propositione non
» Maiorem, sed Maximum etiam futurum.
Sic Paulum fuisse Maioristam: Sic Lutherum
Ib. f. 230. a. fuisse Maioristam &c. Ad quam illius gloriationem occinunt illud Nicolai Galli, quod ex libro quodam ipsius depromptum recitant;
» Caueat profectò Maior, inquit Gallus, dum magister esse vult super
» verbum Dei, ne fiat ex Maximo Paruus,
» Minor, Minimus, iuxta Christi iudicium
» Matth. 5. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, Minimus vocabitur in regno cœlorum. Alio
Ibi f. 171. b. loco sarcasmum inserunt, dum hunc in modum nugantur: Tres sunt sponsæ D. Maioris, filiæ Antichristi, manus sibi inuicem
» iungentes, & choream quasi ductantes; prima est; Bona opera sunt necessaria ad salutem: secunda; Impossibile est absque bonis operibus iustificari & saluari: Tertia;
» Nemo vnquam sine bonis operibus saluatus est.

Has assertiones, ex ipsis haustas sacræ scripturæ visceribus, si sanè intelligas, censores isti falsas, erroneas, & impias esse, viginti septem rationibus demonstrare nituntur. Ea verò de re dum differunt, longos texunt logos, quibus recitandis quicquid temporis ad prandium vsque fuit occuparunt.

Prin-

ANNO 1568. II.

Princeps igitur, vbi scriptum integrum vidit absolui non posse, secundam pomeridianam ad recitandum cætera designauit. Cùm autem omnes ad constitutum tempus à prandio conuenissent, renunciat per consiliarios politicos, esse sibi proficiscendum aliquo pomeridianis horis; quam ob causam huic actioni interesse nequeat. Rogare igitur Theologos alterius partis, vt scriptum hoc recipiant, ac si fuerit integrè recitatum; tum vt porrò deinceps breuitati studeant, nec tam prolixa scribant volumina: Qua de re non ita pridem se per Electorem in Colloquio monitum insinuat. Maioristæ vtrunque hoc non grauatim se facturos pollicentur. Rogant verò Principem vicissim, si diu forsan emaneat, atque ipsi maturius interim comparare se possint ad respondendum, vt recitare liceat in consessu politicorum responsionem suam, ne per ipsius absentiam actionis cursus impediatur.

Principis mãdatum de forma colloquij seruanda in sui absentia.

Maioristarum postulatum.

Ille, si biduo triduoue ante, quam conuentum haberi cupiant, se paratos esse per consiliarios insinuent, daturum operam sese, vt tempestiuè adsit. Intereà verò, dum Princeps abest, Maioristæ nouum opus moliuntur, priore illo prolixius: Quanquam enim promiserant, futuros se deinceps breuiores, & Principes hoc ipsum velle nouerant; non potuit se tamen continere liuor & virulentum illud odium, quod in aduer-

Maioristarum nouũ scriptum.

ANNO 1568. aduersarios conceperant, quin denuò in verborum flumẽ vberrimum exundaret. Cumque iam absoluissent scriptum Princeps, qui adhuc aberat, per suos ea de re monitus anno Ann. 1569. sequente 1569. decimosexto Ianuarij renunciat, impediri se per aduersam valetudinem, & negotia quædam, quo minus nunc Alteburgum redire possit. Rogare igitur Electoris Theologos, vt responsionem suam recitent in consessu, eamque vti moris sit, exhibeant. Maioristæ, qui iam ante hoc ipsum petiuerant, quemadmodum paulò supra diximus, nunc vertunt vela, seque principis reditum expectaturos asserunt: subesse causas, cur ipsum in actione præsentem cupiãt. Morabatur id temporis Princeps Vinariæ, quæ Thuringiæ ciuitas est, vnde denuò per litteras certiores facit politicos suos, Thanneum nobilem, & Premium Iureconsultum, præterquam quod per aduersam valetudinem detineatur, eam quoque passim aquarum inundationem esse, vt nunc quidem itineri se dare nequeat. Monerent igitur collocutores, vt in actione progrederentur. At Maioristæ obstinatis animis in sententia perstiterunt: Quod cum Princeps intelligeret, datis tertio litteris significat, inualetudinem adeò non remittere, vt augeri potius videatur: Actionem igitur diutius non suspendendam.

Eorũ tergiuersatio propter absentiam principis.

Princeps caussatur molestias itineris &c.

Re deliberata placuit tandem, vt ad vigesimum primum Ianuarij horis pomeridianis

Maio-

Maioristæ responsionem suam in cõfessu legerent. Vbi conuentum est, Flaciani priusquam recitationis initium fieret, scriptum hoc etiam citra lectionẽ recipere voluerunt, scilicet vt aduersarios molestia legendi, seipsos audiendi tædio liberarent. Maioristæ vero, nisi lectum prius esset volumen exhibere penitus recusarunt. Erat scriptum valde prolixum, vti diximus, & vehemens, dentatum, mordax, atroq; maleuolentiæ felle cõditum. Irritati siquidem insigni Flacianorum petulantia, per quos in vltimo scripto tot probris & contumelijs affecti fuerãt, impotentiæ suæ vicissim laxarant frenos, & quicquid reliquum erat amarulentiæ, id nũc liberiore calamo totum effuderant: præsertim cum propter indomitam aduersariorum pertinaciam nulla concordiæ spes superesse videretur. In exordio sese præter meritum & culpam lacerari conuitijs atque maledictis quiritantur; aduersarios post inuocationem diuini numinis continuò velut obliuionis lethæo poculo sopitos (verba ipsorum sunt, quæ inferimus ad βλακικὰς ironias, sugillationes acerbas, petulantes insectationes, præstigias sophismatum, sycophanticas rixas, venenatos sarcasmos & conuitia delabi, & in his adeo sese volutando delectare, vt nulla pagina sit, in qua non aliquoties illæ delitiæ magis Pseudolum in comœdiâ, quam Theologos in tam illustri consessu docentes, portentosa quadam variatione repetantur. Has

ANNO 1569.

Flaciani citra lectionẽ scriptũ Maioristarum tradi sibi postulant.

Maioristæ non nisi lectum exhibere renuunt.

De iniuria quiritantur.

In Colloq. lat. fol. 247.

ANNO 1569. Tres partes scripti.

verò iniurias sese dicunt ferre patienter, atq; interim votis intimis precari Deum, vt conuitiatores aduersarios ad saniorem mentem reuocet. Deinde omisso hoc tanquã Cadmeo certamine criminationum, vti loquuntur, accedunt ad rem ipsam, & vniuersum volumẽ in tres sectiones partiuntur. Primò loco, in-

Ib. fol. 247. a. b.

1. quiunt, quasi per quandam ἀναχεφαλαίωσιν
" repetemus statum & firmamenta quæstionis
" de doctrina iustitiæ fidei & bonorum ope-
" rum, vt & appareat, quæ nostra sit de illa sen-
" tentia, & non fuisse causam, cur collocuto-
" res adeò pertinaciter nobis aduersarentur.
2. Deinde ad ea respondebimus, quæ ipsi nobis,
" tanquam falsa & erronea hypotheseon &
" corruptelarum nomine toties, ac tam verbo-
" sè obijciunt. Postremò subijciemus breuẽ in-
3. dicationem vanitatis responsionum, quibus
" ea, quæ à nobis notata sunt in ipsorum libris,
" refutare & eludere collocutores studuerunt.
" Hæc illi. Primam partem Eberus & Prætorius; secundam idem Eberus, Cruciger iunior, & Prætorius; tertiam Prætorius & Cruciger recitarunt. Id factum in tribus consessibus, qui 21. Ianuarij post meridiem, & postridiè matutinis horis primum, deinde & pomeridianis horis habiti fuerunt. Posteriores verò duæ partes latinè recitatæ sunt præter morem, vt vel hac varietate prolixæ lectionis, & audiendi tædium nonnihil minueretur. Ita scriptum integrum totas nouem horas & amplius occupauit; quod ijs legentium

tium gestibus & habitu, ea vocis contentione pronunciatum fuit, vt omnia virus, odium, vindictæq; cupiditatem spirare diceres. ANNO 1569.

III. Flacianorũ responsio.

Ad hanc rhapsodiam Flaciani postmodum responderunt, eadem propemodum vsi non prolixitate modo, sed & virulentia, & calami linguæque mordacitate: Vt scripta hæc mutua nihil aliud, quam flabella Sathanæ fuisse videãtur, ad augendum incendium comparata. Recitarunt verò Flaciani respõsionem suam ad octauum februarij in duobus consessibus, qui eodem die habiti fuerunt; quibus & princeps ipse pro benigno in Flacianos affectu interfuit. Et potissima quidem pars ante prandium in consessu matutino, altera breuior sub epilogi titulo pomeridianis horis prælecta fuit. In proœmio de mordacitate aduersariorum & inaudita conuitiandi libidine grauiter atq; patheticè conqueruntur.

Querũtur de cõuitiis sibi illatis. *In Colloq. lat. f. 344. a In germ. fol. 236.*

Legimus, inquiunt, inuectiuas in Salustium, in Verrem, & papistarum in Lutherum: Legimus etiam satyras poëtarum: sed coram Deo, angelis ipsius & tota Christi Ecclesia liberrima conscientia profitemur, nos in vniuersa vita in vno libro plura maledicta & execrationes vix vidisse, legisse, audiuisse. Quod quam bene deceat Theologos, & eos quidem, qui tam specioso religionis prætextu & verborum apparatu suam ipsius in respondendo, & ferendis iniurijs prædicant & commẽdant modestiam & patientiã,

ANNO 1569. Deo & ecclesiæ iudicandum relinquimus. Et paulò inferius: Omnes boni facilè iudicabunt, eam amarulentiam in singulis penè verbis & syllabis expressam & exasperatam, contra leges colloquij esse. Nos quidem expectabamus realé collationem à dict. Collocutoribus de causa principali; sed eius actionis loco fastuosas declamationes, varias iniurias & contumelias in nos licéter effusas audire coacti sumus, quibus & mirifici gestus & horrendi clamores additi fuerunt. His aliisque id genus præmissis in duas partes volumen diuidunt: De erroribus, quorum reos fecerant Maioristas primo loco; secundò de notationibus aduersariorum verba se facturos dicunt. Quanquam calore differendi & cauillandi studio nonnunquam incitati longius extra cancellos istos euagantur.

Duę partes scripti Flacianorum.

Constituerant vtrique sub actionis initium principia quædã aut κριτήρια vel normas, vtipsi vocant, ex quibus in colloquio de controuersis dogmatibus in hanc illamue partem pronunciandum esset. De his verò non idem vtrique sentiebant: Quæ dissensio subinde quidem obscurè sese prodidit in scriptis prioribus: at in hoc Flacianorum syngrammate in apertum certamen erupit. Itaque deinceps non modo de controuersijs ipsis, verum & de normis iudicij, vel de principijs, quibus vtendum esset in dijudicandis controuersijs, acerbè fuit & pertinaciter dimicatum. Vtrique enim in aduersario-

Vtriusque partis Collocutorum principia.

sariorum criterijs inuenerunt, quod liuido dente arroderent; quemadmodum fieri consueuit, vbi mala mens est & malignus oculus. Quę vero fuerint ab vtrisq; constituta principia, ipsorũmet, quæ subiungimus, verba testãtur. Et Flaciani quidẽ, Quod initio protestati sumus, inquiunt, id nunc seriò & clarâ voce repetimus, Nos toto pectore amplecti verbum Dei, in Prophetarum & apostolorũ monumentis comprehensum: tria symbola, Apostolicum, Nicenũ, Athanasianum; Confessionem Augustæ anno Domini 1530. Imperatori Carolo V. exhibitam, & apologiam eiusdem tunc conscriptam: Smalcaldicos articulos & scripta Lutheri: ac damnare omnes sententias cum hac norma pugnantes. Hactenus isti. Maioristæ verò, Nos quoque, aiunt, initio huius colloquij testati sumus, quod & nunc repetimus, & testamur diserte, piè nos & cõstanter amplecti scripta prophetica & apostolica, & ex his extructa symbola tria, Apostolicum, Nicenum, & Athanasianũ: scripta Lutheri, Augustanã Confessionem, & alios in corpore doctrinæ cõprehẽsos Philippi libros; in quibus summã doctrinæ orthodoxę, & Catholicę Ecclesię Dei, desumptã ex fontibus sacrorũ librorũ, & ex omnibus Lutheri scriptis perspicuo, & ad docendũ ac discendũ vtilissimo ordine contineri nõ dubitamus. Hęc illi; qui alioquin solo Dei verbo, & quidem in scripturis expresso dijudicari omnes controuersias oportere clamitant.

ANNO 1569. Flacianorum. *In Colloq. lat. f. 5. b. & in præfat.*

Ibid. f. 24. b

Maioristarum.

ANNO 1569.

Duo Flacianis in scripto maior. inuisa.

Cæterùm Flaciani duo quædam in aduersariorum critirijs aut normis sugillarũt. Displicuit primum, quod Maioristæ in nouum hunc canonem corpus doctrinæ Philippicum, vel scripta quædam Melanchthonis infarcirent, hominis inconstantis, cui parem cum Luthero autoritatem tribuendã pernegant. Causas adferunt, quod frequenter lapsus sit; quod eo tempore mutauerit imprimis, cum Carlostadius à Luthero deficeret, & res nouas machinaretur; quod ann. 1530. cum Augustæ Protestantium confessionem scriberet, admodum vacillarit; quod ad primatum respectarit Romani Pontificis; quod Lutherus eum extra metas currere volentem sæpè retraxerit; quod consulsurrauerit cum Sacramentarijs, eosque scriptis publicis confirmarit; quod papistis nimium cesserit in consultationibus, quæ de libro Interim susceptæ fuerunt; quod posterioribus annis, imprimis senescente Luthero, scripta sua frequenter mutarit; quam inconstantiam velut certum falsitatis argumẽtum Lutheranis nimis verè per papistas obijci fatentur; Ad libros eius quod attinet in fasciculũ collectos sub titulo Corporis doctrinæ, eos se protestantur inter κριτήρια vel normas doctrinæ iudicandæ idoneas recipere non posse; idque duas potissimũ ob causas: Prior est, quod in ijs non veram illam & germanam cõfessionem inuenire sit, quæ ann. 1530. Cæsari oblata fuerit in Comitijs Augustanis, sed aliam quan-

Corpus Melanchthonicæ doctrinæ.

Melancht. obnoxius omni mutationi.

Causa eius reiectionis.

Adulterina Confessio.

quandã adulterinã varijs adſumentis & mutationibus eum in modum interpolatam, vt opinionẽ Synergiſtarũ,& Antinomorũ furores,ipsũq; adeò Caluiniſmũ lubrico verborũ inuolucro tegat: Quæ cõfeſsio cũ nec ſcripta ſit Auguſtæ,nec exhibita Cæſari, nec à proteſtantiũ Ordinibus approbata, ſed nata primum annis poſterioribus, Philippica potius quam Auguſtana ſit appellanda. Alterã cauſam dicũt, quod in cæteris quoq; libris iſtius corporis quædam à verbo Dei,& Auguſtana confeſsione diſcrepantia contineantur; atq; id quidem de dogmatibus magni momenti, puta de libero arbitrio,de lege & euangelio, de iuſtificatione, de cœna Domini,de antichriſto,alijſq; de rebus; de quib° ſuo tẽpore, dicunt,accuratius & prolixius eſſe diſſerẽdũ.

ANNO 1569.

Dogmata à Melãcht. introducta.

Hæc de principijs Maioriſtarũ, quæ nouo certamini,vti dixim°, occaſionẽ præbuerũt. Alioquin de controuerſijs nihil fere præter veterem cantilenam adferunt,nouis ſubinde cõuitiorum emblematis & modulationibus variegatam. Et quia primæ controuerſiæ de iuſtificatione finem nunc imponendum exiſtimabãt,epilogum ſubiungunt, & breuiter repetunt ea,quæ huc vſq; tam diffusè magnis voluminibus erant diſputata. Aduerſarios, inquiunt, obiectas ſeptendecim corruptelas,tribus exceptis,vel pingere coloribus inductis, vel excuſationum operimento tegere, vel aperto marte tueri conatos, nec ab erroribus diſcedere voluiſſe. Quos verò ipſi

Epilogus ſcripti Flacianorum.

ANNO 1569.

nęuos vel errores obiecerint, eos vel à Theologis aliarum regionum ſparſos eſſe, vel pro næuis non habendos. In fine; faceſſant igitur, inquiunt, excuſatores, palliatores, fucatores præſtigiarum, ac pronuncietur quid ſit verum; & contra, quid ſit falſum.

Colloq. lat. fol. 419. b.

IV. Cùm recitatum eſſet, exhibitumq; de more volumen, Maioriſtę re deliberata reſponſionem apologeticam aſperrimæ huic inuectiuæ prorſus opponendam cenſuerunt, priuſquam ad alia progreſſus fieret: Quod cum aduerſarijs innotuiſſet, conati ſunt, ne Maioriſtæ poſtremo loco dicerent impedire. Si tamen illis denuò poteſtas dicendi fieret, ſe quoque poſtmodum reſpondendi facultatem ad ea, quæ propoſituri eſſent aduerſarij, iure ſuo poſtulaturos aſſerunt. Venit res hæc in controuerſiam: Vnde factum eſt, vt conſultationes aliquot inter politicos vtriuſque partis haberentur, in quibus diſputatum eſt, vtris ad concludendum iuſtificationis articulum vltimam vocem, ſeu poſtremum perorandi locum cõcedi oporteat? nec multum abfuit, quin diſputatio hæc in certamẽ acerrimum exiret. Agebatur ſane res ſerio, vtriſque ius illud, ceu prærogatiuam magno ſtudio ſibi vindicãtibus: Quemadmodum mulierculas & pueros, cùm inter altercandum vehementius efferbuerunt, vltimi verbi ius importunis clamoribus captare videmus. Maioriſtæ ſui iuris eſſe dicebant, vt concluderent actionem hanc; cum aduerſarij actoris

Maioriſtæ meditãtur ſcriptum contrariũ.

Vtriq; ius concludẽdi actionẽ petunt.

Rationes Maioriſtarum & Flacianorum.

vel

vel accusatoris, ipsi verò rei personam in hoc colloquio sustinerent. Contra Flaciani prorsus esse suarum partium contendebant, vt si quod denuò scriptum offerrent Maioristæ, ad hoc ipsi vicissim responderent; nimirum vt æquaretur vtrinque scriptorum numerus, nec ipsi minus frequenter, quam aduersarij differuisse de primâ controuersia viderentur. Interim Maioristæ, vt in rebus omnibus ab initio colloquij æquiores semper fuerant, nunc quoque potestatem faciunt aduersarijs, vt si quid amplius ad notationes vel errores pridem obiectos respondere velint, id faciant, priusquam ipsi responsionem suam vltimam in confessu recitent. Verum non placuit ista conditio Flacianis, qui nihil aliud, quam postremo loco dicendi occasionem captabant. Igitur, cum neutri cederent, & Flaciani cumprimis causam hanc dicerent nō suam esse, sed ipsius Dei & Ecclesiæ, ideoque minime sibi committendum, vt ad cuiusquam præscriptum astringi se paterentur, res velut in medio relicta vel suspensa fuit. ANNO 1569.

Octiduo post, ad decimumquintum Februarij scilicet, Flaciani collocutores omnes, excepto Alexio Bresnicero, qui Altenburgensis pastor erat, vnà cũ politicis istius partis consiliarijs Ienam profecti fuerunt. Eodem postridie secutus est ipse Princeps, atque in ea ciuitate Ioannem VVigandum, & Ioannem Cœlestinum constituit professores; quos & solenniter introduxit ad au-

Princeps Ienæ professores cõstituit & statuta formant.

ANNO 1569.

ditorium, & statuta vniuersitatis publicè promulgauit. His peractis Princeps quidem vigesimo Februarij, politici verò cum Theologis Flacianis ad tertium Martij diem Altenburgum reuerterunt. Interea Maioristæ responsionem suam absoluerant; cumque Princeps in luctu esset propter obitum filiæ, ideoque à publico abstineret, renunciari iussit collocutoribus, vt in actione progrederentur. Igitur Electoris Theologi scriptum apologeticum, quod meditati fuerant, quinto Martij latinè, vitandæ prolixitatis gratia recitarunt. Atque hæc vltima Collatio fuit: non enim Maioristæ, quanquã instanter per Flacianos vrgerentur, deinceps ad confessũ redire voluerunt. Erat scriptum hoc vltimũ verbosum prolixumque, nec minus acerbũ in aduersarios, quam superiora. Differunt in eo præcipuè de corruptelis, quas aduersarij frequentur ad rauim obiecerant: quanquam præter venenatos aculeos nihil ferè nouum adferunt. Antequam verò rem ipsam aggrediantur, Exordium texunt satis prolixum, in quo comparant inter se Lutherum & Melanchthonem, primos Ecclesiæ Lutheranæ proceres, imò fundatores, quos per omnem vitam cõiunctissimos fuisse dicunt. Ideoque dolenter admodum ferunt, & indignè quod Flaciani Melanchthonẽ à Luthero diuellere conentur, eumque crudeliter acerbeque flagellatum in suspicionem flagitiosæ leuitatis & defectionis, aliorumque crimi-

Maioristæ scriptum apologeticum obtrudunt.

Summaria scripti.

Melanchthonem ab iniurijs vindicant.

criminum adducant; tum quod libros illius audacter reijciant, conculcentque. Quod si progrediantur in hunc modum, nec vlla ratione placari possint, aut permoueri, vt benigniorem effectum induant, sibi quidem longè tolerabilius futurum aiunt atq; optabilius, vt maneat hoc dissidium, & Flaciani hostiliter agere pergant, quam vt sese patiantur ad ipsorum arbitrium in Melanchthonem, virum innoxium, concitari. Deinde ad recoctam toties corruptelarum cramben operosè denuo respondent, eadem omninò, quę prius in hoc genere dixerant, ad nauseam vsque repetentes: quod illis postea probri loco per aduersarios obiectum fuit. Demum epilogum subiungunt, qui iustæ orationis instar est; in quo concludunt collationem hanc de iustificatione, & quid actum sit hactenus, quid obiectum vtrinque, quid responsum, per ἀνακεφαλαίωσιν repetunt; scilicet vt ipsi non aduersarij huic actioni finem imposuisse viderentur. ANNO 1569.

Postridie quam lectum fuit exhibitumq; scriptũ, Flaciani per politicos suæ partis instanter admodum postularunt, vt sibi nõ de causa quidẽ vniuersa, sed de notationibus aduersariorũ semel adhuc in consessu verba facere liceret. Respondent Maioristæ per politicos Electoris; satis superq; disceptatũ esse de primo controuersiarum capite: & quoniam actio sit concluſa, se quidẽ de ea posthac ne verbũ quidẽ vel audire vel proloqui decre- Flaciani petunt licentiam respondendi. Maioristæ renuunt.

ANNO 1569.

decreuisse. Displicuit responsum hoc politicis Flacianis: quia tamen nihil aliud obtineri potuit, quantumuis instanter vrgerent & fortiter, offensi grauius tandem sese rem omnem dicunt ad Principem relaturos. Interea Maioristæ, cum dissidij flammam scriptionibus istis, velut oleo infuso augeri potius perpetuis incrementis, quam extingui cernerent, non progrediendum censuerunt ad alias controuersias, nisi consulto primum Electore Principe. Hunc igitur adeundum decernunt, edocendumque de colloquij successu, priusquam nouum cum aduersarijs certamen ordiantur: præsertim cum illi proteruè reijciant corpus doctrinæ Philippicum, quod hactenus omnium consensu velut normam fidei per Electoris prouincias habitum constet. Accedebat & illa ratio, quod Electorem intellexerant omnes ditionum suarum pastores & superintendentes, quos vocant, conuocaturum, vt de ijs, quæ in Altenburgensi colloquio hactenus acta fuerant, sententiam illorum & iudicium exquireret. Itaque cum omnino constitutum haberent discedere, eodem die, sexto nimirum Martij, qui Dominicus erat, adiunctos sibi politicos per litteras de instituto suo faciunt certiores, petuntque vt quibus permoti rationibus ad Electorem proficisci decreuerint, exponant Principi, eundemque rogent, vt factum hoc clementer in meliorem partem interpretetur.

Electorem super hoc consulere decernunt.

Missionem petunt.

Postri-

Postridiè Ioannes à Zeschavv & Laurentius Lindemannus Iureconsultus (tertius enim iam auocatus erat) cum Principem adire vellent huius rei gratiâ, ad colloquium non fuerunt admissi. Itaque politicis alterius partis rem omnem aperiunt, vtque Principi Theologos Electoris excusent, enixè precantur. Quod cum VVigandus cæteriqué factionis istius collocutores intelligerent, per politicos suæ partis tam importunè dicendi locum postularunt, vt Maioristas perpetuis interpellationibus vehementer obtunderent: quorum pertinaciam vt emollirent, vnius horæ spatium petebant, breues admodum se futuros polliciti: verum frustra fuit, quicquid in hoc genere machinabantur homines importuni. Obfirmarant enim animum Maioristæ, nec obtineri ab illis potuit, vt deinceps cum aduersarijs vel verbũ de controuersijs permutarent. Igitur secundas de discessu suo litteras ad politicos, scribunt breuiores quidẽ illas superioribus, sed eiusdem argumenti: Petunt nimirum, vt profectionem tanquam necessario susceptam excusent apud Ioannem Gulielmum Saxoniæ Ducem; nec se dubitare, dicunt, quin excusatio locum habeat apud Principẽ, qui suos quoque Theologos durante colloquio Ienam ablegarit.

ANNO 1569.

A principe nõ admittuntur ad Colloquiũ.

Flaciani responsionem obtrudere conãtur, sed frustra.

Missionem rursus petunt Maioristæ.

His litteris nono Martij exaratis discedunt eodem die, & biduo post Dresdam perueniunt; vbi, cum accessum haberent ad

V.

Ex actione discedunt.

Ele-

1569. Causæ discessionis.

Electorem Principem, causas recensuerunt, quibus permoti abrumpendum iudicarint colloquium, nec cum aduersariis in actione progrediendum, nisi Principem de successu collationis, deque aduersariorum machinationibus prius informarint. Has verò causas breui scripto comprehensas postea sparserunt in vulgus, vt honorem suum tuerentur contra Flacianos, qui eos ceu causæ suæ diffidentes ignominiosa fuga turpiter elapsos clamitabant. Elector verò iustam de hoc negotio consultationem haberi voluit: Ideoque pastores primi nominis, & Superintendentes, quos vocant, ditionum suarum Dresdam velut ad Synodum euocarat; à quibus postulauit vt de scriptis vtrinque in colloquio exhibitis ferrent iudicium, vnaq; decernerent, an colloquium illud prosequẽdum esset, nec ne? dum deliberant, litteræ superueniunt Ioannis Gulielmi Saxoniæ ducis ad Electorem Principẽ, quibus inclusum erat scriptum illud Flacianorum, quod legere cupiuissent in conuentu priusquã Altenburgo Maioristę discederent. Hoc ipsum Saxoniæ dux scriptis cæteris adiungi postulabat, quæ in colloquio recitata fuerant & exhibita: quod an faciendum esset, in Conuentu superintendentium atq; pastorum Electoris iussu deliberatum fuit. Habita consultatione communibus omnium suffragijs decretum est, scriptum illud ad colloquium non pertinere; ideoq; nequaquam recipiendum

Litteræ & responsum Flacianorum.

Scriptum Flacianorũ reijcitur.

dum vel adiungendum actis publicis, sed remittendū ad auctores, qui concluso iam per Electoris Theologos colloquio, citra necessitatem illud confeciſſent. ANNO 1569.

Electoralium de colloquio Altenburgico sententia.

Cæterum de colloquio ipso, deq; scriptis quæ in eo recitata diximus & exhibita, præeuntibus illis, qui Altenburgi fuerant, sentẽtiam suam 18. Martij hunc in modum declararunt: lectis, inquiunt, actis colloquij Altenburgici, mutuisq; collocutorum scriptis de iustificatione, & bonis operibus, deprehendere se dicunt, quod Electoris Theologi de duobus istis articulis, dilucidè, breuiter, & distinctè, sine corruptela iuxta sacras litteras, tria symbola, confessionem Augustanam, eiusque apologiam & repetitionem, aliaque Lutheri & Melanchthonis scripta rectè locuti sint & scripserint, obiectosque corruptelarum & discrepantiæ næuos satis deterserint atque purgarint: tum quod aduersarij claros perspicuosque huius partis sermones subinde strophis sophisticis callidè peruertant, subinde pueriliter & ridiculè, subinde verò etiam impetuosè magnaque cum amarulentia detorqueant aliorsum, & errores quærant, vbi nulli sint: cum interea ipsi multa tueantur paradoxa & absurda, quæ nequaquam toleranda sint in Ecclesiis scholisque benè constitutis. Et quoniam aduersarij à concordiæ studio prorsus videantur alieni, nihil aliud habere se dicunt, quod consulant, nisi vt colloquium vel abrum-

ANNO 1569.

rumpatur penitus, vel honoris causa suspendatur.

Causæ colloquij rescindendi.

Addunt causas, quibus permoti in hanc sententiam descenderunt: Harum præcipuæ sunt: Quod cũ de iustificatione agendũ esset,

1. aduersarij statim in principio ad conuitia & condemnationes, vel à rebus ipsis ad personas insectandas facta digressione conuolarint;

2. Quod negent Ioannem Gulielmum Sax. ducem vnquam consensisse, vt viua voce colloquium perageretur;

3. Quod contemnant, nihiliq; æstiment pretiosa scripta Melanchthonis; quæ si è scholis ecclesiisque ad istorum arbitrium eliminentur, ad iuuentutem in pietate bonisque litteris instituendam, vel nihil omnino vel parum præsidij

4. superfuturum; Quod ex confessionibus, quę sint hactenus pro norma veritatis habitæ,

5. materiam litis faciant, merasq; rixas; Quod corpus doctrinæ contemptim adeoque inhonestè reiiciant, & Augustanam confessionem auctam à Melanchthone, & à Luthero recensitam, probatamque acerbè sugillent;

6. Quod inter Lutherum & Melanchthonem suauissimum fuisse consensum,

7. malitiosè simul & contumaciter negent; Quod scriptum ipsius Lutheri manu consignatum nihili faciant contemnantq;, & ob id in ra-

8. biem penè vertantur; Quod nomen suum repetitioni Augustanæ confessionis adscriptum expunxerint, odioque tantum & liuore incitati, quẽ subscribendo testati fuerant

9. assen-

assensum, contra conscientiam reuocarint: ANNO
Quod Lutheri testimonia proferant trun- 1569.
cata sensu, eaque frequenter contra mentem
ipsius detorqueant, excerpantque pro libi-
tu, quæ commoda sint ipsorum instituto:
Quod simplicem verumque scripturæ sen- 11.
sum sæpenumero reijciant, nec alium fe-
rant, quam ab ipsis excogitatum; quod ad- 12.
uersæ partis Theologos præter culpam er-
rorum, falsorumq; dogmatum reos faciant;
Denique quod nec pacem sanciri, nec indu-
cias; multò minus concordiam fieri patian-
tur, nec diuinæ veritati locum dare velint
aut assentiri. Has igitur ob causas, aliasque
plures id genus, quas se dicunt breuitatis
studio præterire, colloquium abrumpen-
dum iudicant. Et quia conciliatio in primo
capite non successerit, ad reliqua non pro-
grediendum: de quibus si collatio sit insti-
tuenda, turbas longè maiores, & contentiones infinitas aiunt per aduersarios excita-
tum iri. Futurum enim, vt in medium pro- *In Colloq. germ. fol. 355. b.*
deant hæc ipsorum portenta de libero arbi-
trio: passio, coactio, rapacitas, hostilitas, "
repugnantia, truncus, lapis, phrenesis, tra- "
ctio violenta, peccatum, substantia, parti- "
cularitas & prædestinatio, tam ad damna- "
tionem, quam ad vitam & salutem; alijque
id genus errores è fœtidis Manichæorum
lacunis deriuati: quos Christiana mens non
iniuria obturatis auribus abominetur; vti S.
Polycarpum olim fecisse accepimus.

ANNO 1569.

Flaciani multos patronos habent.

Quia verò Flaciani apud exteros hinc inde multos habeant fautores, quos pridem ad factionem suam adiunxerint, laborandum aiunt, vt fumi mendaciorum, quos de colloquio sint passim excitaturi, vera rei gestæ narratione proposita, velut illata luce dissipentur. Illud etiam è re futurum, si Princeps Elector datis ad Ioannem Gulielmum litteris petat, vt pacem deinceps colant Flaciani, nec Ecclesias & scholas aduersæ partis, quas infestissimè oderint, veteribus ac nouis calumniis & criminationibus onerent: nimirum vt contentiones cum scandalo coniunctæ deinceps vitentur.

Elector cõsulit politicos.

Hæc isti ad decimumoctauum Martij: Elector verò, ne non circumspectè satis agere videretur, politicos etiam censuit in consilium adhibendos, quos hanc ob causam eodẽ loco conuenire iusserat. Hi deliberatione habita, Theologorum iudicium calculo suo probarunt, eaque de re sententiam suam breuiter exposuerunt cõfecto scripto, quod Electori decimonono Martij exhibitũ fuit. Is igitur auditis eorum rationibus, qui Altenburgi cum Flacianis collocuti fuerant, perlectoque superintendentium & politicorum iudicio, dimisit cœtum, & vt quisque ad stationem laboresque suos reuerteretur, imperauit. Ita colloquium hoc magno Principum studio, nec exiguis sumptibus institutum, posteaquam scriptitandis tan-

Colloquiũ Altenburgense fœdè dissipatũ.

tantum recitandisque alternatim mordacibus inuectiuis, per menses aliquot extractum est, vti diximus, tandem dissolutum fuit, vel fœdè potius dissipatum; Idque non modo sine fructu, vel re prorsus infecta, sed & summo cum vtriusque partis dedecore; Maioristarum imprimis, quos Flaciani deinceps ceu fugitiuos è conflictu, causæque suæ diffidentes, scriptis & clamoribus ad populum petulantius exagitarunt. Quin & communis Lutheranorum causa non leue detrimentum accepit. Siquidem præter hulcera priora, quæ contrectata pressius grauiter deinceps incruduerunt, & hæc distractio Lutheranæ sectæ nouum inflixit vulnus, quod nullis postmodum remediis curari potuit. ANNO 1569.

Qua in re meritò iustum DEI iudicium agnoscimus, rebellionem istorum & Ecclesiæ turbandæ studium vindicantis immisso vertiginis spiritu: cuius genium & fœdas operationes dum tegere conantur, & domesticas altercationes sopire instituunt, contigit nimirum, vt in hac ipsa actione perpetuò longius à se mutuò dissilirent, & maior indies inter vtrosque fieret hiatus: Donec tandem pace despecta, detectaque sua ipsorum turpitudine, animis etiam ira, furore, odioque mutuo vehementer æstuantibus discesserunt. Vt per hoc colloquium omnis concordiæ spes, quam moderatiores Lutherani pridē conce- Iustum Dei iudicium.

ANNO 1569.

perant, in perpetuum sublata esse videatur: Cum verò Maioristarum scripta, quæ diximus, de causis soluti colloquij passim volitarent, Flaciani minimè dissimulandum putabant iniuriam, quam irrogari sibi spargendis huiusmodi scriptis arbitrabantur. Respondent igitur confestim arrepto calamo, & rationes omnes diluunt, quibus ad excusandam fugam Electoris Theologi vtuntur. Omnem verò culpam turbati colloquij reijciunt in aduersarios, quos panicis terroribus, vel subita animorum consternatione perculsos in colloquio dicunt perdurare non potuisse. Interim eos exuto pudore prædicare delicta sua, sibique probrum, quod admiserint, in Dei hominumque conspectu laudi ducere, adeoque gloriari, quasi fugiendo scilicet insignem sint victoriam consecuti: ex cancellis, inquiunt isti imperterriti heroës & pugiles saltum faciunt, atque extra eos suis in cauernis vociferantur, Io pæan, Io victoria, Io triumphus. An non censes, præclarè istos heroes certasse, victoriamque reportasse, quia porta egressi sunt? Postulant igitur sibi iam coronam & brauium decerni.

Flaciani conantur à se remouere famam dissipati Colloquij.

In colloq. lat. p. 535. b.

VI. Autoris institutum.

Hæc de Colloquio Altenburgensi, quod bono principum affectu ad sarciendam inter Lutheranos concordiam institutum fuit, inferenda duxi; paulò fusius illa quidem, fateor; verum meminerit Lector, me non Maioris solùm, sed & Maiorismi, quem vocant,

cant, historiam ex instituto scribere. Itaque prætereunda non fuit præclaræ illius actionis narratio, quæ sectæ huius naturam & genium viuis coloribus depingit; quanquam verò Princeps Elector Maioristas, cum se metu anathematis è stadio subduxissent, clementer excepit, & perbenignè, eosque deinceps etiam in ditionibus suis tueri non destitit; quod illis proditæ veritatis crimen per calumniam intentari crederet; non potuit impedire tamen, quin Flaciani eos importunis clamoribus & conuitijs insectari pergerent, & fugientibus, edito post terga eorum clamore, velut in congressu superatis petulanter insultarent. Neque vero pro sua virulentia Maiorem scriptis publicis, clamoribus ad populum, calumnijs, conuitijsque atrocibus persequi destiterunt, atque insectari; donec ille vitæ certaminumque pertæsus animam exhalaret.

ANNO 1569.

Maior cum suis perpetuis Flacianorum calumniis obnoxius.

Fatiscebat iam Maior, senio nimirum & perpetuis exagitationibus fractus, cum Altenburgense colloquium in fumos, imo in nouum & priore maius incendium exiret. Itaque cum nullam instaurandæ concordiæ spem superesse videret, anno proximo 1570. scriptum quoddam germanicum in vulgus emisit Testamenti titulo insignitum: in quo doctrinam suam, de iustificatione, deque bonis operibus imprimis repetiit, addita protestatione, quod sententiæ suæ contra Flacianos non immorari modo, sed & immori de-

Anno 1570. Maior scriptum cudit de iustificatione sub Testamenti titulo.

ANNO 1570.

cretum habeat: quod vt constaret publicè hanc se, velut extremæ voluntatis declarationem in lucem, ait, referre voluisse. Cæterum Flaciani Testamentum hoc in officiosum nominant, scriptum dispensatione diuina; quasi Maior, nec in veteri, nec in nouo Testamento præsidij quicquam inuenerit ad stabiliendos errores, vti quidem iudicant isti, tertium hoc elumbe suum & putidum Testamentum fabricarit. Neque vero diu superuixit edito hoc scripto, sed breui conditum à se Testamentum è vita decedens morte confirmauit, Flacianis interim ad extremum vsque hostiliter vociferantibus; quorum inuidia nec post illius obitum conquieuit.

A Flacianis inofficiosum denominatur.

Obiit anno 1574. Wittenbergæ.

Finis vitæ Georgij Maioris.

VITA

VITA ET RES GESTÆ ANDREAE OSIANDRI,

Ab ortu ad obitum vsque

AVTORE CASPARO VLENBERGIO Lippiensi.

CAPVT I.

I. *Osiandri natiuitas & patria, habitus corporis & felicissimi ingenij dotes.*

II. *Lutheranismo imbutus Norinbergæ hebraicam linguam docet, concionatorq; ibidem non multò post factus Albertum Borussiæ Ducem à fide Catholica abducit.*

III. *Norinbergenses religionem mutant, inuito Bambergensi Episcopo, abolitoq; Catholicæ fidei exercitio, Osiandrum, mutationis autorē, superintendentem constituunt Marpurgum ad Colloquium euocatum.*

IV. *Nouum dogma Osiandri de iustificatione aliaq; opiniones eius.*

Schlusselburgius in hæres. Osiandr. p. 42. & seq. Henricus Panthaleō, part. 3. Bucholtzerus ponit anno 1498. 19. Decem.

ANNO 1496.

I. Osiandri natiuitas & patria.

ANDREAS Osiander anno 1496. 14. Decemb. natus est in oppido Franconiæ Guntzenhausen, quod sex milliaribus Norinberga distat. Patrem habuit fabrū ferra-

ANNO 1496.

ferrarium, cognomento Höfsman; quod cum filio litteris humanioribus iam excultо diſpliceret, pro Höfsmanno ſeſe Oſiandrum appellauit. Erat Andreas homo tetricus, fœdis moribus, vultu toruo, & facie luridâ, imo ſubnigra ad horrorem vſque, vt fabri ferrarij filium agnoſceres. Interim ingenio valebat plurimũ; cumq; in patria prima ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, V Vittenbergam profectus eſt ad vberiorem ingenij culturam. In ſtudiis aſsiduus fuit & induſtrius, eaque cepit incrementa, vt inter viros doctos ſui temporis non infimus haberetur. Latinæ, græcæ, hebraicęq; linguæ cognitionem non vulgarem adeptus Lutheranæ Theologiæ myſteria ſimul, & inter primos quidẽ Lutheri diſcipulos imbibit: quanquã poſtmodum à Luthero eiusq; diſcipulis ſeceſsionem fecit, vt infrà ſuo loco dicemus.

Habitus corporis, & ingenium.

Wittenbergã proficiſcitur.

Eminentia eius in humaniori litteratura.

Anno 1522.

II.

Cum verò Lutheraniſmi contagio longè lateque ſe per Germaniam diffunderet, Norinberga quoq; maturè, vel inter primas Imperij ciuitates infecta fuit: quâ in re Oſiander multùm laborauit, licet ante annũ 1524. in diuino cultu publicè nihil mutatum fuit. Eſt in ea ciuitate monaſterium Auguſtinenſium, in quo Oſiander hebraicæ linguæ præcepta docuit, mercede ab iis acceptâ, qui docentem audiebant. Ita factum eſt, vt ob famam eruditionis primariis in republica viris innoteſceret; inter quos & Bilibaldus Pirckheimerus fuit, vir ob doctrinam exi-

Norinberga Lutheraniſmum amplectitur.

Lecturam obit in monaſterio Auguſtinenſium.

Cã. in vit. Mel. p. 296.

eximiam & virtutũ ornamenta celebris, qui litteratos omnes magno amore prosequebatur: Quanquam Osiander successu temporis plerosque, quibus propter acrimoniam ingenij atque eruditionem charus erat, rusticitate morum & ferocia quadam cum animi elatione coniuncta rursus abalienauit. ANNO 1522. Eius morũ rusticitas.

Iã verò quia facundiâ valebat plurimum, & magno flagrabat Lutheranismi propagandi desiderio, laboratum fuit à primoribus ciuitãtis, vt in Ecclesia D. Laurentij concionibus ad populum habendis præficeretur. Eam functionem an. 1522. mense Februar. ingressus est, & primam concionem habuit vigesimotertio eiusdem mensis die, in quem Dominica Sexagesimę quam dicimus, tum quidem incidit, cùm ex Euangelio Lucæ parabola de semine solet explicari. Hanc verò nactus occasionem, in vulgus semina iecit nouarum opinionum, quæ paulatim in publicam ab Ecclesia defectionem pullularunt. Concionator fit in D. Laurẽtij Noriberg. Eius prima Concio.

Priusquam verò id fieret, Comitia Norinbergæ per absentiam Cæsaris habita fuerunt ann. 1522. quæ in annum vsq; sequentem extracta mense Martio primum exiuerunt. His Comitijs inter reliquos Principes & Albertus Brandeburgicus interfuit, Friderici Anspachici filius, Ordinis Teuthonici per Borussiam Magister; Qui per hanc occasionem in colloquium venit cum Osiandro, propter doctrinæ famam iam tum celebri, ab eoque fraudulenter circumuentus prima nouitiæ reli- Comitia Norinbergæ. Albert. Borussiæ Dux ab Osiãdro inficitur. *Chyt. in Sax.*

ANNO 1523. religionis semina cupidè susceperit. Vnde reuersus domum, de mutatione rituum & religionis per Borussiam instituenda cogitare cœpit, cuius anno sequente 1523. sub visitationis vmbra factum est initium. Hoc verò consilium dubium nõ est, quin ab Osiandro promanarit; cui non iniuria defectionem istius Principis à fide maiorum, ab ordine Teuthonico, ab Imperio Romano acceptam ferimus.

Mutat ritũ & religionem.

Ann. 1523.

III. Cæterùm cum animos hominũ docendo iam occupasset, & desiderium illis iniecisset nouandorum rituum, tandem anno 1524. mense Iunio in Ecclesijs Parochialibus Norinbergę religio primum mutata fuit. Quam ad rem non parum attulit momenti quorũdam ecclesiasticorum defectio, inter quos primi nominis fuerunt Georgius Beslerus, & Hector Bohemus, hic ad Sanct. Laurentium præpositus, ille ad S. Sæbaldum; quorum non consensu modo, sed & opera studioque religionis mutatio fuit introducta. Ea res mouit Bambergẽsem Episcopum ad cuius iurisdictionem ecclesiasticã Norinberga pertinet, vt citaret istos ad reddendam facti sui rationem. Illi verò, vt intentatam actionem eluderent, ad commune hæreticorum perfugium delapsi, diuini Verbi laruam obijciũt; Idq; ex Osiandri consilio, qui Lutheri placita Norinbergensibus obtruserat, honesto Euangelij scripturæq; sacræ titulo, velut operimento quodam obuoluta.

Chyt. in Sax. p. 325.

Ann. 1524. Norinberga mutat religionẽ.

Eius primi autores.

Ab Episcopo ad forũ citantur.

Sed frustra.

Cùm

Cùm feliciter ceſsiſſet hæc machinatio, cœptum eſt Oſiandri ſuaſu de monaſterijs etiam euertendis cogitari. In ijs enim ſupererant adhuc viri religioſi, qui non minus conſtanter, quàm ſtrenuè turbulentis nouatorum conatibus obſiſtebant. Cum his ex Oſiandri inſtinctu anno ſequente diſputatio fuit inſtituta de religione, in qua Lutherani iudicis ſimul & actoris partes egerũt; quemadmodum in huiuſmodi diſputationibus fieri conſueuit.

ANNO 1524. Conſilium Oſiandri de monaſteriis euertendis. Diſputatio de religione præſidibus Lutheranis.

Decretum igitur, vt in monaſterijs cõciones Catholicæ, diuinusq; cultus, quẽ per manus traditum à maioribus acceperant, deinceps omitteretur, vtq; ſacerdotes & monachi deſerto ordine, habituq; mutato ciuibus permixti viuerent, ijſdẽ, quibus illi publicis oneribus ferendis obnoxij. Hos igitur, ſacerdotes inquam, & religioſos voto perpetuæ caſtitatis obſtrictos, in eundem cum ſecularibus redegerunt ordinem, eoſque deinceps habitu, vitæ genere, ſtatu, rebus demum omnibus ciuibus ſuis pares eſſe coẽgerũt, Lutheri ductum ſecuti, qui non modo ſacros canones exuſſerat, & monialem domum duxerat rupto voti vinculo, ſed & perſuaſus à diabolo, nullum eſſe ſub euãgelio, vel noua lege ſacerdotium externum, ſcriptis publicis inculcarat.

Decretum de mutãda religione. Item de eccleſiaſticis.

Atque hæc quidem Oſiandri conſilio nutuque Norinbergæ peracta fuerunt; qui vt ſcientia & mentis elatione, ita & autoritate

Oſiander ſuperintendens Norinbergenſis.

ANNO 1524.

ritate inter cæteros concionatores eminebat. Itaque dominabatur in ea ciuitate ſtipendio ſatis amplo ſuſtentatus, & velut Epiſcopus quidam (ipſi Superintendentem vocant) ad clauum iſtic ſedit Eccleſiæ Lutheranæ: Cui Norinbergæ præfuit ab an. 1524. quo mutata primum fuit religio, vſq; ad annum 1549. cum propter decretum Auguſtani conuentus, & librum Cæſaris Imperijque nomine publicatum, quem Interim vulgo appellant, è Germania cedere coactus in Boruſsiam cómigrauit. Interim quia inter præcipuos Lutheranæ ſectæ magiſtros cenſebatur, cum inſtituta fuerunt de religione colloquia, & hunc plerunque Proteſtantes in conſilijs & actionibus præſentem eſſe voluerunt.

Ann. 1529. Vocatur ad colloquiũ Marpurg. *Schluſſelb. in har. Oſiandr p. 243* Lutheri de eius ferocia præſagium.

Vocatus fuit ad Colloquium, quod anno 1529. Landgrauius Haſsiæ Philippus ad dirimendas Lutheranorum & Zvvinglianorum controuerſias Marpurgi indixit: Vbi Lutherus Oſiandrum in Eccleſia concionantem audiuit, & ad Melanchthonem præſentem conuerſus, Philippe, inquit, Oſiander habet ſuperbum ſpiritum. Ille in Eccleſia Dei poſt mortem meam dabit magnas turbas. Hæc alta mente reponas; Tu enim videbis.

IV.

Iam & anno ſequente 1530. Comitijs Auguſtanis interfuit, & Smalcaldicæ Lutheranorum Synodo, quam an. 1537. celebrarunt, tum colloquijs ann. 1539. 1540. & 1541. Haganouiæ primum, poſt VVormatię, demum & Ratisbonæ celebratis. In his conuentibus, licet

licet vnà cum Melanchthone cæteris; Lutheri discipulis Protestantium Cõfessionem tuebatur, oblatam Cæsari in Comitijs Augustanis; tamen in primario Confessionis istius dogmate de iustificatione scilicet iam tum aliam conceperat opinionem; quemadmodum paulo infrà demonstrabimus: Vt longè aliud, quam conscientia dictabat, profiteri publicè videretur.

ANNO 1529.

Nouum dogma de Iustificatione cõminiscitur.

Gerebat Osiander vti diximus, altos spiritus, & ingens supercilium: Vnde pro tumore mentis indignum iudicabat & seruile, in explicandis dogmatibus ex aliorum pendere iudicio, ijsque cancellis circumscribi, quos Lutherus & Melanchthon arbitratu suo posuissent. Itaque ne Lutheri mancipium videretur, in dogmate omnium maximo, de iustificatione scilicet, à sententia VVittenbergensium & Augustanæ Cõfessionis in diuersum abire cœpit. Iustitiam hominis Lutherus, Melanchthon, cæteriquè in sola fide cõstituunt, propter quam credentes non verè iustos effici docent, sed manente peccato pro iustis à Deo reputari. Itaque non inhærẽtem verè, sed imaginariam, vel, vt ipsi loquuntur, imputatiuã iustitiam agnoscunt. Quod cum absurdum iudicaret Osiander, aliud quiddam commentus est; Iustitiam nostram asserens esse Deum ipsum, vel Christum iuxta diuinam naturam essentialiter in nobis habitantem, & impellentẽ ad benè operandum. Errare dicit eos, qui tantum in Christo

A Luth. secedit in propriam hæresin.

Luth. dogma de iustitia imputatiua.

Osiandri dogma de iustitia essentiali.

quæ-

ANNO 1529. quærunt iustitiam;cum ea nihil aliud sit,quã vnius æterniq́ue Dei Patris, filij, & Sancti Spiritus essentia, habitantis quidem in nobis,& ad bonum impellentis, verum ita tamẽ, vt essentialis Dei iustitia nobis propter Christum imputetur,doneturq́ue, quasi nostra ipsorum esset,& ex nobismet orta. Hanc verò iustitiam, licet ea consistat in communicata nobis essentia diuina,tamen extra humanam Christi naturam, ait, inueniri non posse;cum diuina ipsius natura, quam eãdem habet cũ patre & Spiritu Sancto, iustitia nostra sit quidem, sed non extra Christum incarnatum;cuius non obedientia, non passio, non mors, & per eam acquisita iustitia, sed quam vt Deus ab æterno habuit essentialis iustitia,non per inhærentiam, sed per imputationem nobis communicetur.

Verbum Dei. Huic errori de iustificatione Osiander & alia quædam adiunxit, à Lutheranis reliquis obseruata, quæ subijcio: Verbum Dei duplex agnoscit, Externum siue prædicatum hominis ministerio, vel sacris litteris comprehensum; quod si non apprehendatur, fidem veteribus calceis comparat, in angulum proiectis: Et Internum ipsum Dei filium: Semen autem verbi Deum ipsum facit; nec posse Dei verbum appellari ait,quod Deus non sit. Nec mundus, inquit, fuisset à Deo conditus, nec creatus homo, vel vlla creatura, nisi filius Dei carnem sumere voluisset: Quia mors nullum ius in Christum habuit,

Schlusselb. in hæres. Osiand. pag. 46. & seq.

Mundus.

Christus.

habuit, vt qui sine peccato fuit, mortemque sponte subiuit tamen, Ioan. 10. factum est, vt mortem sanctificarit in seipso; ita vt mors eius non sit stipendium peccati. Imago Dei (zelem) ad quam factus est homo, est ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS, verus Deus & homo, vel facies & statura totius corporis, atque adeo tota substantia humanæ naturæ, Domini nostri IESV CHRISTI glorificata Dei. Demuth est eiusdem Domini nostri IESV Christi simulacrum, in quo visus est patribus atq; Prophetis, antequam incarnatus esset, sic filius Dei semper visus est in similitudine futuræ humanæ naturæ suæ, quotiescunque visus est, tam præcisè, vt neque maior, neque minor, neque alia facie appareret, quam postea visus est, cùm à mortuis resurrexisset: Ita vt cum patres statura longè grandiores essent (vt manifestè videmus singulis ætatibus decrescere humana corpora) admirati illius paruitatem dederint illi nomen Seraphin, id est, paruus facie; cuius nominis frequentissima mentio est in mystica Theologia Hebræorum. Imago Dei esse nulla ratione potuisset, nisi sumpturus fuisset carnem Christus. Nullus hominum dici posset ad imaginem Dei creatus, nisi Christus esset imago Dei secundum humanam naturam.

ANNO 1529.

Imago Dei.

Dicit Deus, facturũ se hominem ad imaginẽ suã, &c. vt scilicet homo talis fieret, qualis

Christus

ANNO 1529. Christus secundum humanam naturam in mente Dei prædestinatus esset. Hãc de imagine Dei doctrinam hactenus à nemine post Apostolos rectè explicatam, sese primum ait in lucem produxisse: Lutherum vidisse quidem aliquid, sed animum non intendisse serio, vt rem vberius explicaret. Inde ex discipulis quidam asseruit; Iustitiam Adæ ante lapsum fuisse æternum & vnigenitum Dei filium. Lex ab hominibus ipsam essentialem Dei iustitiam postulat; atque illa ipsa lex est Spiritus Sanctus: postulat dilectionem, quæ est ipse Deus; quasi dicat: Tu debes esse templum Dei: In te Deus viuere debet, & esse iustitia & sanctificatio. Per Baptismum sumus in humanitatem Christi plantati & incorporati. In noua regeneratione attrahimus essentialem iustitiam Christi, quæ est Deus ipse. Cum dicitur: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, intelligendum est, quod ipsius Deitas, quæ in carne & sanguine est, nos cibet, & potet: Similiter cum Ioannes ait: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato; diuinitas Christi est intelligenda, quæ est in sanguine. Hæc ex Osiandri scriptis notarunt Lutherani. Cæterum opinionem ipsius de diuina Christi essentia in nobis habitante, quam ad euertendam Melãchthonis imputationem cõmẽtus est, post Augustana Comitia primum fabricasse videtur. In ijs enim Lutheranæ Cõfessionis articulum de iustificatione, vt is

Ioan. Funccius in Act. cũ leg. Sax.

Lex.

Baptismꝰ.

Eucharistia.

Post Augustana Comitia dogma suum fabricat.

per

per Melanchthonem conceptus fuit, vnà cum cæteris assensu suo probauit; quem post obitum Lutheri summis viribus oppugnandum sumpsit atque euertendum: Imò voce publica sese hostem & aduersarium Augustanæ Confessionis in doctrina de iustificatione professus est, vt Lutherani testantur. Qua de re Kemnitij verba subiungo: Osiander, inquit, contumeliosè flagellat, improbat, reijcit & damnat doctrinam Augustanæ Confessionis, propterea quia affirmat, iustitiam fidei coram Deo esse imputationem obedientiæ Christi. Hanc doctrinam Augustanæ Confessionis vocat carnalem, phantasticam, Philosophicam, idololatricam, quæ Christum pictum & fictum doceat in regno diaboli. Et his multo atrociora addit. Hæc ille.

ANNO 1529.

Schlusselb. in hær. Osiand p. 94. 95.

Ibid. ex Kēnitio, p. 101. 102.

Osiander igitur in primario Confessionis articulo, quo nullum esse maiorem thesaurum nec in cœlo, nec in terra Kemnitius asserit, à cæteris, qui Lutherum & Melanchthonem sequebantur, planè dissilijt, & genij sui ductum secutus nouum quiddam excogitauit, à sententia Catholicorum non minus, quam Lutheranorum & Caluinistarum penitus alienum: Nisi quod ab opinione quorundam Anabaptistarum, eorum præcipuè, qui Dauidem Georgium sequuntur, non multum abludit.

Ibid.

Augustana Confessio thesaurus incomparabilis.

ANNO 1529.

CAPVT II.

I. *Dolosa Osiandri machinatio in nouo dogmate publicando, contio in Lutherum contraque confessionis libertatem, & Biblia germanica, itēq; eius de* Lutheranis *gloriatio.*

II. *Fuga Osiandri in Borussiam ob repudiatum Interim.*

III. *Colloquium cum Staphylo, à quo erroris & mendacij conuictus Osiander.*

IV. *Principem inficit & consiliarios aliquot, qui mox omnes partim capite plexi, partim diuinitus puniti interierunt. vbi & vide propagationem pestiferi dogmatis & hostes eius.*

V. *Consiliarij* Principis *pleriq; ab Osiandro auersi, imprimis verò Fridericus Staphylus ad Ecclesiam Catholicam sese recipiens.*

I. CAETERVM quo tempore primum hoc illi commentum suggesserit, Sathan, incertum est, nisi quod post Augustana Comitia factum constat; & quidem ante Synodum illam, quam Lutherani ad sopiendas inter se controuersias anno 1537. Smalcaldiæ celebrarunt. Sub id tempus Osiander semen animo iam concepisse videtur nouæ illius hæreseos, quā postmodum in Borussia an. 1549. Octob. mēse professione publica, velut maturum partum in lucē edidit. Intereà presit animo fouitq; haustum virus: Et quanquam publicè nihil molicbatur; quod patronum non inueniret satis potentem, sub cuius præsidio

Osiandri dolosa machinatio in dogmate suo publicando.

sidio conceptum fœtum eniteretur; continere se tamen non potuit, vt erat animi perquam impotentis, quin per occasionem proderet secretũ, quod animo recõditũ gerebat. ANNO 1529.

Contigit an. 1537. cum Smalcaldiæ Synodus haberetur, de qua diximus, vt Lutherus pro concione dictum quoddam explicaret D. Ioannis ex epistola 1. cap. 4. & delapsus ad dogma de iustificatione, quam ipse commentus est imputatiuam iustitiam pro genio suo prolixius inculcaret. Incidit paulò post in grauissimum morbum, in quo de vita ipsius desperatum fuit. Osiander hanc occasionem nactus conscendit cathedram, atq; hoc imprimis egit in cõcione præsentibus Theologis Lutheranis, vt Lutheri sententiam de inhabitante per gratiam Christo refelleret. Non expressit ille quidem Lutheri nomen, sed ita tractauit materiam istam, vt qui Lutherum prius audierant, facilè intelligerent eum sugillari. Inter differendum hęc illi vox erupit: Christus, inquit, habitat in nobis essentialiter. Videbant, qui prẹsentes erant cõcionatores, quorsum hæc spectaret assertio. Sed res tum quidem dissimulata fuit; quod in illa Synodo hulcus dissidiorum, quæ iam tum inter euangelicos glisscebant, tangi non expediret. Verebantur enim Principes, ne, si domestica vulnera pressius contrectarentur subcutaneum malum in publicum erumperet, magno cum ecclesiæ Lutheranæ detrimento.

Ann. 1537. *In Colloq. mens. germ. Staphyl. in apolog pag.* 362. Luth. concio de iustitia imputatiua.

Eius sentẽtiam refellit Osiãder.

Verba dogmatis. "

Colloq mẽs. germ. in fol.

ANNO 1537.

Lutherus verò cum conualuiſſet, frequenter poſtmodum inter ſuos de Oſiandri aliorumq; quorundam inobedientia, rebellione, atq; ſuperbia conqueſtus eſt, & ſuos admonuit, Oſiandrum alere monſtri aliquid; futurum aliquādo, vbi liberiorē aurā nactus fuerit, vt virus animo cōceptū liberius effundat.

Lutheri querelę ſuper Oſiandri pertinacia.

Non multo poſt & in alio quodā religionis capite Lutheri ſententiam improbauit. Scripſerat ille pridē in viſitatione Saxonica, ſecretā peccatorū confeſsionē, quæ priuatim fit à ſingulis more Catholico, in fidelium libertate ponendam; nimirum vt qui vellent ante communionē delicta ſua confiterentur, & abſolutionem peterent à ſuo ſacerdote: Qui verò nollēt, ad hanc peccatorū cōfeſsionem non adigerentur; quam fatebatur vtilem eſſe quidem, at non neceſſariam tamen.

Lutheri ſententia de libertate Confeſsionis.

Hanc Lutheri ſententiā probabant cōcionatores Norinbergēſes cæteri: Oſiāder verò, qui miniſterij caput erat, vel Superintendēs, eandē velut erroneā reijciebat. Cēſuit enim priuatam illā peccatorū confeſsionē omnino retinendam in Eccleſia, nec ad Synaxin admittendū quenquā, niſi ſacerdotis miniſterio prius abſolutū. Quæ ſentētiarum diſcrepantia diſsidij fomitē inter vtroſq; miniſtrauit. Lutherus verò, cùm rem intelligeret, per litteras monuit Oſiandrum, vt cum collegis rediret in gratiā, & quā animo concepiſſet opinionē deponeret. Verū id fruſtrà factum: Oſiander enim in ſententia perſtitit; cumque diſcor-

Refutatur ab Oſiandro.

Gliſcit inter vtroſq; diſſidium.

Oſiander monetur à ſententia diſcedere, ſed fruſtra.

discordia hæc scintillaret grauius, velut publicum aliquod incendium paritura, Senatus Norinbergensis tandem hac de re scripsit ad Lutherum, eiusq; consilium exquisiuit, quomodo controuersiã hãc dirimendã censeret. Ille licet Osiandri sentẽtiam improbaret, tamen quia nouerat hominis ingenium, cauẽdũ sibi putauit, ne quid definiret in hac causa vel cõsuleret, quo duræ ceruicis & ingenij ferocioris homo grauius offenderetur. Itaq; datis ad Senatum litteris suauiter agendum censuit: Vtrisque iniungendum, vt priuatam peccatorum Confessionem (auricularem vocant isti) velut vtilem populo commendẽt: Ab Osiandro verò non postulandum, vt publicam absolutionẽ velut sufficientẽ probet. Cauendum autẽ imprimis, ne vel Osiander reliquos concionatores, vel hi vicissim illum in concionibus reprehendant. Hęc Lutherus ad Senatũ Norinbergensem ceu vitabundus, ne scilicet in Osiandrum impingeret, à cuius ferocitate sibi non parum metuebat.

ANNO 1537. Norinbergensium litteræ ad Luth. de controuersia Confessionis.

Luth. responsio & consilium.

Porrò & Germanicam Bibliorum versionem, quam Lutherus adornauit, satis liberè carpebat, notatis etiam locis, in quibus eum inter vertendum aberrasse demõstrauit: Quã rem Lutherus ægrè quidem tulit; vti sermones ipsius testãtur, quos inter suos de hoc negotio priuatim habuit: At publicè contumeliam istã dissimulauit; quod Osiãdrum in hebraicâ, græcâq; linguâ non infeliciter versatum sciret; cùm quo nullam sibi controuersiã

Eius Biblia ab Osiãdro fugillãtur.

Luth. contumeliam dissimulat.

ANNO 1537.

Eius autoritate ferociam cohibet Osiander.

esse voluit. Iam & Osiāder Lutherum vicissim nonnihil verebatur, quem nō ignorabat impetuoso esse ingenio, atq; acerbius eos insectari, quos odio sibi prosequendos delegerat. Itaq; licet opinionem suam de essentiali Dei iustitia teneret mordicus; tamen autoritate Lutheri ceu freno quodā coercitus fuit, ne scriptis in lucem editis nouam controuersiam suscitaret. At cum Lutherum è medio sublatū intelligeret, ceu vinculo solutus dixisse fertur, mortuo Leone, vulpes & lepores (Melāchthonē, & cæteros Ecclesię Lutheranę proceres) se nō magno negotio subacturū.

De Lutheranis eius gloriatio.

II.

Bellū Germanicum.

Ann. 1548.

Secutum est deinde bellum germanicum, cuius terror cōcionatores nōnihil cohibuit, vt quæ intēr ipsos erant domesticæ cōcertationes aliquandiu cōquiescerent. Postea cum Cæsar librum ederet ann. 1548. in Comitijs Augustanis approbatum, quem Interim id temporis appellabant, Osiander inter eos fuit, qui Cæsaream hanc Ordinationem respuebant. Itaque Norinberga discedere coactus periculi vitādi causâ in Borussiam profugit ad ducem Albertum, cui an. 1522. Lutheranismi virus, vt suprà diximus, inhalarat. Ab hoc Principe per quàm humaniter & benignè fuit exceptus: Et principio quidem Regiomonte, vbi non ita pridem, anno scilicet 1544. Vniuersitatem erexerat Albertus, Osiander primariam Theologię professionē consecutus est: Deinde pastor quoq; constitutus ciuitatis veteris. Tum verò opiniones

Osiander respuit Interim.

In Borussiā fugit.

Theologiā docet.

Errores suos liberè in vulgus spargit.

suas

ANNO 1548.

suas de imagine Dei, de incarnatione filij, de iustificatione, alijsq; de rebus, quas suprà recensuimus, in concionibus ad populum, tum in prælectionibus academicis, liberius in apertum proferre cœpit.

III. *Staph. in resp. ad Mel.* Staphyli de hæresi Osiandrina iudiciũ.

Erat id temporis inter consiliarios Ducis Borussiæ Fridericus Staphylus, vir doctus, & antiquitatis ecclesiasticę peritissim⁹; qui sententiã rogatus à Principe de dogmatibus Osiãdrinis, respõdit ea Manetis & Nestorij veterũ hęresiarcharũ erroribus finitima videri. Quod cũ Osiander intelligeret, vehementer excãduit; vtq; hęreseos obiectæ probrum dilueret, facultatẽ hac de re colloquendi cum Staphylo corã Principe sibi fieri postulauit.

Colloquiũ Staphyli cum Osiãdro.

Ventũ est ad Colloquiũ, præsente Principe, disceptatũ familiariter de iustificatione: de quo dogmate protestatus est Osiãder, eãdem se prorsus cum D. Paulo, cumq; Luthero sententiam profiteri: Quod cum negaret Staphylus, series disceptationis in eo velut cardine vertebatur, vt quæ vera esset & genuina D. Pauli, quæ Lutheri sentẽtia, alter alteri demõstraret. Hic multum sudauit Osiãder, vt cõmento suo laruã indueret verbi diuini, seq; nihil ab Apostolo diuersum sentire, nihil à Lutheri mẽte alienũ, Principi persuaderet. Staphylus autẽ, vt audaciã hominis in asserẽdo cõprimeret, colloquiũ quoddam protulit breuiter descriptũ, q̃ inter Lutherũ & Melanchthonẽ ann. 1536. de Iustificatione priuatim habitũ asserebat: Quod cũ legeret

In ep Mel. ad Camer. Osiãder ad D. Pauli & Luth. doctrinam prouocat.

Conuincitur mẽdacij.

Scriptum Luth. de iustificatione.

ANNO 1548.

Princeps, facilè deprehendit Osiandrum à Lutheri sententia toto cœlo in hoc dogmate dissentire. Vterq; sanè quãdam agnoscit imputationẽ; verum alter ab altero lõgè diuersam: cùm Osiander essentialem inhabitantis Christi Dei iustitiam, Lutherus verò satisfactionẽ eiusdem Christi, sine inhærentia iustitiæ, per fidem solam credentibus ad salutem imputari asserat. Itaq; hic obedientiæ & mortis alienæ; ille verò diuinæ iustitiæ Christi corda fideliũ inhabitãtis imputationẽ agnoscit; imputationẽ inquam, ne vnionẽ hypostaticam essentiæ diuinæ cum iustis ponere videatur. Hanc verò sententiarum discrepãtiam, cũ Princeps ex sermone colloquẽtium, & scripto per Staphylum oblato deprehenderet, propè fuit, vt Osiandri commentum repudiaret, & Staphylo assentiretur, autoritatẽ Lutheri secutus, quem vti virum Dei & Germaniæ prophetã semper veneratus fuerat. Osiander verò ne deprehẽsus videretur, quasi fallo ad Lutherum prouocarit, quẽsiuit effugiũ, Lutheri mentẽ asserens nõ satis certò colligi ex huiusmodi schediasmate, quod ipsius manu non sit exaratum. Hoc cauillo tum quidẽ obiectã discrepantiam eluſit. Staphylus autẽ datis VVittẽbergã litteris, rogauit Melanchthonẽ, cui admodum familiaris erat, vt ipsius Lutheri autographum ad faciẽdam huius rei fidem sibi communicaret. Nondum se Staphylus id temporis à Lutheranorum cõsortio penitus auulserat, cùm ab

Effugium Osiandri.

Wittẽbergenſ. interpellantur de genuino Luth. sensu.

Osian-

Osiandro in hoc certamen traheretur. Itaq; vt Osiandrum falsi conuinceret, petiit autographum ipsius Lutheri; quod an illi transmiserit Melanchthon, necne, incertum est: Hoc constat, Osiandrum ab hoc colloquio factum indies audaciorem & magis ceruicosum. Imo vt altos gerebat spiritus, insigni se honore dignum arbitrabatur, quod quæ de rebus tanti momenti Lutherus aliiq; obscurius tradidissent, ipse tam dilucidè & insigniter explicaret. ANNO 1548. Mirabiliter sibi applaudit.

IV.

Imprimis verò laborandùm putauit, vt adiungeret sibi Principem; sine cuius præsidio causam non minus, quam seipsum in periculo futurũ videbat. Nec malè cessit consilium: nam & Principis animum fraudulenter occupauit, eoque præsidio munitus publicè tandem anno 1549. 24. Octob. hæreseos inter Lutheranos condendæ telam exorsus est; quam vt pertexeret, nihil deinceps, quamdiu vixit, ad summam diligentiam reliquum fecit. Nec defuerunt, qui sese illi socios ad stabiliendam hæresin adiungerent. Inter quos primi nominis erat Ioannes Funccius aulæ concionator primum; deinde pastor ciuitatis veteris, homo doctus & astutus, ob Chronologiam editam celebris, qui filiam Osiandri habebat in matrimonio. Hic, vt erat versipellis admodum & insignis παλυπράγμων, effecit apud Principem, vt adscitus in consiliarium politicis quoque negotiis interesset: qua in functio- Principem inficit. Anno 1549 Eius assecla Funccius. Funccius fit consiliarius Ducis.

ANNO 1549. ne ita se habuit, vt demum anno 1566. 28. Octob. cum duobus aliis, Matthia Horstio & Ioanne Snellio, publicæ pacis, ecclesiasticæ non minus quam politicæ perturbator, & hostis patriæ iudicatus, & in foro Regiomontano capite plexus, iustam perfidiæ vindictam senserit. Præter hunc Osiandri hæresin amplexi sunt M. Othmarus Eplinus, concionator aulicus, homo sceleribus, & libidine cumprimis infamis: tum M. Ioannes Sciurus, hebraicæ linguæ professor: Melchior Isinderus, & Ioannes Aurifabet, Theologiæ Lutheranæ Doctores; cuius & professor erat Isinderus: qui tandem ex Osiandrini dogmatis delirio versus in rabiem, vinctusque catenis horrendis clamoribus & eiulatu ad commiserationem audientis permouit. Hi quia Principem habebant factioni addictum, hæresin Osiandri propagarunt magno studio, & pastores non paucos per Borussiam in erroris consortium pertraxerunt: quanquam maxima illorum pars ad hanc se factionem adiungere detrectauit; quorum multi vertere solum, & Borussiæ finibus exire iussi; inter quos & Ioachimus Morlinus, Osiandri hostis acerrimus alio commigrauit. Præter concionatores & politici quidam hæresin amplexi sunt, Principis autoritatem secuti potius, eiusque gratiam captantes, quam quod cum iudicio negotium expenderent, aut intelligerent rationum momenta.

Capite plectitur.

Osiandri discipuli.

Neque

Neq; verò Boruſsiæ finibus ſeſe continuit lues iſta, ſed & vicinam Pomeraniam ſerpſit, Vbi Petrus quidam Artopæus Oſiandrinam hæreſin propugnauit. Iam & Oſiander ipſe priuſquam Norinberga diſcederet, ſemina ſparſit errorũ ſuorum, quæ poſt abitũ ipſius, imò poſt obitum in ea ciuitate pullularunt. Erat inter paſtores illius vrbis Lutheranos Leonardus Culmannus, qui cauſam Oſiandri, quanto conatu potuit, in Germania tuebatur. Oppoſuerunt ſeſe Oſiandro in Boruſſia Ioachimus Mörlinus, deuotum Lutheri mancipium, paſtor Regiomontanus, in ea ciuitatis parte, quæ Kniphoiium appellatur; cui fuit eam ob cauſam Boruſsiæ finibus excedendum, vti diximus: tum Petrus Hegemon, Georgius Venetus, Martinus Kemnitius, ille Tridentini concilij ſugillator, qui ſub id tẽpus cuſtos erat & præfectus Bibliothecæ ducalis, quam Albertus contractis vndecunque codicibus inſtructiſsimam habuit. Alijq; multi per Boruſsiam concionatores, quos recenſere nihil attinet.

ANNO 1549. Virus Oſiandrinum in Pomeraniam excurrit. Eius propagator Culmannus.

Kemnitius concilij Trid. roſor, & vellicator.

In aula Principis Oſiandrum auerſabantur velut hæreſiarcham, Cancellarius Ioan. Creitzius, Iuris Doctor, tum nobiles & conſiliarij plerique: In quorũ numero fuit & Fridericus Staphylus, de quo diximus paulo ſupra, vir eruditione ſumma exactoque iudicio præditus; qui non multo poſt, quã exorta fuit Oſiandri hæreſis, ad Eccleſiam ſe Catholicam adiunxit.

V. Conſiliarij Principis ab Oſiandro auerſi. Epitome conuerſionis Staphyli. *Stap. in def. trim. Theol. Luth. c. 2. 3. 4.*

Vixe-

1549. Wittenbergam abit.

Vixerat hic Staphylus, vt hoc obiter inseramus, aliquandiu studiorum causa in Italia: Vnde reuersus, VVittenbergam, se contulit, vt quam Lutherus Ecclesiæ litem mouerat, penitus cognosceret. Hæsit istic annis plus decem, & hausit ille quidem interea plusculum nouæ contagionis; At eo tamen progressus non est, vt ecclesiasticam functionem inter Lutheranos, docendiue munus imponi sibi pateretur: quanquam Lutherus, Melanchthon, alijque honoratas illi conditiones obtulerunt; scilicet, vt Lubecæ, vel Augustæ, vel Brunsuici Superintendentis aut Episcopi munere fungeretur: quin & à Megapolitanis quoque Ducibus vocatus fuit: verum ille perpetuò recusauit, quod animo nondum planè auulsus esset ab Ecclesia veteri, sed hæsitans dubitantis instar Lutheranum negotium multas ob causas haberet suspectum. Sub initium verò belli Germanici reuersus ad suos in Borussiam, Alberto Duci locauit operam suam, primum, vt in Academia professorem ageret; mox cum huic functioni renunciasset, vt à consiliis esset Principi. Atque hoc in statu fuit Staphylus, cum Osiander è Francouia profugus in Borussia sedem sibi deligeret. Quanquam verò professione iureconsultus erat, non Theologus, sedulò tamen in eam curam incubuit, vt in publica rerum perturbatione, & fluctuatione mentis, qua iactabatur, circumspiceret portum, ad

Ad superintendentias inuitatur.

Fit Professor Academiæ Regiomontanæ.

Posthæc Consiliarius Ducis.

Vitabundus hæret.

ad quam ex illo variarum hæreſeon tempeſtuoſo mari curſum dirigeret. Cumque diligenter euolueret ſanctorum Patrum monumenta,& faciem in ijs intueretur Eccleſiæ primitiuæ, magis magisque Lutheraniſmum faſtidire cœpit, & à nouis dogmatibus abhorreſcere. Tandem re multùm deliberata, portum ingreſſus eſt Eccleſiæ Catholicę Romanę,à ſanctis Patribus,velut intento digito monſtratum; nec inde ſe paſſus eſt, quoad vixit, vllis perſecutionum procellis aut hæreſeon flatibus exturbari. Quin & hanc ob cauſam è Boruſsia diſceſsit, poſteaquam anchorã fixit in Eccleſiæ portu,vt ab ijs corpore ſeiunctus viueret, quorum errores animo pridem auerſabatur.

ANNO 1549. SS. Patres euoluit.

Ad gremiũ Eccleſiæ Catholicæ reuertitur.

Boruſſia excedit.

CAPVT III.

I. *Oſiander in Staphylum, Melanchthonem, & Lutheranos calamum acuit.*

II. *Melanchthonis ſcriptum & ſuffragia VVittenberg. contra Oſiandr. atque eiuſdem vicißim confutat. in illos.*

III. *Feracitas hæreſeos Oſiandrinæ,truculentia eius,epitheta, Caluniq; de eo iudicium, cum pauiditate tyrannica.*

IV. *Apoplexia Oſiandri, agon horribilis, mors & ſepultura tragica.*

INTERIM verò, dum eſſet in miniſterio Principis, Oſiander errores ſuos in Boruſsia proſeminare cœpit, vti iam ante diximus,

Ab Oſiandro odio expoſitus Staphylus.

ANNO 1549.

mus, & hunc Staphylum inter reliquos aduersarios acerbo cumprimis odio prosecutus est; quod dogmata ipsius hæresibus olim ab Ecclesia damnatis finitima, & à Lutheranorũ placitis aliena demonstraret. Hoc ipsum autem & Lutherani scriptis in lucem editis asseruerunt; quos cum Osiander contra se videret insurgere, & ipse prosiliit in arenam, editoque libro de Iustificatione magno impetu Lutheranos aggressus est. Inter eos vero Melanchthonem, qui Luthero mortuo, velut Elisæus quidem Eliæ germanico successerat, asperius & inclementius tractauit. Nouerat Augustanam confessionem ab hoc conscriptam, cuius hostem sese atque aduersarium in doctrina de iustificatione satis apertè profitebatur. Itaque autorem illius odio maiore, quam cæteros prosecutus est, & in libro, de quo diximus, durius flagellauit.

Melanchthon inclementer ab Osiandro exceptus.

Atq; hic liber, vbi prodijt, ad censuram continuò reuocatus est à Lutheranis: Mandatum concionatoribus passim, vt de eo iudicium suum perscriberent: quæ res turbarum publicique certaminis initium dedit. Dum enim hi damnant Osiandri dogmata, ille verò hæc eadem magno conatu tuetur, acerba fuit & fœda inter vtrosq; suborta concertatio: quæ cum sæuiret in ipsis Ecclesiæ Lutheranæ visceribus, & vtrique ad scripturas, ad D. Pauli mentem, ad Lutherum ipsum tumentibus buccis prouocarent, multis causam Euangelicorũ suspectam reddidit. Catholi-

Osianderi scriptum censuræ Lutheranorũ subijcitur.

Dissidium inter Lutheranos.

tholici verò cõtrouersiam hanc inter operationes retulerunt spiritus illius vertiginosi, cuius agitatione Lutherani præcipites ab Ecclesia Catholica primum dissilierunt. ANNO 1549.

II. Melanchthon Osiandrum vitabundus refellit.

Cæterum quia Melanchthonem imprimis petebat Osiander veluti ducem errantium, imo velut autorem falsi dogmatis de iustitia imputatiua, fuit illi honoris tuendi causa prodeundum in publicum, & cum Osiandro congrediendum, ne causam deseruisse videretur. Quanquam tardius Melanchthon & minus alacer, quam zelotæ Lutherani quidam in hanc arenam descendit, atque ita causam egit, vt parum animi habere, imo defugere congressum videretur. Testatur hoc, quem in Osiandrum scripsit, libellus breuis germanicus, in quo languidè admodum, & pauentis instar cum aduersario manum conserit, seque multa dicit altercationis fugiendæ studio præterire. Procedit igitur ceu vitabundus, dum Osiandro respondet, eiusque puncturas atque ictus dissimulat, quibus erat grauiter irritatus. In fine libelli colloquium illud subiungit anno 1536. cum Luthero habitum de iustificatione, quod Staphylum in congressu cum Osiandro produxisse diximus; nimirum vt demonstret, eandem suam esse, quæ Lutheri fuerit de iustificatione sententiam; à qua cum Osiander discesserit, frustra Lutheri testimonia per eum ad stabiliendos errores adduci. Quin & suf-

Eius libellus germanicus.

Suffragia Wittebergensis Academiæ pro Melanchthone.

ANNO 1549. Imprimis Io. Forsteri. *In subscript. libelli Melanch. F. ij. b*

suffragia doctorum quorundam adiungenda censuit in Academiâ VVittenbergensi; qui subscriptis nominibus consensum hac in re quendam testatum facerent. In eum finem scriptū hoc approbarunt Ioannes Pomeranus, Pastor VVittenbergensis, & Ioannes Forsterus hebraicæ linguæ professor; vterque Doctor Theologiæ Lutheranæ, testati, quam Melanchthon in hoc libello tueretur, eam genuinam esse Lutheri & Augustanæ Confessionis sententiam: quam Osiander, inquit Forsterus, tetris præstigiis atque sophistica, quibus simplices & rudiores animos fascinat, euertere conatur; idque non tam siniſtro S. Scripturæ intellectu, & peruersa scriptorum Doctoris Martini, aliorumque piorum virorum detorsione facit, quam quod ostentatione ingenij & ambitione flagrans antiquo suo obsequitur ingenio. Præterquam etiam quod plurima rabiosissimaque conuitia in innocentes nos superbè & contumeliosè ingerit, petulanter quoque & impiè multa contra verbi Dei efficaciam, & contra passionis & mortis filij Dei meritum euomit. Atque adeo in articulo iustificationis ex merâ hebreæ linguæ ignorantia, cuius tamen excellentem præ aliis impudenter sibi arrogat cognitionem, horribiliter impias suas defendere & stabilire conatur opiniones. Profiteor itaque bona fide, recte ac iuste hic reprehendi, & veris ac firmis argumentis nostra etiam approba-

tione

tione & consensu refutari Osiandri errores. Hortor denique omnes pios, cordatos, & tranquillitatis Ecclesiæ amantes, vt rabiem & furores Osiandri auersentur & fugiant. ANNO 1549.

Hæc Forsterus in Osiandrum; qui vicissim cum in lucẽ prodijsset libellus hic, causæ suæ non defuit. Edidit enim continuo scriptum contrarium itidem & Germanicũ in Melanchthonem sub titulo Confutationis, in quo rationes illius diluit; & quibus potest præsidijs sententiam suam tuetur. Imprimis verò confidenter asserit, longè aliam esse Melanchthonis quam Lutheri de iustificatione sententiam. Id testari dilucidè satis libros ipsius Melanchthonis; Ex quibus discipulos ait ad quatuordecim opiniones hausisse de iustificatione; discrepantes quidem illas, tametsi quilibet suum hac de re cõmentum pro vero sensu Augustanæ Confessionis haberi postulet.

Osiandri scriptum contra Melanchthonem Confutatoriũ.

14. Opiniõnes de Iustificatione inter Melanchthonicos.

VVittenbergenses etiam hanc ob causam mordaciter exagitat, quod qui lauream doctoralem isthic suscipiunt, iuramento ad Augustanam Confessionem astringantur. Quid autem, inquit, iuramentum istud, quod Doctores & Magistri VVittenbergæ præstare coguntur, operatur aliud, nisi quod iurantes à sacra Scriptura diuulsos ad symbola & Philippi doctrinam alligat? Certè VVittenbergensis Doctor, aut Magister homo miser est, & velut in carcerem compactus, dum iuramenti compedibus in conscientia constri-

Eius de promissionibus Wittenbergensententia.

ANNO 1549.

ctus tenetur, & implicatus. Abiurauit enim Dei verbum, seque iuramento ad Philippi doctrinam astrinxit. Os sibi passus est obstrui pilâ, vel cuneo iniecto, quod in grauissimis fidei causis, nihil proferre velit aut eloqui, nisi re cum senioribus, qui Confessioni fideliter adhęreant, prius deliberatâ. Cum his Confessioni adhærescendum est vigore iuramenti, etiamsi Sacræ litteræ aliud asserant; nisi periurus haberi velit. Ita secreti particeps est huiusmodi conspirationis, quæ hominibus potius, quam Dei verbo nixa consistit, ideoq; non parum nocumenti adfert orbi Christiano.

Rigidos Lutheranos calamo perstringit.

Hæc Osiander. Iam verò præter Melâchthonem & alios aduersarios aggressus est scriptis in lucem editis, Ioachimum Mörlinum, Matthiam Flacium Illyricum, Nicolaum Gallum, & Anonymum quendam, quē hic fugam & nycticoracem appellat; quos insolenter & mordaciter insectatus est more suo, atque ita causam egit, vt animum prodoret in erroribus obstinatum. Auxit ferociam hominis & obstinationem fauor Principis, cuius animum, vt erat subinciuili morum compositione versipellis, per cuniculos occuparat. Huius igitur patrocinio fretus in Borussiâ quidē stabiliuit res suas, & clamores Lutheranorum ex alijs regionib. allatrātium facilè contempsit. Nec dubium est, quin hæresis ista maioribus incrementis aucta fuerit, atque altiores egerit radices, nisi

Ferocior fit fauore Principis.

nisi mors Osiandrum paulò maturius è medio sustulisset. ANNO 1549.

III.

Vixit ab eo tempore, quo confirmatus accessione Principis hæresin in publicum proferre cœpit, non integrum triennium: Quo tempore multa scripsit Osiander latinè partim, partim germanicè; scripserunt & alij passim, qui se cum Osiandro coniunxerant; tantoque ardore diffundebatur malum, vt singulis penè mensibus noua in orbem Osiandrinorum scripta prouolarent. Aiunt Osiandrum ipsum, cum sermonem haberet de instituto suo, dicere solitum ad quendam magnæ nobilitatis virum: Tria A. A. A. meam causam defendent Rogatus, quid per A triplicatum intelligeret, germanicè respondit, Omnipotentem (den Almächtigen/) Albertum & Adamum; præter Deum, Borussiæ ducem Albertum, & carnificem Regiomontanum designans, cui tum nomẽ erat Adamo. Sermo hic truculentiam sapit, & hominem ingenio fuisse testatur ad crudelitatem propenso.

Feracitas hæreseos Osiādrinæ.

Eius truculentia. *Schlusselb. in har. Osiand. p. 243*

Erat certè ferox Osiander, inhumanus, fastuque turgidus, admirator sui, aliorum contemptor, impotens, effrenis, iracundus, & dominandi cupidus; in aduersarios verò contumelios us supra modum: nec quisquam ferè è Lutheri discipulis ad præceptoris genium & mores accessit propius. Quin & profanus erat in vitâ, nec abuti sacræ Scripturæ verbis, eaque in ludibrium vertere

Osiandri epitheta.

Caluini de eo iudicium

ANNO 1549. duxit piaculum. Deprehendit ista ex consortio hominis in colloquio VVormatiensi Caluinus, cuius testimonium de Osiandri moribus ex epistola quadam ad Melanchthonem subiungo: Quod se Osiander, inquit, nobis subduxit, imò non sine violento impetu se proripuit, non mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es, ex eo esse ferarum genere, quæ nunquam cicurantur. Et ego semper inter nostra dedecora eum numeraui. Quo certè die mihi primùm visus est, prophanum hominis ingenium, & fœdos mores sum detestatus: Quoties suaue ac generosum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces: Ego sum, qui sum. Item: Hic est filius Dei viui; quæ manifesta Dei ludibria proderent. Quo magis sæpè miratus sum, vestrâ omnium indulgentia talem beluam foueri: præcipuè verò, cum locum in præfatione quadam tuâ legerem, vbi post VVormatiense insaniæ specimen plus quam liberaliter abs te laudatur, obstupui. Sed faceslat ille, quem alienissimum à nobis esse expedit. Hæc Caluinus. Interim licet in moribus, in sermone, in scriptis publicis magnum præ se ferret animum, & quasi ferociret, pauidus tamen fuit, vt est tyrannorum genus, & consternatæ mentis non obscura dedit indicia. Certè ab eo tempore, quo publicè tueri errores ac propagare instituit, licet addictum haberet Principem, vix tamen ausus fuit in publicum pro-

Caluin. in ep. & resp. pag. 145.

Schlusselb. in Osiand. pa. 241. 241

Osiandri pauiditas tyrannica.

prodire, quod se minimè tutum in plateis futurum arbitraretur. Cum autem domo prodeundum omninò fuit, armis aiunt exteriori veste tectis accinctum plerumq; per plateas inambulare visum: Quæ nec in scholis, nec in Ecclesia deposuit, cum vel obeunda esset professio, vel concio ad populum habenda. ANNO 1552.

IV.

Cæterùm, in medio cursu, dum satagit rerum suarum, dum luctatur cum aduersarijs, & recens natam hæresin magno studio propugnat, anno 1552. mense Octobri, tactus apoplexiâ repente concidit, & post durum agonem 17. Octobris animam exhalauit. Nondum compleuerat annum ætatis quinquagesimum sextum, cum sensit manum Domini: Erat autem horribilis apoplexia, quæ Osiandrum extinxit, in qua cum summis angoribus ad finem vsque luctatus, sine vllo resipiscentiæ signo decessit. Qui viderunt extremos trahentẽ spiritus, imprimis fœmina quædam, quæ sola reliquis discendentibus apud eum remansit, viditque morientem, optasse feruntur, ne huiusmodi morte vitæ curriculum terminarent.

Anno 1552 Apoplexiâ flagellatur.

Ex ea moritur.

Eius agon horribilis.

Corpus exanime alieno sepulcro Regiomonte in Ecclesia ciuitatis veteris illatum fuit: Factum hoc est inuitis ijs, & quantum possent repugnantibus, qui eo loco sepulturæ ius habebant. Non diu post erutum cadauer denuò fuit, & obscuriore loco in eadem Ecclesia defossum. Cum verò pro sum-

Regiomonte tumulatur.

ANNO 1552. mo animi tumore nominis existimationem inter homines semper captarit, breui post mortem apud Regiomontanos in eam venit obliuionem, vt quo loco tumulatus sit, vix quisquam possit ostendere. Nec alia superest ipsius memoria, nisi quod à Catholicis non modo, sed à Sectarijs etiam inter infames hæresiarchas postremorum temporum cum erroris detestatione nominetur.

(..)

Finis vitæ rerumq; gestarum Andreæ Osiandri.

INDEX BREVIS ET SVCCINCTVS IN VITAM Melanchthonis & aliorum sectariorum.

A.

Academia VVittenbergensis instigante Melanchthone edit contra Illyricum scriptum virulentum, 360.10

Actio Cæsaris cum Mauritio, 243

Accidentarij quinam, 433. *eorum cum Substantiarijs concertatio, ibid. & seq. potentes & principum fauore nixi,* 437. *de Substantiarijs triumphant,* 446

Adiaphoristæ vnde dicti, 236

Albertus Brandeburgicus Archiepiscopus Moguntinus, eiusque progenies, 1149 *à Luthero capitali odio afficitur,* ibid. 20

Albertus Brãdeburgicus Borussiæ Princeps à pace alienus Episcopos vexat, 319. *proscriptus & exul moritur,* 320. *seductus ab Osiandro,* 537

Albertus Comes Mansfeldicus exul redit in patriam, & Maiorem eijcit, 469

Altenburgense colloquium, 481. *& seq. fœdè dissipatum & cur,* 530

Anathema dicitur decẽ sectis in libro Flacianorũ, 359

Andreas Osiander. Vide Osiander vbi & quando natus. 535. *habitus corporis & ingenium.* 536. *docet linguam Hebraicam, ibid. fit concionator Norinbergæ,* 537. *seducit Albertum Borussiæ Ducem, ibid. eius consilium de monasterijs euertendis,* 539. *fit Superintendens Norinbergensis, ibid. vocatur ad colloquium Marpurgense,* 540. *diuersis interest*

colloquijs. ibi. nouum dogma de iustificatione comminiscitur, 541. discrimen inter eius & Lutheri doctrinam de iustificatione, ibid. alia eius dogmata, 542. quando ista fabricauerit, 544. eius dolosa machinatio in dogmate suo publicando, 546. refellit sententiam Lutheri, 547. & 548. monetur à sententia discedere sed frustra, ibid. respuit Interim & fugit in Borussiam, 550. conuincitur mendacij, 551. principem inficit, 553. eius discipuli, 555. & 554. scriptum eius Lutheranorum censuræ subijcitur 558. hostis Augustanæ confessionis in articulo de iustificatione, 545

scribit contra Melanchthonem, 551. Rigidos Lutheranos calamo perstringit, 562. fauore Principis fit ferocior, 665. eius epitheta, ibid. Caluini de eo iudicium, ibid. apoplexia flagellatur, 565

& moritur agone horribili, ibid.

Anglicani Protestantes retinent iurisdictionem Ecclesiasticam, 139. & seq. eorum Pontifex & Regina, 140. quales habeant Pontifices, ibid.

Antinomorum hæresis prodit, 141. eius author ad palinodiam adigitur, 144

Apologia Protestantium à Melanchthone scripta, 78. vnà cum confessione Augustana excuditur, ibid.

Artopæus Osiandrista oppressus, 304. pro eo intercedit Melanchthon, 305

Augustana confessio Chemnitij iudicio thesaurus incomparabilis, 545

Augustanus Liber Lipsicum Interim vocatur à Flacianis, 341

Augustus Saxoniæ Dux Melancthonem sibi deuincit, 323. monet Vinarienses de expellendis Flacianis. 480.

Autho-

Authoris institutum in describenda vita Georgij Maioris, 552

Axioma Lutheranorum de iustificatione cloaca Antichristi, 330

B.

Baldus Lupecinus Franciscanus occultus Lutheranus Illyricum adhuc adolescentem seducit, 373

Balthasar VVinterus Superintendens Ienensis deponitur, 419

Bernardus Rotmannus Monasterium ad Lutheranismum trahit, 97. *fit Sacramentarius.* 98. *à Melanchthone & Luthero deterretur, ibid. & seq fit Anabaptista & miserè perit,* 100

Borussia quando ad Lutheranismum pertracta. 538

Brandeburgicus mutat religionem, 166. *eius causa. ibi. gener Regis Poloniæ, à quo ad sanam mentem inuitatur,* 167. *eius subdolæ literæ & stropha.* 168. *ordinatio,* 170. *eius cura in sopiendo bello,* 229

Brentius Osiandri assecla, 327

Brentij tristitia in comitijs Augustanis, 52. *renuit venire Norinbergam,* 332. *defendit Osiandrum.* 348

Brunsuicensis oppugnatur à Protestantibus, 224. *& capitur, ibid.*

Bucerus in Hassiam euocatur, 118. *eius colubrinum ingenium,* 120. *ad Nauseam accessus,* 185. *Bonam venit ad Archiepiscopum,* 209. *eius liber pestilens refutatur,* 211. *apostata monachus, ibid,*

C.

CAEsar Bononiæ agit cum Pontifice de Concilio, 101. *Protestantes bello aggreditur,* 228. *eius studium in instituenda conformitate religionis,* 237. *conatur Mauritium ad concordiã perducere.* 238

Caluinistarum pro Melanthone sententiæ, 90
Caluinistæ in Palatinatum irrepunt, 363
Caluinus Melanchthoni familiarissimus, 85. insinuat se in societatem Lutheranorum, 188. Melanchthonem dementat, ibid. de Osiandro iudicium, 563
Camerarius Melanchthoni coniunctissimus, 57
Cancellarius Academiæ Tubingensis Lutheranis non vult conferre gradus, 126. & seq.
Canones Illyrici, 340
Carlstadij vesania & dogmata, 17
Caspar Svenckfeldius quid docuerit, 386
Catholicorum Lipsiensium industria apud Principem Lutheranum, 155
Centuriæ Magdeburgensium scribuntur, & quales eæ sunt, 387. & seq. earum authores, 398
Centuriatores edunt ideam operis sui. 289. eorum mala fides, 398
Cocceritius Flacij ad Melanchthonẽ internuntius, 400
Colloquium inter Catholicos & Augustanæ confess. assertores, 50. Lutheri & Melanchthonis de bello Mauritij & Electoris Saxoniæ ducum. 205. & seq. inter Catholicos & Lutheranos, 349. Altenburgense inter Lutheranos Flacianos & Maioristas, 481. & seq.
Comitia Augustæ, & eorum decreta, 37. Ratisbonæ, 193. eorum acta, ibid & seq. Spiræ, 221
Confessio Augustana à Melanchthone compilata, 45. cur principum nomine oblata. 46. datur examinanda, 47. perpetuo mutatur, 79. Zuinglianismo à Melãchthone infecta, ibi. Antuerpiæ reciditur. 428
Contarenus Legatus Pontificis, 200
Cosvvicum oppidum Saxoniæ, 337

Conuen-

Conuentus Lutheranorum & Zvinglianorum in Hassia, 118. VVittenbergæ, 119. Bernæ & Tiguri, 121. Francofurti, 123 Brunsvici & Isennaci, 151. Francofurti, ibid in Thuringia, 175. Smalcaldiæ, ibid. Torgæ, 273
Conuentus Theologorum Lutheranorum Misenæ, 263 Pegrauiæ, 270. Cellæ, 277. Gutterboci, 280
Coruinus Brunsuicenses peruertit, 191
Cyriacus Spangenbergius Antuerpiam vocatur, 427. quis fuerit, 438

D.

Decreta comitiorum Spirẽsium, 37. & seq. & 221
Dicterium Lutheranorum in Flacianos, 426
Disputatio Lutheranorum Norinbergæ, 333. alia ibidem cum Catholicis, 539
Disputatio Lipsiensis Lutheranorũ cum Catholicis, 151
Diuisio sectæ Lutheranæ, 171
Dogma Ioannis AEpini Lutherani de descensu, Christi ad inferos, excitat turbas, 360
Dogmata in quibus Melanthon dubius, 55
Dogma Flacij Illyrici de peccato originis, 431

E.

EDuardus Angliæ Rex moritur, 322
Electoralium Saxonicorum de colloquio Altenburgensi inter Flacianos & Maioristas sententia, 527
Enthusiastæ reprimuntur à Luthero & VVittenberga discedunt, 18
Ericus Brunsuicensis moritur, 190
Ericus iunior Catholicus exulat & Papiæ moritur, 191

F.

FAnatici VVittenbergæ nidificant, 16
Flaciani cuiusdam zelotæ rebellio, 289. vnde dicti, 378
Flacij numæ in Melanchthonem, 295
Flacianorum in Melanchthonem amarulentia. 232. rigidi Lutherani, 236. ex insidijs omnia explorant & publicant quæ Misenæ agebantur, 266. petulantia, 296. machinæ in Melanchthonem, 334. Synodum flagitant, ibid. machinatio de prohibendis VVittebergensium libris, 343. acerbitas in anathematis scriptione. 348. protestatio, 352. in duas factiones diuisio, 417. 432. Maiorem eiusq; dogma de bonis operibus ad salutem necessarijs execrantur, 454. queruntur de conuitijs Maioristarum, 515. in scripto Maioristarum duo illis inuisa, 518. multos habent patronos, 530. conantur à se remouere famam dissipati colloquij Altenburgensis, 532
Fœcunditas hæresum inter Lutheranos, 330
Francofurtenses Illyricum dimittunt, 430
Fridericus III. Palatinus exploso Lutheranismo Caluinismum in Palatinatum inducit, 363
Friderici Nauseæ actio cum Melanchthone, 180
Fridericus Staphylus quis, 355. scribit de Lutheranorum Theologia, ibid. odium illorum in se prouocat, ibid. & scripta, ibid. sed ijs egregiè respondet, ibid. eius de hæres. Osiandri iudicium, & cum eo colloquium, 551. epitome conuersionis eius, 555. & seq.
Funccius Osiandri assecla & cõsiliarius Borussiæ principis, 553 capite plectitur, 554

G.

Galliæ Rex tres Episcopatus Imperio Ro. subtrahit, 319
Gallus & Ambsdorffius Magdeburgum ad seditionem concitant, 382
Georgius Anhaltinus Melanchthonis mancipium moritur, 324
Georgius Saxoniæ Dux moritur, 153
Georgius Sabinus Poeta gener Melanchthonis, qualis, 212. & seq. ad scholam Regiomontanam euocatur, 213. offendit Melanchthonem, 214
Georgius Maior quid docuerit, 385. & seq. & 453. eius natiuitas & patria, 455. fit Melanchthonicus, ibid. vocatur ad colloquium Ratisbonense, 456. valedicit Luthero, eiusq; cum illo sermocinatio, ibid. Ratisbonam venit non admodum gratus, 457 re infecta discedit, 458. est Adiaphorista. 459 à Flacianis deprauatæ doctrinæ reus postulatur, eius antagonista Nicolaus Ambsdorffius, 461. fit Superintendens in Comitatu Mansfeldico, 462 Islebium venit. ibid. à Flacianis repudiatur, 465 scribit Apologiam in Ambsdorffium, 464. imperterritus necessitatem operum docet, 466. scribit librum de conuersione S. Pauli, in quo tangit Flacianos, 466. & seq. pellitur in exilium, 469. fugit VVittenbergam, ibid. cedit aduersarijs, 473. eius mollis confessio & libri emendatio, 474. mox resumit animum & Flacianos oppugnat, 475. scommata in Flacianos, 476. scriptum postremum de iustificatione, 479. perpetuus Flacianorum calumnijs obnoxius, 533. edit scriptum de iustificatione sub testamenti titulo, & quomodo illud exceptum

ceptum, 533. moritur, 534
Grubenhagij Flacianos damnant, 446

H.

HAEreses è Lutheranismo exortæ, 378. & 412
Hamburgensium aphorismi & scriptum ad VVittenbergenses de Ioannis AEpini dogmate, 361
Henricus Saxoniæ Dux moritur, 203
Henricus VIII. Angliæ Rex adulterinas nuptias celebrat, 104. à Pontifice monetur & nuptiæ cassantur, ibid. Pontificatum in Anglia vsurpat, 105. prensatur à Melanchthone, ibid. ambit Protestantium societatem, 170. objcit ijs discordiam, 171. conuocat parlamentum, 172. edit decretum de religione eiusque summa, ibid.
Hermannus Archiepis. Colon. de mutauda religione cogitat, 208. eius prosapia & simplicitas, ibid. à Bucero dementatur, 209
Hieronymus Mencelius Cyriaci Spangenbergij antagonista, 439

I.

IAcobus Sturmius moritur, 324
Ienæ constituuntur Flaciani doctores. 521
Ienensium Theologorum liber examinatur, 408
Ioachimus Morlinus Osiandri hostis, 554
Ioachimi Brandeburgici facundia, 50
Ioannes Aepinus excitat turbas inter Lutheranos, 360
Ioānes Reuchlinus Melanchthonē inuitat ad studiū, 3
Ioannes Saxoniæ dux apoplexia tactus moritur, 100
Ioānes Faber hortatur Melanchthonem vt redeat, ad Ecclesiam, sed frustra, 31
Ioannes Funccius concionator & consiliarius Ducis Borussiæ, 553. capite plectitur, 554
Ioannes Fridericus Electoratum Saxoniæ recuperare

perare nititur, 322. mancipium Illyrici, 334. capitur & Viennam mittitur, 440
Ioannes Spangenbergius Cyriaci pater, monachus, Apostata, 438
Ioannes VVigandus Flacianus, 486
Iulius Pflugius fit Episcopus Naumburgensis, 203. pellitur ab Ambsdorffio, ibid.
Iustitia Lutherana quæ, 541
Iustitia Osiandrina quæ, ibid.
Iustum iudicium super hæreticos, 531

L.

LAndgrauius deficit à Catholicis, 25. Zuinglianis addictus 36. meditatur concordiam inter Lutheranos & Zvinglianos, 37. & 97. sectarios Marpurgum vocat, 40. patronus Sacramentariorum, 66. hostis Ro. Ecclesiæ, 67
Leonardus Culmannus Norimbergæ Osiandrismum tuetur, 555
Liber dictus Interim quid contineat, 284
Literæ credentiales Mauritij offerendæ Concilio Tridentino, 316
Lutheranismus fœde distractus, 227. in duas factiones abit, 298. hydra multorum capitum, 336. in varias partes diuiditur, 378
Lutheranorum pro Philippo sententiæ, 87. colloquium postulant, 179. machinatio de repellendis à colloquio Catholicis, 180. inquietudo & insania, 293 conditiones quas Concilio celebrando præscribebant ridiculæ & petulantes, 315. conuentus Francofurti ob Flacianos, 344. alius VVormatiæ, 345
Lutherus edit Philippi commentarios in Epistolam ad Rom. 13

calum-

calumniatur SS. Patres, 14. reprimit Enthusiastes, 18. scribit de scholis restituendis, 20. nuptias celebrat, 24. consolatur Melanchthonem, 52.
antinomiæ author, 141
Antinomos damnat, 142
in Iurisconsultos furit, 214. moritur, 226. eius iudicium de Illyrico, 376. eius mors parturit hæreses 458. præsagium de Osiandri ferocia, 540. biblia ab Osiandro sugillantur, 549

M.

MAgdeburgum obsidetur à Mauritio Saxone, 312. 383. nidus Flacianorum, 313. & 406. recusat, decretum Augustanum, 382. Cancellaria Dei vocatur & cur, 406
Maioristæ Lutheranopapistæ, 459
Maioristarum & Osiandrinorum dogmata, 298
Maioristarum & Flacianorum certamen, 471. colloquium Altenburgense, 481. & seq.
Manichæismus Flacianorum, 417
Ienæ repullulat, 439
Maria Anglia Regina Catholica. 322
Matthias Flacius Illyricus nascitur, 372
Venetias studij causa contendit, 373
vult fieri monachus sed à monacho cognato seducitur, ibid. in Germaniam proficiscitur, 374
VVittenbergam venit, ibid.
à Luthero & Melanchthone fouetur, ibid.
magisterij lauream suscipit, 375
Hebraicam linguam discit & docet, 374. & seq.
celebrat nuptias præsente Luthero, 375
angustiæ eius circa fidem, ibid.
secedit Brunsuicum ibiq; docet, 377
renuit

venuit subscribere libro Interim. 378
discedit VVittenberga, 379
eius querelæ de mollitie Melanchthonis, 380
scribit Apologiam contra VVittenbergenses, ibid.
item in Interimistas, 381
Gotham secedit inde Magdeburgum, 383
hostem se ostendit Osiandri, 385
item Georgij Maioris, ibid. & Suencfeldij, 386
centurias Magdeburgenses scribit & scribi curat & pecuniam in sumptus conquirit, 388
furti & peculatus arguitur, ibid.
eius fraus & furtū in vendito concilio Niceno, 395
Melanchthonem ad palinodiam inducere conatur, 399. & seq. inuitat eum ad colloquium, 401
Ienam vocatur, 404
mendax eius liber de testibus veritatis, ibid.
alius contra Suenckfeldium, ibid.
nouus quasi Papa inter Lutheranos, 407
à Strigelio vexatur, 410. & seq.
cum eo disputat, 414
Principem se cohibiturum putat, sed frustra, 420
patitur Principem infensum, 421
exauthoratur & Ratisbonam vadit, 423
principibus inuisus & cur, 426
comparatur Ismaeli, 427
Antuerpiam à Lutheranis euocatur, 427
præses sectariorum, 429
Francofurti sedem figit, ibid.
inde discedere cogitur, & quod Francofurtensibus esset inuisus, 430. Argentoratum abiurit, 431
profert dogma suum de peccato originis, ibid.
monetur vt resipiscat sed contemnit, 432

ei fortuna aduersa, 447
martyr vocatur à Spangenbergio, ibid.
assimilatur dæmoni, 448
eius epitheta & tituli quibuscum honorant VVittenbergenses, ibid. mors, 452
Matthiæ Lautervvalt dogma, 329
Mauritius Henrici filius Saxoniæ dux cum Electore ad arma peruenit & cur, 204. componitur dissidium, 206 Vniuersitates restaurat, 233. arguitur de papismo amplexo, 234
protestatur de nullitate cõsensus, 239. fistulæ comparatus, 246. actio Cæsaris cum ipso, 243
Melanthonem expellere iubetur, sed illum fouet & excusat, 260. & seq.
varios indicit conuentus, 263. & seq.
eius literæ credentiales offerendæ Concilio Tridentino. 316. fœdus contra Cæsarem cum Gallo, 317. 384. dolosæ machinationes, ibid.
Augustam capit, 318. moritur, 320
Melanthon inclementer ab Osiandro exceptus, 558
vitabundus Osiandrum refellit, 559
Melanchthonici eorumq; inconstantia, 66. factiones, 83. quid à Flacianis petierint, 402
Mencelius Accidentariorum sententiam defendit. 442
Merseburgensis Episcopus obit, 218. Episcopatus occupatur à Lutheranis, 219
Missa VVittenbergæ abrogatur, 16
Monasterium VVestphaliæ ciuitas Lutheranismo inficitur, 97
Musæus Flacij socius Iena discedit vltro, ne, videretur coactus, 423. & seq. Bremæ fit Superintendens 424.

424. edit disputationem Vinariensem, ibid.

N.

NAumburgi conuentus Lutheranorum, 326
Nicolaus Ambsdorffius antagonista Maioris, 461
eius scriptum in Maiorem, 465
Norinberga Lutheranismum amplectitur, 536. & 538
Norinbergenses Melanchthonem vocant, 25. eorum indignatio ob ipsius mollitiem, 59. censura adiuncta confessioni, ibid. ab Episcopo citantur ad forum ob mutatam religionem sed frustra, 538
Ecclesiasticos quomodo tractarint, 539
scribunt Luthero de confessione, 549

O.

OEcolampadius Melāchthonis amicus, ei scribit, 33
Opus confutationum à Flacio editur, 412. contemnitur à Strigelio, 413
Origo sectæ Melanchthonicæ, 26
Origo libri qui dicitur Interim, 377
Origo nominis Flacianorum, ibid.
Origo Substantiariorum & Accidentariorum, 417
Osiander quis & quid doceat, 300. eius arrogantia in Lutheranos, 302. exul Albertum Borussiæ ducem inficit, 303
eius scriptum atrox in Melanchthonem, 304
eius nouus partus error Stancari, 305. 385. mors, 326. Vide Andreas Osiander,
Osiandrinorum in disputando vehementia, 326. dogma Norinbergæ recrudescit, 332. virus Pomeraniam inuadit, 555

Otto Henricus Palatinus moritur, 363
Othmarus Eplinus Osiandrista, 554

P.

PAlatinus mutat religionem, 223
Pax religionis per Imperium, 334
Philippus Palatinus Naumburgensis Episcopus moritur, 203
Philippus Melanchthon nascitur, 2. eius studia & docile ingenium, ibid. fit Baccalaureus, 4. & magister artium, 5. Theologiæ & Hebraicæ linguæ incumbit, ibid. VVittenbergam venit, & à Luthero fascinatur, 7. Lipsiam ad disputationem proficiscitur, 8
scribit Apologiam contra Eccium, 96
vxorem ducit, 10. petulanter scribit contra Parisienses, 11. Theologiam profitetur, ibid. edit locos communes, 12. & commentarios in Epistolam ad Romanos, 13 à Zuiccauio dementatur, 16. VVittenbergam à Luthero reuocatur, 19. Saxonicam visitationem obit & de ea scribit, 28 contra eum Lutherani prædicantes insurgunt, 30. à Fabro monetur ad reditum in Ecclesiam, sed frustra, 31 fit Luthero Zuinglianus, 32. colit amicitiam cum Oecolampadio, 133 fit à Zvinglianis alienus & cur, 39. dicta patrum contra Sacramentarios euulgat, 42. augurijs deditus, 22. compilator confessionis Augustanæ, 45. eius dogma de Eucharistia, 48 tristitia in comitijs Augustanis, 51. eius causæ, 53. de iurisdictione Episcoporum restituenda opinio, 54. de ea re consilium, 56. conatur placare Nurenbergenses, 60 confessionem Augustanam corrumpit. 79. & seq. obiurgatur & reprehenditur ob hoc, & quid

quid responderit, 84. & seq. an in extremis fuerit Caluinianus an Lutheranus, 86. & seq. inconstantiæ & fraudis reus, 93. fuit perpetuo in vita misera, 95. vult Pontifici Ro. iurisdictionem restitui, ideoque inuidiam sustinet, 102. & 113
prensat Angliæ Regem. 105
à Rege Galliæ ad colloquium inuitatur, 108
prohibetur ire in Galliam, 112. Gallorum vota eludit, 113. cunas mouet & Regi Galliæ scribit, 114
actio VVittenbergica ipsi inuisa, 120
vnionis Luthero Zvingliana capita consarcinat, 121. petit in Angliam legari, 122. variæ de eo suspiciones, 125. à Zelotis exagitatur, 145. plurimos è suis in conuentu Smalcaldico offendit, 139. Augustam vocatur sed ire renuit, 141. Luthero cautior, 143. conatur antinomiam tollere sed frustra 144. eius mollities & animus pacificus, 145. astronomiæ iudiciariæ intentus, 146. à Sadoleto Card. salutatur, & ob hoc inuidiam sustinet, ibid. & seq. de VVittenberga relinquenda cogitat, 150. cum Saxone Francofurtum venit. 152 scribit Venetis, 155 edit librum contumeliosum & petulantem de authoritate Ecclesiæ, 157. mentitur de idololatria, 158. calumnia in SS. Patres, 160
ærumnæ, 174. agrotat, 176. à Caluino dementatus sit asperior, 188. & seq. leditur, 192. in Comitijs Ratisbonensibus durities, 195. falsi damnatus, 199
Bonnam vocatus venit cum Pistorio, 209. & seq. qualis eius cum Luthero coniunctio, 226. ei Cæsar iratus & cur, 241. secedit, ibi & seq. à Cæsare proscribitur, 459. eius maledicentia, 271. leuitas, 272. status miserabilis, 296. Flacciū quā maximè odit, 300.

300. frigide refutat Osiādrum, 303. & seq. & Stă-
carum, 308. suam doctrinam consarcinat Concilio
Tridentino offerendam, 310. Tridentum profectu-
rus ad iter se parat, 314. vocatur in Angliam, 321.
in Prussiam vocatur, 328. ab Illyrico & Flacianis
ad pœnitentiam seu resipiscentiam monetur, 337.
ad disputationem publicam inuitatur, 378. seipsum
anathemate ferit, 351. Heidelbergam euocatur,
352. vxore orbatur, 353. causam dat hæresis Cal-
uinianæ in Palatinatum inducendæ, 162. & seq.
Lipsiam euocatur ad examen alumnorum, 365
tertiana febri laborat, ibid. tria filijs suis precā-
tur, 366. in paroxismum incidit, 367 testamentum
condere conatur, 368. moritur & magnificè sepeli-
tur, 370. obnoxius omni mutationi, 518. eius scripta
à Flacianis reijciuntur, ibid. à Maioristis defendi-
tur, 522

Pontanus Cancellarius Saxonicus Melanchthonicus,
416.

Prodigia. 328

Protestantes moliuntur aduersus Cæsarem, 152. eorū
iniqua facinora in Cæsarem & alios, 231

Pugna inter Lutheranos & Zvinglianos, 36

Q.

Querelæ Lutheranorum super mollitie Melanch-
thonis, 53

R.

Religio in Missnia mutatur, 153

S.

Saxo capitur, 232

Schola Ienam VVittenberga ob pestem transfer-
tur, 23

Secta-

Sectariorum tres turmæ, 35
Sectarum Lutheranarum nomina, 378
Simon Lemnius poeta à Luthero profligatur, 148
Smalcaldicus Conuentus indicitur, 101. causæ conuentus, 133. quid in eo actum, ibid. item, 175
Sneppius Flacianus, 346
eius postulatum de anathematizandis hæreticis, 347. *moritur,* 499
Somnium Melanchthonis, 196. *& seq.*
Spangenbergius scribit contra Accidentarios, 435
item contra Gallum quendam. ibid.
Stephanus Agricola fit Catholicus, 470
Stancarus quis & eius dogma, 305. *& seq. monachus excucullatus & Nestorianus,* ibid.
eius falsi canones, 306
oppugnatur & in Poloniam fugit, 307. *eius replica,* 308
Substantiarij quinam, 432. *eiiciunt,* 447
Synergistarum secta vnde dicta, 405
VVittenbergæ & Lipsiæ gliscit, 406

T.

Theologorum Lutheranorum aduentus Ratisbonam, 225
Thomas Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis author schismatis Anglicani, 321
Tilmannus Heshusius Flacianus seditiosus, 416
Tridentinum Concilium restauratur, 309. *dissipatur.* 318
restauratur & absoluitur, 320

V.

Vinariense colloquium inter Substantiarios & Accidentarios, 440

Victo-

Victorinus Strigelius Flacio infensus, 407. acriter eũ proscindit, 409. multa coram principe in os obiicit, 411. incarceratur, 413. disputat cum Flacio, 414. in integrum restitutus, 418
Visitatio Saxonica à Melanchthone obita, 28
Vniuersitatum solitudo per Germaniam, 20
Volratus Comes Mansueldensis venit ad colloquium Vinariense. 449
VVurtenbergici & Argentinensium studia intentanda concordia, 311
respondent Hamburgensibus, 361
eorum sannæ in Flacium & VVigandum, 395. suffragia pro Melanthone, 559
VVittenbergæ Missa aboletur, 16
studia exulant, 19. Cæsari dedita, 232
VVigandus Accidentariorum coryphæus, 441
VVittenbergenses Maioristæ, 298
dicti Synergistæ & cur, 299

Liber Collegij Societatis Jesu Paderb. 1627

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VLENBER-
gii VITA
LVTHERA-
norum
Prædican-
tium.

Th
5157

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN